COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XCIII.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XXIV.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE:

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS — E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

VIA VULGO DICTA JACOB, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO, CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS NONAGESIMUS-TERTIUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVIII

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

OPERUM

PARS III.

EPISTOLÆ.

ECLOGA.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI
CONSTANTINOPOLITANI
ARCHIEPISCOPI
EPISTOLARUM
CLASSIS I.

—

EPISTOLÆ AD INNOCENTIUM PAPAM.

EPISTOLA I.

Innocentio episcopo Romæ. Domino meo Reverendissimo, pientissimoque Innocentio Joannes in Domino salutem.

I. Etiam antequam redditæ sunt litteræ nostræ[1], opinor pietatem vestram audivisse, quidnam hic patrare ausa fuerit iniquitas. Ea enim rerum est magnitudo et gravitas, ut nulla ferme orbis pars relicta sit, quæ tristem hanc tragœdiam non audierit. Quandoquidem fama usque ad fines terræ perlata, plurima ubique lamenta et ejulatus excitavit. Verum quia non satis est plangere, sed opus etiam ut cura geratur; et spectetur qua ratione et quo consilio gravissima illa Ecclesiæ tempestas sedetur: necessarium esse duximus ut persuadeatur Demetrio Pansophio, Pappo, et Eugenio, dominis meis maxime venerabilibus, piisque Episcopis, relictis Ecclesiis propriis, pelago se tanto committere, susceptaque longinqua peregrinatione hac, ad vestram properare charitatem, de omnibus vos manifeste

[1] Anno 404.

docentes, quo quantocius rebus succurratur. Misimus autem cum eis venerabiles dilectosque diaconos Paulum et Cyriacum: et nos quoque paucis charitatem vestram quæ facta sunt in Epistolæ formam docebimus. Theophilus enim ille qui Alexandrinæ Ecclesiæ episcopatum regendum suscepit, cum a piissimo Imperatore, cui adversus illum quædam nuntiata erant, jussus esset venire solus; collecta multitudine Episcoporum non paucorum huc venit, quo præludio quasi declarare volebat, se ad bellum et aciem pergere, cumque in magnam divinoque cultui deditam urbem Constantinopolim ingressus esset, non pro more et consuetudine veteri intravit in Ecclesiam, neque ad nos accessit, neque participem se fecit vel sermonis, vel precum, vel communionis: sed egressus e navi, et prætercursis Ecclesiæ vestibulis, alicubi extra urbem diversatus est; tametsi nos plurimum obsecraremus et ipsum et eos qui cum ipso advenerant, ut apud nos diverterent: erant enim diversoria, et omnia alia quæ oportebat, bene instructa: at neque illi, neque ipse, nobis morem gerebant. Unde nos ea videntes, valde consternabamur animo: et quamvis injustarum illarum inimicitiarum causam nullam invenire possemus, nihilominus tamen officia eis impendimus, quæ par erat nos illis exhibere. Ac frequenter ipsum obsecravimus, ut se nobis conjungeret, diceretque cujus gratia statim ab initio tantum excitaret bellum, in tantaque urbe discordiam induceret. Verum cum ille causam dicere nollet, neque urgerent accusatores ejus, vocavit nos imperator pientissimus, et jussit ire ad locum in quo ille agebat, et illic crimina, quæ ipsi offerrentur, audire. Nam incursiones, et cædes, et alia plurima objiciebant: nos autem scientes leges patrum, viroque honorem deferentes, habentes etiam super hac re ejus litteras, oportere in quibusque provinciis sua negotia tractari, ne-

que extra limites illarum trahi, vehementer detrectavimus ne causam susciperemus judicandam. Porro ille quasi prioribus conatibus cumulum addere contendens, multa auctoritate vocato Archidiacono meo, quasi jam Ecclesia viduata esset, ac Episcopum non haberet, clerum omnem sibi per illum adjunxit : fiebantque desertæ in dies Ecclesiæ, dum e singulis Ecclesiis abducebantur clerici, et instruebantur ut nos accusarent, et libellos adversus nos producerent. Post hæc vocavit et nos ad judicium, nondum dilutis sibi objectis criminibus, id quod maxime contra omnes canones et leges erat.

II. Porro scientes, nos non ad judicium; nam alioquin sexcenties venissemus; sed ad hostem et inimicum venturos, id quod satis declarant quæ prius ac postea sunt facta, misimus ad eum Episcopos, Demetrium episcopum Pesinuntis, Eulysium Apameæ, Lupicinum Appiariæ : Presbyteros autem, Germanum et Severum, respondimusque modeste ex nostro instituto : Non vitare nos judicium, sed inimicum apertum, et hostem manifestum. Nam qui nondum acceptis libellis statim ab initio talia fecit, et se ipsum abstraxit ab Ecclesiæ precibus et communione, et insuper accusatores subornavit, clerum ad se traxit, Ecclesiam desolavit : quomodo idoneus censeri possit hujusmodi, ut in judicis thronum conscendat sibi minime congruentem ? Neque enim congruum est, ut ii qui in Ægypto sunt, judicent eos qui in Thracia, et præsertim ille qui ipse reus est, inimicus et hostis. At ille nihil horum reveritus, magno studio anhelabat, ut perficeret ea quæ mente conceperat. Cum autem contestaremur paratos nos ad diluendum crimina, et ad innocentiam, sicut et innocentes sumus, declarandam coram centum vel mille Episcopis, non assensit : sed licet absentes essemus, et ad synodum appellaremus, judiciumque requireremus, et non tribunal,

sed manifestas inimicitias fugeremus : ipse tamen accusatores suscepit, excommunicatos a me absolvit, et ab illis qui nondum se de suis purgaverant criminibus, libellos accepit : et acta perscribi jussit, quæ omnia legibus et canonibus prohibita erant. Et quid opus est multa dicere? non destitit omnia facere ac moliri, donec nos vi et potentia e civitate et Ecclesia ejiceret, etiam jam provecta vespera, et universo populo nos prosequente. Tractus igitur vi et abductus a curioso urbis in media civitate, et in navim conjectus, per noctem navigavi, eo quod ad synodum et justum judicium provocaram. Quis hæc sine lacrymis, etiamsi cor lapideum habeat, audiret? Verum quia, sicut prius dixi, ea quæ perperam fiunt, non solum deploranda, sed et corrigenda sunt: ideo charitatem vestram obsecro, ut provocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quo mala hæc sistantur. Neque enim hic facinorum illis finis, sed ad priora adjecerunt et alia. Nam postquam eos qui Ecclesiam impudenter invaserant, piissimus Imperator ejecit, et multi Episcopi qui aderant, cognoscentes iniquitatem, et invasionem illorum, quasi incendium depascens omnia, fugientes, in suas regiones concesserunt, nosque iterum in urbem et in Ecclesiam a qua injuste ejecti eramus, vocati sumus, inducentibus nos Episcopis supra triginta, et notario ab Imperatore piissimo in hoc misso, ille statim aufugit : cur et qua de causa? eo quod ingressi mox obsecrabamus religiosissimum Imperatorem, ut concilium cogeret, quo facta hæc punirentur. Male igitur conscius sibi, et reprehensionem pertimescens, cum Imperatoris litteræ in omnia loca mitterentur et undecumque omnes congregarent, occulte, mediaque nocte ipse cum suis omnibus conscensa navi elapsus est.

III. Porro nos, utpote conscientiæ nostræ fidentes, non propterea destitimus, sed eadem iterum a religiosissimo

Imperatore petivimus. Qui et pro sua pietate missis ad illum nunciis, eum, et omnes qui cum eo erant, ex Ægypto vocavit, ut rationem factorum redderent: neque putarent ea quæ ipsi una solum præsente parte, nobisque absentibus contra canones injuste attentarant, esse sibi ad purgationem satis. At regiis litteris ille non obtemperavit, sed domi mansit, prætexens seditionem populi, studium nimirum quorumdam intempestivum, qui ei favebant; tametsi populus illic quoque ante litteras conviciis eum innumeris prosciderat. Verum hæc nunc exacte prosequi nolumus, sed hæc tantum idcirco diximus, ut eum in nefariis conatibus deprehensum ostenderemus. Itaque nos non quievimus, sed in hoc incubuimus, orantes Imperatorem, ut haberetur judicium, in quo agere et respondere liceret: dicebamus enim nos paratos ad ostendendum nos non esse reos, sed illos legum extremos transgressores. Erant autem relicti hic Syri, qui cum eo affuerant, et cum illo communiter omnia fecerant; ad hos accessimus, ad dandam rationem parati, atque super ea re sæpe eos interpellavimus, obsecrantes ut dignarentur nobis libellos et accusationum acta dare, vel genus criminum, vel accusatores ipsos significare: verum nihil horum impetravimus, sed iterum ex Ecclesia ejecti sumus. Quomodo quæ tunc gesta sunt, et omnem excedunt tragœdiam, enarraverim? quis ea sermo explicabit? quæ auris sine horrore percipiet? Cum enim illa quæ dixi, prætenderemus, ipso magno sabbato collecta manus militum, ad vesperam diei in Ecclesias ingressa, clerum omnem qui nobiscum erat vi ejecit, et armis sanctuarium undique obsedit. Mulieres quoque sacrarum ædium, quæ per illud tempus se exuerant, ut baptizarentur, metu gravis istius incursus nudæ aufugerunt. Neque enim concedebatur ut se velarent, sicut mulieres honestas decet. Multæ etiam acceptis vulneribus

ejiciebantur, et sanguine implebantur piscinæ, et cruore sacri latices rubescebant. Neque hic rerum finis erat. Nam et locum, in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, et viderunt omnia quæ intus erant. Quin et sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est, fiebantque quasi in barbarica captivitate omnia. Vulgus enim in solitudinem fugabatur, multitudo omnis extra civitatem versabatur, erantque in tanto festo vacuæ populo Ecclesiæ, et plures quam quadraginta Episcopi qui nobis communicarant, cum populo et clero sine causa fugabantur: et ob prodigiosa flagitia, ubique per fora, per domos, per solitudines, per omnes civitatis partes, omnia lamentis, ejulatibus, et fontibus lacrymarum plena erant: ut non modo qui affligebantur, sed et qui nihil tale patiebantur: et non solum qui nostræ fidei erant, sed et hæretici, et Judæi, et Gentiles, ob sceleris atrocitatem nobiscum dolerent, et quasi per vim capta civitate, tumultu, trepidatione ac planctu plena erant omnia. Talia ausi sunt præter sententiam piissimi Imperatoris, nocte multa, Episcopis hæc instruentibus, et multis in locis ordines ducentibus, nec erubescentibus, quod pro diaconis campiductores præeuntes haberent. Ubi vero illuxit dies, omnis civitas extra muros sub arbores, et in nemora emigravit, ibi festum diem celebrans, quasi oves dispersæ.

IV. Licet vobis ex his et cætera omnia pensare: nam omnia quæ facta sunt sigillatim sermone complecti, ut dixi, impossibile est. Est autem et hoc perquam molestum, quod talia tantaque mala nullum adhuc finem accipiant: neque spes sit ea finem habitura: sed augentur in dies magis ac magis, nosque plerisque ridiculi facti sumus imo ridet nullus, etiam si valde sit perversus; lugent au-

tem omnes propter extremam et inauditam hanc malitiam, malorum facile colophonem. Quis vero reliquarum Ecclesiarum perturbationes eloqui possit? Non enim hic cessavit hoc malum, sed usque ad Orientem pervenit. Nam sicut a cápite malis humoribus defluentibus, reliqua membra corrumpuntur: ita nunc quoque tumultus, qui in hac magna civitate cœperunt, quasi ex fonte in omnia loca sensim effluunt, et clerici ubique in Episcopos insurgunt, et Episcopi ab Episcopis, et populi a populis scissi sunt, et alii propediem scindentur, et expectatur ubique malorum partus, orbisque totius subversio. Igitur domini mei maxime venerandi et pii, cum hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum, et magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc quæ in Ecclesias irrupit iniquitas. Quippe si mos hic invaluerit, et fas fuerit cuivis in alienam parœciam irrumpere, idque ex tantis intervallis, et ejicere quos voluerit, et auctoritate propria quæque pro libidine sua facere, scitote quod brevi transibunt omnia, et totus orbis premetur bello inexpiabili, omnibus ejectis, et omnes ejicientibus. Quapropter ne confusio hæc omnem quæ sub cœlo est nationem invadat, obsecro ut scribas quod hæc tam inique facta, et ab una solum parte absentibus nobis, et non declinantibus judicium, non habent robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui adeo inique egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant: nobis vero, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei sumus, litteris vestris et charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet et antea societate fruebamur, frui concedite. Si autem adversarii nostri, qui ita inique egerunt, adhuc fingunt crimina quædam, propter quæ nos injuste ejecerunt, non datis nobis actis, neque libellis, neque manifestatis accusatoribus, si dentur judices incorrupti, agemus et tuebimur etiam nos libenter

causam, monstrabimusque nos non esse reos eorum quæ nobis objiciunt, sicut et plane innoxii sumus: et contra quæ ab ipsis facta, contra omnem sunt ordinem, contra omnes leges, contra omnes ecclesiasticos canones. Et quid dico canones ecclesiasticos? Neque in Gentilium judiciis, neque in Barbarorum tribunalibus talia attentata sunt unquam: imovero neque Scythæ, neque Sauromatæ unquam judicarunt, judicium dandum uni parti, absente ea quæ accusatur et vitante non judicium, sed inimicitias, et invocante multa millia judicum et protestante coram toto orbe declaraturam se non esse ream, depulsuramque crimina, et ostensuram suam in omnibus innocentiam. Hæc igitur omnia cum ita se habere intellexeritis a dominis meis piissimis fratribus nostris Episcopis, obsecro ut præstetis id quod petent officii. Quo non solum nobis gratificabimini, sed et Ecclesiarum universitati, mercedemque accepturi estis a Deo, qui nihil non propter Ecclesiarum pacem facere dignatur. Semper vale, et ora pro me, domine reverendissime et sanctissime.

EPISTOLA II.

Innocentio Episcopo Romæ Joannes in Domino salutem.

Corpus quidem nostrum uno tantum loco tenetur[1]; charitatis autem ala in universo orbe circumvolitat. Proinde licet tanta itineris intercapedine separati simus, a pietate tamen vestra non absumus, sed quotidie vobis præsentes sumus: charitatis enim oculis videmus vestram illam for-

[1] Scripta anno ut putatur 406.

titudinem, sincerum affectum, constantiamque non mutabilem, consolationemque illam magnam, perpetuam, atque stabilem, quam nobis affertis. Quanto enim fluctus extolluntur sublimius, et plures latent scopuli, vehementioresque sunt tempestates, tanta magis vigilantia vestra augetur: neque vos tanto viæ prolixitas, neque tantum temporis intervallum, neque rerum difficultates segniores reddiderunt: sed perseveranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maxime vigiles sunt, cum excitari fluctus, mare intumescere et multum aquarum fragorem, profundissimamque interdiu noctem ingruere vident. Ea propter et gratias vobis habemus multas, et desideramus quidem ad vos dare crebras litteras, id quod nobis maximo foret solatio. Verum quia nobis hoc denegat solitudo hujus loci, neque facile ad nos pervenire valent, non modo qui istuc pergunt, sed nec ii qui in vicino habitant, tum quod longe distet, atque extremis finibus locus iste situs sit, in quo residemus, tum quod latrones vias illas undique obsideant: precamur ut diuturnum silentium nostrum efficiat, ut magis nobis condoleatis, quam ut nos reos putetis negligentiæ. Quod enim non ex incuria silentium ortum sit, vel inde liquet, quod post longum temporis spatium venerabilem et dilectum Joannem presbyterum, Paulumque diaconum nacti et scribendi et gratias vobis agendi finem non faciamus, quia paterna majorem erga nos benevolentiam declarastis. Nam quantum in vestra pietate situm fuit, jam res omnes sedatæ et emendatæ, et sublata omnia scandala fuissent, gauderentque Ecclesiæ tranquilla et sincera pace: et essent plane secunda omnia, ac contemptæ leges, violatæque patrum constitutiones vindicatæ forent. At quoniam reipsa nihil tale contigit, cum ii qui priora aggressi sunt, novis ea sceleribus cumulare contendant, nolo equidem omnia,

quæ interim gesta sunt sigillatim recensere, quandoquidem non solum epistolæ, sed et historiæ modum transcenderet narratio. Cæterum vestram oro vigilantiam, ut licet illi omnia tumultibus impleverint, laboraverintque morbis incurabilibus, et pœnitentiæ non capacibus: cum tamen curare morbos illorum statueritis, malis ne cedatis, neve animum despondeatis, considerata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud ferme pro toto orbe est, pro Ecclesiis dejectis atque prostratis, pro populis dispersis, pro clero divexato, pro Episcopis exulibus, pro constitutionibus patrum violatis. Et idcirco iterum, atque iterum et sæpius vestram oramus diligentiam, ut quanto major est tempestas, tanto majus adhibeatur studium. Expectemus quidem futurum, ut res aliquanto amplius corrigantur. Quod si minus fiet, vos vestram coronam paratam apud misericordem Deum habetis: et hi qui injuria afficiuntur, consolationem ex fervore charitatis vestræ non parvam accipient. Nam et nos tertium nunc annum in exilio versantes, in fame, peste, bello, continuis obsidionibus, solitudine incredibili, quotidiana morte, et Isauricis gladiis, non mediocriter consolantur stabilis, et constans vester affectus, ac fiducia, mirificeque oblectatur benefica et sincera vestra charitas. Hic noster murus, hæc securitas, hic portus absque fluctibus, hic innumerorum bonorum thesaurus, hæc lætitiæ mirificæque voluptatis causa est. Etsi in desolatiorem, quam sit iste, locum iterum abigemur, non parvam hinc habentes nostrarum afflictionum consolationem abimus.

INNOCENTII

AD CHRYSOSTOMUM

EPISTOLA I.

Dilecto fratri Joanni, Innocentius.

Esi insontem omnia expectare bona et a Deo misericordiam petere deceat[1], tamen etiam a nobis, qui patientiam suademus, competentes litteræ per Cyriacum diaconum sunt transmissæ: ne contumelia plus virium habeat ad opprimendum, quam bona conscientia ad spem habendam. Neque enim tu doceri debes, tot populorum doctor et pastor, optimos quosque semper et assidue probari, num in vigore patientiæ permaneant, nec ulli labori ac molestiæ succumbant: et conscientiam esse rem admodum firmam adversus omnia quæ injuste accidunt: quæ nisi quis tolerantia superaverit, malæ suspicionis argumentum de se præbet. Cuncta enim tolerare debet is qui Deo primum, deindeque propriæ conscientiæ confidit. Vir quippe bonus exerceri quidem potest ad tolerantiam, vinci autem nequit, quia ejus mentem divinæ scripturæ custodiunt: abundant enim exemplis divinæ lectiones, quas populis tradimus: quæ omnes fere Sanctos variis modis sæpeque vexatos fuisse, et quasi in examine quodam probatos fuisse, atque ita patientiæ coronam adeptos esse testificantur. Consoletur charitatem tuam ipsa animi conscientia, frater carissime, quæ in calamitatibus solet esse virtutis consolatio. Inspectante enim Domino Christo, in portu pacis purgata conscientia sistetur.

[1] Anno 405.

INNOCENTII

AD CHRYSOSTOMUM

EPISTOLA II.

Innocentius episcopus Presbyteris et Diaconis universoque clero ac populo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui subditi sunt episcopo Joanni, dilectis fratribus, Salutem.

Ex litteris charitatis vestræ, quas per Germanum presbyterum et Cassianum diaconum misistis, scenam malorum quam ob oculos posuistis, anxia sollicitudine cognovi; quantisque ærumnis ac difficultatibus fides laboret, sæpius repetita lectione cognovi: quam rem sola consolatio patientiæ sanare potest. Dabit enim brevi Deus noster tantis ærumnis finem, et hæc tolerasse juvabit. Enimvero hanc ipsam necessariam consolationem in exordio litterarum vestræ charitatis positam propositum vestrum laudibus celebrantes agnovimus, multis testimoniis ad patientiam inducentibus instructum; ita ut consolationem quam per litteras vobis dare debebamus, ipsi litteris vestris prævenneritis. Hanc quippe Dominus noster patientiam laborantibus præstare solet; ut etiam in ærumnis semetipsos servi Christi consolentur, secum reputantes ea quæ ipsi patiuntur, sanctis viris jam antea contigisse. Imo nos etiam ex ipsis litteris vestri consolationem depromere possumus. Neque enim a doloris vestris consortio alieni sumus, cum et ipsi vobiscum cruciemur. Quis enim faci-

nora eorum ferre possit, quos in primis decebat tranquillitatis, pacis et concordiæ studiosos esse? Nunc præpostero more ex sedibus Ecclesiarum suarum exturbantur sacerdotes insontes. Quod quidem primus injuste perpessus est frater et comminister noster Joannes episcopus vester, qui non auditus in judicio fuit : nullum crimen profertur, nullum auditur. Quodnam hoc est perniciosum consilium? ut, ne vel suppetat vel quæratur occasio judicii, in locum viventium sacerdotum alii substituuntur : quasi vero ii qui ab hoc facinore auspicati sunt, aliquid boni habere, aut aliquid recti egissse, a quoquam judicari possint. Neque enim talia unquam a patribus nostris gesta esse comperimus; quin potius ea prohibita sunt, cum nemini facultas data sit alium ordinandi in locum viventis cujuspiam. Neque enim reproba ordinatio sacerdotis dignitatem auferre potest : quandoquidem episcopus non potest esse is qui injuste substituitur. Quantum ad canonum observantiam attinet, solis illis parendum dicimus qui Nicææ definiti sunt : quos solos sectari et agnoscere debet catholica Ecclesia. Quod si a quibusdam alii proferantur, qui a Nicænis canonibus differant, et ab hæreticis compositi esse arguantur, hi a catholicis episcopis rejiciendi sunt. Nam quæ ab hæreticis sunt excogitata, catholicis canonibus conjungere non licet : semper enim per contraria et illicita Nicænorum patrum concilium labefactare student. Non solum ergo dicimus his non hærendum esse canonibus, verum etiam cum hæreticis et schismaticis dogmatibus condemnandos illos esse : quemadmodum et antea in Sardicensi synodo ab episcopis qui ante nos fuerunt, factum est. Satius enim fuerit ea condemnari quæ recte facta sunt, quam ea quæ contra canones acta sunt, firmitatem aliquam obtinere, fratres honoratissimi. Sed quid adversus ista in præsenti faciemus? Necessaria erit Synodi

cognitio, quam jam pridem congregandam esse diximus : ea quippe sola est quæ tempestates hujusmodi sedare possit. Quam ut obtineamus, e re fuerit, ut horum malorum remedium ex nutu magni Dei et Christi ejus expectemus. Omnia siquidem quæ nunc per invidiam diaboli ad fidelium probationem, commota sunt, pacabuntur, firmi ac stabiles in fide nihil a Domino non sperare debemus. Nos enim multum deliberamus quomodo œcumenica synodus celebranda sit ut per voluntatem Dei turbulenti motus sedentur. Expectemus itaque tantisper, et patientiæ muro communiti, cuncta auxilio Dei restituenda esse speremus. Omnia porro quæ vos perferre dixistis, jam antea a coepiscopis qui Romam licet diversis temporibus confugerunt; id est a Demetrio, Cyriaco, Eulisio, et Palladio, qui nobiscum sunt, sciscitando plane compereramus.

Exemplum sacræ (3) *Honorii Augusti, missæ ad principem Orientis Arcadium.*

Quamvis super imagine muliebri, novo exemplo per provincias circumlata, et diffusa per universum mundum obtrectantium fama litteris aliis commonuerim; ut talis facti pœnitentia et intermissione propositi rumor æmulus consenescat; et quod in moribus carpat, publica lingua non habeat. Quamvis etiam super excidio pereuntis Illyrici pio apud vos prodiderimus affectu, esse nobis dolori, cur ista vos detrimenta reipublicæ nolueritis agnoscere, et aliis potius indicibus quam pietatis vestræ litteris fuerint nuntiata : tamen ne illud quidem apud serenitatem vestram dissimulare nos fas est, quod in rebus divinis non sine publici discriminis metu nuperrime contigisse, cita

semperque malorum annuntiatrix fama non tacuit : et ut natura fert hominum, quæ ad obtrectandum novis semper casibus excitatur, oblata occasione carpendi, malitiam suam in tempora studio sævæ (* scevæ) loquacitatis exercet.

Est enim nuper proditum, apud Constantinopolim, sacratissimo Paschæ venerabilis die, cum omnes pene in eumdem locum vicinarum urbium populos religio castigatiore sub præsentia principum ritu celebranda collegerat, clausas subito catholicas Ecclesias, trusos in custodiam sacerdotes : scilicet ut eo potissimum tempore quo indulgentia principali, tristia noxiorum claustra reserantur, piæ legis et pacis ministros sævus carcer includeret : omniaque bellicum in modum turbata mysteria, nonnullos in ipsis Ecclesiæ sacrariis interemptos, tantamque circa altaria vim sæviisse, ut et venerabiles Episcopi in exilium traderentur, et sanguis humanus, quod dictu nefas est, cœlestia sacramenta perfunderet.

His repente compertis, turbatos esse nos fateor. Quis enim in facinore tam cruento Dei omnipotentis non timeret offensam ? aut quo pacto extra summum Romani orbis omniumque mortalium putaret esse discrimen ? Cum ipse auctor nostri Imperii, et Reipublicæ quam nobis credidit, gubernator omnipotens Deus, funestis admodum execrabilibusque commissis crederetur irasci, domini sancti frater, neposque Augusti Venerabiles : cum et si quid de causa religionis inter Antistites ageretur, episcopale oportuerit esse judicium : ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium. Sed esto, sibi de mysticis et catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpserit : ita ne usque ad exilia sacerdotum, usque ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere, ut ubi castæ preces, ubi vota sin-

cera, ubi sacrificia illibata solvuntur, illic se gladius, haud facile etiam in jugulum noxiorum distringendus, exereret? Rebus denique ipsis docetur, quid super his senserit divina majestas. Primum quidem hoc præsentis commonitionis judicium (* indicium) fuit, atque utinam solum. Facit enim humana trepidatio tanti sibi conscia perpetrari, ut gravius aliquid, quod avertat omnipotens Deus, post terribilis ultionis experimenta metuamus.

Audio Ecclesiam sacrosanctam tot imperatorum opibus expositam, pretiosis cultibus nobilem, tanta supplicantium Principum oratione augustissimam flagrasse; et illud Constantinopolitanæ urbis Ecclesiæ unicum lumen in favillas dilapsum, Deo non vetante, fumasse; execrari enim videtur inquinata mysteria, et avertisse oculos ab eo loco, quem jam sanguis infecerat, ne obsecrare quis pietatem cœlestem sub cruentis posset altaribus. Ædificia quoque divina, non minore splendore nobilia, ex concitatione sævientis incendii, flamma se latius effundente, consumpta; et quæ publicam faciem elaborata a majoribus nostris ornamenta decorabant, velut quodam orbis funere concremata. Hæc ergo quamvis crebrius injuriis lacessitus tacere debuerim, nec conjunctissimum fratrem regnique consortem tam fideliter admonere; tamen necessitudinem sanguinis stimulo taciti doloris anteferens, hortor atque suadeo, ut hæc, si fieri potest, emendatis in posterum moribus corrigantur; ac divina iracundia, quantum re proditur, excitata, votorum sedulitate placetur.

Accipite a me summum simplicitatis indicium. Idcirco hoc clementiæ vestræ insinuandum putavi, ne me velut gratulatione occulta faceret apud quemque taciturnitas ipsa suspectum: neve quis crederet, me talibus factis præbere consensum; et qui sæpe ne acciderent commonuerim, posteaquam commissa sunt non dolerem. Nam quis

posset expers doloris qui se meminit Christianum, tantam subito perturbationem religionis inductam, ut omnem catholicæ fidei statum necesse sit fluctuare? Erat inter episcopos causa, quæ collato contractoque concilio, deberet absolvi: missis ad sacerdotes urbis æternæ, atque Italiæ utraque ex parte legatis, expectabatur ex omnium auctoritate sententia, informatura regulam disciplinæ: integrum nempe esse debuerat, neque quidquam novari, dum definitio deliberata procederet: cum interea mirum quoddam præcipitium festinationis exarsit; ut non expectatis litteris sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus, in exilium traderentur Antistites, animadversioni prius addicti, quam sententiam judicii episcopalis experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque ii quorum expectabatur auctoritas, pacifica Joanni episcopo communione præmissa, sanciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum.

Quid nunc aliud superest, quam ut Catholicam fidem schismata in diversum dissociata dilacerent? quam ut hæreses communioni semper inimicæ ex tanta rerum varietate nascantur? ut jam populo non debeat imputari, si forte in dissonas partes sectarum diversitate discedat: cum ex auctoritate publica discordiarum materies sit præmissa, et fomes quidam nutriendæ seditionis animatus. Quod ne in magnam aliquam generis humani perniciem recrudescat, vota facienda sunt, ut ad humanas prolapsiones patiens Deus rem male gestam prosperet ac secundet. Nam quantum in nobis est, possumus timere quod gestum est: quantum ad pietatem semper placabilis Dei, non erit meriti impunitas indulta, sed veniæ.

EPISTOLA

Ad Episcopos et Presbyteros ob pietatem in carcere inclusos[1].

Beati vos ob carcerem, ob catenas, ob injecta vincula[2]: beati, inquam, et ter beati, imo sæpius. Totum orbem vobis conciliastis : etiam longe absentes amicos vobis fecistis. Ubique terrarum et marium canuntur vestra præclara facinora, fortitudo, constans sententia, animusque minime servilis. Nihil, quantumvis grave videatur, vos deterruit : non tribunal, non carnifex, non tormentorum multa genera, non minæ, quæ innumeras mortes nuntiabant : non judex, qui ignem ab ore spirabat, non adversarii, qui frendebant dentibus, et innumeras insidias struebant, non tantæ calumniæ, non impudentissimæ accusiones, non mors ante oculos quotidie proposita, sed hæc omnia vobis uberem potius ac sufficientem consolationis materiam præstitere. Et idcirco vos et coronant et prædicant omnes, non amici solum, sed et inimici ipsi qui hæc effecerunt; etsi non palam, sed si quis in eorum introspiciat conscientiam, illos etiam vestri admiratione teneri deprehendet. Talis res est virtus, ut illam etiam impugnatores ejus admirentur. Talis res est malitia, ut etiam ii qui eam operantur, condemnent. Et ita in hac vita res vestræ se habent : quæ autem in cœlis fiunt, quis sermo digne explicabit? Inscripta sunt nomina vestra in libro vitæ : cum sanctis Martyribus connumerati estis. Scio hæc ego certo, non quod in cœlum transcenderim, sed e di-

[1] Scripta anno 404. — [2] Vide D. Gaillon, tom. XVI, p. 502-508.

vinis oraculis didici. Nam si Joannes ille infecundæ fructus, et deserti civis, nuptiis, in quas peccabatur, patrocinatus, cum prævaricationem corrigere non posset, arguit tamen, et propterea in carcerem conjectus, et decollatus, Martyr, et Martyrum primus fuit : vos qui legibus et constitutionibus patrum, quas transgrediuntur aliqui, et sacerdotio, quod invadunt et contaminant, patrocinamini, et cum propter veritatem hæc patimini, tum ut cessent impudentes calumniæ : cogitate qualem accepturi sitis mercedem. « Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris » tui[1], » dixit fortis et sublimis ille, satisque ei fuit ad ingentem arguendi libertatem : Vos quoque dixistis, En exposita sunt etiam nostra corpora pœnis, suppliciis, tormentis : Absume, confice ista quibus voles suppliciis, adduci non possumus ut calumniemur, sed millies mori nobis satius est. At capite truncati non estis : imo long acerbiora tulistis. Non enim idem est brevi temporis momento caput amittere, et tanto tempore cum talibus luctari doloribus, terroribus, minis, carceribus, abductionibus ad tribunal, carnificum manibus, sycophantarum impudentissimis linguis, conviciis, salibus et dicacitatibus. Nam et hoc maximum certaminis genus, poniturque a beato Paulo in magnorum certaminum ordine, cum sic ait : « Recordamini dies pristinos in quibus illuminati, in» gens certamen afflictionum sustinuistis[2]. » Deinde certamen narrans, ipsum ponit sic dicendo : « Partim opprobriis » et afflictionibus spectaculum facti : partim communi» cantes iis, qui sic affliguntur. » Si ergo qui communicant, certant : multo magis qui sustinent. Non enim unam, aut duas, aut tres, sed longe plures sustinuistis mortes : etsi non experientia, certum tamen quod animo. « Gaudete » igitur et exultate[3], » Dominus cœlorum jussit non solum

[1] Matth. XIV, 4. — [2] Hebr. X, 3. — [3] Matth. V, 12.

non dolere, vel frangi animo, vel decidere, sed gaudere et exultare, quando nomen vestrum tanquam malum ejicient. Quod si in sycophantiis gaudendum; quando his accedunt calumniæ, verbera, tormenta, gladii acuti, carceres, catenæ, abductiones, traductiones, tot inimicorum catervæ, cogitate qualis merces, quam coacervatæ erunt retributiones. « Gaudete igitur, et exultate, » viriles estote, corroboramini, cogitate quot vestro exemplo ad certamina armastis, quot fluctuabundos confirmastis, quam multorum animos excitastis non præsentium modo, sed etiam absentium; non ærumnarum vestrarum conspectu, sed earum auditu solum plurimis procul positis magnam utilitatem attulistis. Continuo versetur in ore vestro illud Apostolicum dictum : « Non sunt condignæ » passiones hujus temporis ad futuram gloriam in nobis » revelandam[1]. » Expectate : brevi tentationum finis erit, liberatioque perfecta. Orate etiam jugiter pro nobis. Nam etsi longo viarum intervallo disjungimur, multoque tempore a vobis segregati sumus : attamen vos ut præsentes et nobiscum versantes complectimur, vestrum amicum caput exosculamur, coronatos victores vos expansis manibus excipimus, expectantes et ipsi ex mutua erga vos charitate lucrum maximum. Nam si magnam mercedem expectare licet iis qui vos amant : cogitate qualia vos, qui tot in certaminibus clari et insignes fuistis, maneant præmia.

[1] Rom. VIII. 18.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI

EPISTOLARUM

CLASSIS II.

EPISTOLÆ AD OLYMPIADEM ET AD ALIOS.

EPISTOLA I.

Dominæ meæ summopere venerandæ, ac religiosissimæ Olympiadi, diaconissæ, Joannes episcopus salutem in Domino.

I. Age vero mœstitiæ tuæ ulcus rursum mitigabo[1], atque cogitationes eas, quæ hanc nubem cogunt, discutiam. Quid enim est, quod animum tuum perturbat, cur doles, cur excruciaris? An quod sæva et caliginosa est hæc tempestas quæ Ecclesias occupavit, cunctaque in obscurissimam noctem commutavit, atque in dies augetur, et acerba quædam naufragia parturit, orbisque terrarum interitus ingravescit? Id ego quoque perspectum habeo, nec quisquam est, qui inficias ire queat. Ac, si vis, eorum etiam

[1] Vide D. Guillon, tom. xv, p. 482-498.

quæ fiunt imaginem quamdam effingam, quo clariorem tibi tragœdiam reddam. Mare cernimus ab imis usque gurgitibus undique revulsum, nautas mortuos summa unda natantes, alios pessum euntes, navium tabulas dissolutas, perrupta et lacerata vela, malos effractos, remos e nautarum manibus elapsos, naucleros gubernaculorum loco tabulatis insidentes, manus genibus innectentes, atque in eam consilii inopiam redactos, ut tantummodo lugeant, ac gemitus et ejulatus edant; non cœlum, non mare conspiciunt, sed densas atque obscuras tenebras, caliginemque tantam, ut ne propinquos quidem perspicere sinat: ingentem denique fluctuum sonitum, ac marinas belluas in eos, qui navigant, omni ex parte impetum facientes. Imovero quousque id persequimur, quod consequi non possumus? Quamcumque enim præsentium calamitatum effigiem exquiram, oratio vi malorum superata, pedem refert. Cæterum, etiamsi hæc perspicio, tamen meliorum rerum spem non amitto: hujusce universitatis gubernatorem ante animum proponens, qui non arte atque industria tempestatem superat, verum nutu solo procellam frangit. Quod si id haud primum ac statim facit, hæc scilicet ipsius consuetudo est, ut rerum acerbitates non in principio extinguat: verum cum creverint, atque ad finem extremum pervenerint, jamque spes omnis a permultis abjecta sit, tum denique mira atque ab hominum opinione aliena facinora edere soleat; et vim suam ostendens, et eorum, qui in calamitates incidunt, patientiam exercens. Quamobrem ne animum dejicias. Etenim una duntaxat res gravis ac pertimescenda est, o Olympias, una tentatio, nempe peccatum, atque hoc verbum nunquam tibi occinere destiti: reliqua autem omnia, mera fabula, sive insidias dixeris, sive inimicitias, sive fraudes, sive calumnias, sive maledicta, sive accusationes, sive bonorum proscrip-

tiones, sive exilia, sive gladios præacutos, sive mare, sive totius terrarum orbis bellum. Nam quæcumque tandem hæc omnia sint, certe temporaria et caduca sunt, atque in mortali corpore existunt, nec vigilanti animæ detrimentum afferunt. Quocirca etiam beatus Paulus, et jucunditatum et molestiarum hujus vitæ imbecillitatem demonstrare studens, unico vocabulo id prorsus indicavit, cum ita locutus est : « Quæ enim videntur, temporalia sunt[1] : » Quid igitur ea quæ temporaria sunt, ac fluminum instar fluunt, extimescis? Hujusmodi quippe sunt res præsentes, tam lætæ, quam molestæ. Quin alter quoque Propheta humanam omnem felicitatem, ne fœno quidem, verum alteri viliori materiæ comparavit, eam videlicet universam fœni florem appellans. Neque ipsius duntaxat partem quamdam posuit, ut opes tantum aut luxum ac delicias, aut potentiam, aut honores : verum omnia ea quæ apud mortales præclara et splendida esse videntur, unico gloriæ vocabulo complexus, ita demum subjunxit, fœni simulacrum dicens : « Omnis gloria hominis tanquam flos fœni[2]. »

II. At, inquis, gravis et acerba res est adversitas. At vide quomodo hæc quoque cum alia imagine conferatur : sicque hanc etiam contemne. Siquidem convicia et contumelias, ac probra, et offendicula ea quæ ab inimicis objiciuntur, et insidias indumento vetustate consumpto, ac lanæ exesæ comparans, his verbis utebatur : « Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis : et sicut lanam, sic devorabit eos tinea[3]. » Quamobrem nihil eorum, quæ accidunt, animum tuum conturbet : verum alium atque alium rogare et umbras persequi supersedens; neque enim aliud est humanum auxilium; Jesum, quem colis, sine ulla intermissione obsecra, ut vel

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Isaï. XL. — [3] Id. LI, 7.

solum annuat : atque omnia unico temporis momento dilabentur. Quod si obsecrasti, nec tamen malum depulsum est, id scilicet Deo usitatum est, ut non statim, ut quod superius dixi repetam, acerbitates extinguat : sed cum eæ intumuerint atque auctæ fuerint, iique qui bellum infeрunt, nihil fere ad omnem improbitatem sibi reliqui fecerint, tum denique omnia in tranquillum repente mutet, atque in inopinatos quosdam rerum status ea adducat. Neque enim tot duntaxat bona efficere potest, quot expectamus ac speramus : verum multo plura, atque infinitis partibus majora. Ob idque etiam Paulus dicebat : « Ei » autem, qui potens est facere superabundanter quam pe» timus aut cogitamus[1]. » Annon statim prohibere poterat, ne tres pueri in tentationem illam laberentur[2]? Verum id minime facere voluit, ut ingentem ipsis quæstum conciliaret. Eaque de causa eos in barbarorum quoque manus cadere passus est, ac fornacem in incredibilem quamdam altitudinem accendi, regiamque iracundiam fornace atrocius inflammari, eosque manibus ac pedibus arctissime vinciri, atque in ignem conjici. Cum autem omnes, qui eos spectabant, eorum salutem pro deplorata habuissent, tum demum subito ac præter spem omnem sese exeruit præstantissimi artificis Dei in miraculis edendis facultas, atque eximium quemdam in modum emicuit. Siquidem ignis vinciebatur, qui autem vincti erant solvebantur, ac fornax in templum, et fontem ac rorem mutabatur, regiaque aula magnificentior augustiorque reddebatur : naturamque illam edacissimam, ac ferrum etiam et lapides, atque omnem denique materiam superantem, crinium natura vincebat. Atque modulatissimus illic Sanctorum chorus stabat, utrasque res conditas ad mirificum hunc concentum invitans : hymnosque ad grati animi signifi-

[1] Ephes. III, 20. — [2] Dan. III.

cationem ad Deum transmittebant, quod videlicet vinculis constricti, quod quantum quidem in hostibus fuerat, exusti, quod patriis sedibus exturbati, quod captivi abducti, quod libertate spoliati fuissent, quod urbibus, quod domibus carerent, extorresque essent, quod denique in aliena et barbara terra degerent : hoc enim grati animi est. Postquam autem, et hostium improbitas partibus omnibus absoluta fuit : quid enim ultra mortem jam conari poterant? et pugilum virtus expleta est, atque etiam contexta corona, et præmia ipsis collecta sunt, nec jam ad gloriam nominisque splendorem quidquam restabat : tum demum scilicet mala depelluntur, et qui fornacem accenderat, eosque tam gravi supplicio addixerat, idem sanctos illos pugiles mirificis laudibus effert, ac miraculum a Deo editum prædicat, litterasque ingenti laude refertas quoquo gentium mittit, ea quæ acciderant, commemorans, atque fide dignum divinorum miraculorum præconem se præbens. Nam quoniam inimicus et hostis ipse erat, idcirco jam apud hostes etiam ab omni suspicione remota erant, quæ scribebantur.

III. Vidisti Dei solertiam? vidisti sapientiam? vidisti quid præter hominum opinionem patravit? vidisti benignitatem et curam? Proinde ne commovearis ac perturberis : verum pro omnibus rebus constanter ipsi gratias age, eumque lauda, roga, supplexque obsecra, etiamsi sexcenti tumultus, sexcentæ perturbationes ac procellæ tibi ob oculos versentur, nihil tamen horum te perturbet. Neque enim Dominus nobis rerum difficultate antevertitur, etiamsi alioqui omnia in extremam perniciem devoluta sint. Potest quippe ipse, et jacentes excitare, et errantes in viam revocare, et eos qui offendiculum passi sunt, corrigere, et eos qui innumeris peccatis cooperti sunt liberare ac probos efficere, et extinctos vita donare, et iis quæ

diruta sunt, majorem splendorem comparare, et quæ vetustatem contraxerunt, renovare. Nam cum hoc efficiat, ut quæ non erant oriantur, et iis quæ nusquam omnino cernebantur, ut sint, afferat, multo sane magis ea quæ sunt, et quæ facta sunt, emendabit. At multi sunt qui pereant, multi quibus scandalum inferatur; sed multa hujusmodi sæpe contigerunt, quæ tamen postea, eam, quam par erat, medicinam consecuta sunt: nisi qui fortasse mutatis etiam rebus, in incurabili morbo pertinaciter hæserunt. Quid autem eo nomine, perturbatione afficeris animumque dejicis, quod ille ejectus sit, ille contra introductus? Christus in crucem agebatur, ac Barabbas latro poscebatur, atque corruptum vulgus homicidam potius quam servatorem, ac tot beneficiorum auctorem conservandum esse clamabat. Quot hominibus hæc offensionem attulisse, quot hominibus exitium invexisse existimas? Verum præstat sermonem altius repetere. An non is, qui Cruci affixus est, statim ut in lucem prodiit, solum vertit, atque cum universa domo ab ipsis incunabulis in exteram terram fugitivus migravit, in barbarorum scilicet regionem tam longo itineris intervallo distantem abductus? Qua quidem ex causa ingens etiam vis cruoris profusa est, cædes et mactationes exstiterunt, teneraque omnis ætas, non secus atque in prælio et acie concidebatur, infantesque a mamillis avulsi trucidabantur, cumque lac adhuc in faucibus haberent, eorum in jugulo et collo ferrum adigebatur. Quid hac tragœdia gravius acerbiusque fingi potest? Atque hæc ab eo perpetrabantur, qui ipsum ad necem quærebat. Et tamen Deus pro sua lenitate, cum tam tragicum scelus designaretur, tantaque vis cruoris flueret, id patiebatur, id inquam, cum prohibere posset, patiebatur, arcana nimirum sapientia tantam animi æquitatem ac lenitatem præ se ferens. Postquam autem e bar-

barorum regione in patriam rediit, atque ætate auctus est, bellum undique adversus eum excitabatur. Ac primum Joannis discipuli livore concitabantur, ipsique invidebant; tametsi alioqui Joannes ipsum coleret et observaret, atque his verbis utebantur : «Qui erat tecum trans Jordanem, »ecce ipse baptizat, et omnes ad eum veniunt[1].» Hæc enim verba hominum erant, qui jam invidiæ stimulis pungerentur, atque hoc morbo laborarent. Ob eamque causam unus etiam ex discipulis, qui hanc orationem habuerant, cum Judæo quodam contendebat ac decertabat, disputationem de purificationibus movens, ac baptismum Joannis cum baptismo discipulorum Christi conferens. «Facta est» enim, inquit ille, «ex discipulis Joannis cum »Judæo quodam quæstio de purificatione[2].» Ut autem miracula edere cœpit, quot calumniis appetitus est? Alii enim Samaritanum eum et dæmoniacum appellabant, his verbis, «Samaritanus es tu, et dæmonium habes[3].» Alii impostorem, dicentes : «Hic non est ex Deo, sed seducit »turbam[4].» Alii præstigiatorem, his verbis utentes : «In »Beelzebul principe dæmoniorum ejicit dæmonia[5].» Ac subinde hæc repetebant, Deique hostem et helluonem ac voracem et vino deditum, atque improborum ac perditorum hominum amicum eum vocabant. «Venit» enim, inquit, «filius hominis manducans et bibens, et dicitis : Ecce »homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum »amicus[6].» Quin etiam cum ipse cum scorto colloqueretur, falsum prophetam eum nuncupabant. «Si enim pro»pheta esset, inquiebant, sciret quæ et qualis est hæc mu»lier quæ loquitur ad eum[7].» Denique quotidie adversus eum dentes acuebant. Nec vero Judæi duntaxat ad hunc modum eum bello lacessebant. Nam ne ii quidem, qui ip-

[1] Joan. III, 26. — [2] Ibid. 25. — [3] Id. VIII, 48. — [4] Id. VII, 12. — [5] Matth. IX, 34. — [6] Luc. VII, 34. — [7] Ibid. 39.

sius fratres esse credebantur, sincero erga eum animo erant, verum a propinquis ipsis bellum in eum movebatur. Perspice quippe ex his quæ Evangelista postea subjiciebat, quomodo ipsi quoque corrupti erant : « Neque enim ipsius » fratres credebant in eum[1]. »

IV. Porro quoniam multos offensos fuisse atque recta via aberrasse commemoras, quot, quæso, discipulos fuisse putas, qui crucis tempore offensi sint? Unus prodidit, alii in fugam se contulerunt, alius abjuravit: cumque omnes secessissent, solus ipse vinctus ducebatur. Quot igitur homines tibi videntur, cum non ita pridem eum res miras efficientem, mortuos excitantem, leprosos purgantem, dæmones expellentem, panes fontis instar effundentem, ac denique alia miracula perpetrantem vidissent, eo tempore offensi fuisse, cum eum solum abduci, ac vinctum teneri conspicerent, vilibus et abjectis militibus eum cingentibus, Judaicisque sacerdotibus a tergo sequentibus ac tumultuantibus : atque hostes omnes solum eum sibi hærentem in medio habentes, præsentemque ac tutum insolenter se efferentem proditorem? Quid, cum flagris cæderetur? Verisimile enim est infinitam multitudinem affuisse. Erat quippe festum perillustre, quod omnes congregabat : et metropolis erat, quæ nefarii sceleris tragœdiam exceperat : et meridiano tempore res gerebatur. Quot igitur mortales tunc affuisse existimas, qui cum eum vinctum, flagris affectum, cruore stillantem atque ad præfecti tribunal causam dicentem, nec discipulorum quemquam præsentem cernerent, animis offensi sint? Quid cum variis ipsi modis illudebant, atque nunc eum spinea corona donabant, nunc chlamydem ipsi imponebant, nunc calamum in manum dabant, nunc procumbentes eum adorabant, nullum denique irrisionis ac ludibrii genus præter-

1 Joan. VII, 5.

mittebant? Quot homines offensos, atque agitatos et perturbatos fuisse arbitraris, cum in malam eum feriebant, atque his verbis utebantur, « Prophetiza nobis, Christe, » quis est qui te percussit[1]; » atque ipsum huc et illuc ducebant, totum diem in cavillis et conviciis, in ludibrio et risu consumentes, idque in medio Judæorum theatro? quid cum Pontificis servus alapam ipsi impingeret? quid, cum milites ipsius vestimenta inter se partirentur? quid, cum nudus ac verberum notas in tergo inustas gerens, ad crucem abduceretur, atque in crucem tolleretur? Nam ne tum quidem immanes illæ feræ molliebantur, verum majori etiam furore præcipites ferebantur, tragœdiaque ingravescebat, ac ludibria crescebant. Alii enim dicebant: « Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas » illud. » Alii item: « Alios salvos fecit: se ipsum non » potest salvum facere. » Alii rursum: « Si filius Dei es, » descende de Cruce, et credemus tibi[2]. » Quid, cum spongiam, fel, et acetum potionis causa offerentes, per summam contumeliam ipsi insultabant? quid, cum latrones maledictis eum proscindebant? quid horrendum illud maximeque nefarium scelus, quod etiam a me jam commemoratum est, nempe cum latronem illum ac parietum effractorem, innumerisque cædibus coopertum, digniorem, quam ipsum, esse dicebant, quem petitione sua supplicio eximerent: dataque a Judice optione, Barabbam prætulerunt: nimirum non Christum duntaxat cruce afficere, sed etiam improbam famam ipsi inurere cupientes? Hinc enim se illud probare posse statuebant, quod latrone quoque sceleratior esset, tantisque flagitiis devinctus, ut nec misericordia, nec festi dignitas salutem ipsi afferre posset. Huc enim actiones omnes suas referebant, ut ipsius existimationem læderent; eaque de causa duos etiam latrones

1 Matth. xxvi, 68. — 2 Id. xxvii, 40, 41.

una cum ipso cruci affixerunt. At veritas non obscurabatur; imo splendidius elucebat. Ad hæc etiam affectatæ tyrannidis eum insimulabant, his verbis: « Quicumque » se regem facit, non est amicus Cæsaris[1]: » tyrannidis videlicet eum arcessentes, qui ubi caput reclinaret non habebat. Quin blasphemiam quoque ipsi per calumniam objiciebant. Pontifex enim scidit vestimenta sua, dicens: « Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus[2]? » Quid mors ipsius? Nonne violenta? nonne capitalis noxæ convictorum? nonne execrandæ improbitatis hominum? nonne turpissima? nonne eorum, qui gravisssimis flagitiis sese obstrinxissent, ac ne digni quidem essent, qui in terra extremum vitæ spiritum emitterent? Annon sepulturæ genus beneficii gratiæque loco ipsi præstatur? Accedens enim quispiam corpus petiit. Adeo ne ex propinquis quidem, nec ex iis, quos beneficiis affecerat, nec ex discipulis, nec ex iis qui tantam ab eo fiduciam ac salutem obtinuerant, quisquam erat, qui eum sepulturæ mandaret: quod videlicet omnes evanuissent, omnes profugissent. Jam sinistra ea et improba fama, quam per resurrectionem struxerant, dicentes: « Venerunt discipuli ejus, et » furati sunt eum[3], » quam multis offensioni fuit? quam multos in fraudem impulit? Siquidem hic sermo, quamquam falsus, ac pretio emptus, tum valuit. Valuit, inquam, apud nonnullos, post sigilla, post tantam veritatis perspicuitatem. Neque enim promiscuum vulgus resurrectionis doctrinam norat. Nec mirum, cum ne ipsi quidem discipuli eam nossent. Neque enim, inquit ille, discipuli ejus » sciebant, quod oporteret eum a mortuis resurgere. » Quam multos igitur illis diebus fuisse putas, qui offensi sint? Et tamen Deus pro sua lenitate id ferebat, arcana sua sapientia omnia administrans.

[1] Joan. xix, 12. — [2] Matth. xxvi, 65. — [3] Id. xxviii, 13.

V. Deinde post eos dies discipuli rursum latitantes, fugati, metu perterriti, trementes, ac de loco in locum subinde migrantes, sese occultabant: atque post quinquaginta dies cum sese conspiciendos præbere ac miracula edere cœpissent, ne sic quidem tamen hoc consecuti sunt, ut nihil ipsis metuendum esset. Etenim post signa illa edita, infinita offendicula inter imbecilliores fuere: quod ipsi virgis cæderentur, Ecclesia turbaretur, ipsis expulsis, hostes multis in locis superiores essent, ac tumultus cierent. Nam cum ingentem ob miracula fiduciam loquendique libertatem adepti fuissent, tunc rursum Stephani mors gravem persecutionem accersivit, omnesque dispersit, atque Ecclesiam in tumultum et perturbationem conjecit: rursumque discipuli in metu, rursum in fuga, rursum in summa sollicitudine atque angore versari cœperunt. At sic quoque tamen Ecclesiæ res semper augebantur, cum per signa florebant, cum læta principia habebant. Et unus quidem per fenestram demittebatur, sicque e Præfecti manibus elapsus est: alios autem Angelus eduxit, sicque a vinculis liberavit; alios rursum ab iis qui opibus ac potentia florebant, vexatos et exagitatos, circumforanei homines atque opifices omni officii genere complectebantur, purpurariæ nempe mulieres, ac tentoriorum artifices, et coriarii, in extremis urbium recessibus atque ad littus et mare habitantes. Persæpe etiam ne in mediis quidem urbibus comparere audebant; aut si audebant, hospites certe eos excipere haudquaquam audebant. Atque ad hunc modum per tentationes, et animorum recreationes negotia texebantur: et qui non multo ante offensi fuerant, postea sanabantur: et qui aberraverant, in viam reducebantur: et quæ prostrata ac solo æquata fuerant, præclarius et magnificentius instaurabantur. Ob eamque causam cum Paulus precibus contendis-

set, ut per quietem solam et tranquillitatem Evangelium progrederetur, sapientissimus ac solertissimus Deus discipulo morem minime gessit, nec, cum sæpe rogaretur, precibus ipsius cessit, verum his verbis usus est. «Sufficit » tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perfici- » tur[1]. » Si igitur nunc cum molestiis lætos quoque successus subducere volueris, si non multa signa et miracula, at multas tamen res miraculis non dissimiles conspicies, quæ quidem ingentis Dei providentiæ atque auxilii perspicua argumenta sint. Verum ne omnia nullo cum labore a nobis audias, hanc tibi partem relinquo, ut accurate ac diligenter cuncta colligas, atque cum rebus molestis et acerbis conferas, sicque præclara occupatione animum distinens, teipsam a mœstitia et angore avoces. Hinc enim maximam consolationem percipies. Tu velim universæ tuæ benedictæ domui plurimam a me salutem dicas. Faxit Deus ut et firma corporis valetudine, et læto atque hilari animo semper sis, domina mea summopere veneranda, et religiosissima.

Si vis mihi longiores scribere litteras, hac de re me certiorem facito, nec me decipias; nempe te omnem animi mœrorem deposuisse, et in tranquillitate agere. Nam in hoc situm est litterarum mearum remedium, ut tibi magnam animi lætitiam pariant: ac frequentes accipies epistolas. Verum ne mihi iterum scribas, te magnam ex litteris meis accipere consolationem; nam illud ego probe novi; sed tantam quantam ego cupio; ita ut neque animo perturberis, neque lacrymas effundas; sed tranquille et cum gaudio degas.

[1] 2 Cor. XII, 9.

EPISTOLA II

Ad eamdem[1].

I. Quanquam Epistola ea, quam nuper ad te misi, ad doloris tui tumorem comprimendum abunde sufficiebat: tamen quia mœroris acerbitas majorem in modum te afflixit, idcirco necesse mihi esse existimavi alteram quoque epistolam superiori adjungere, quo tu copiosam et uberem consolationem percipias, ac jam valetudo tua in tuto versetur. Age igitur, aliunde quoque pulverem eum, quem ex animi mœrore contraxisti, discutiam. Siquidem eum ex ulcere, gravissimisque tumoribus in pulverem conversum esse existimo: verum ne sic quidem valetudinis tuæ cura deserenda est. Etenim pulvis quoque, nisi quis eum summo studio propellat, parti omnium præstantissimæ exitium affert, pupillæ nimirum perspicuitatem inficiens, ac totum mœrentis oculum turbans. Ne igitur hoc quoque hic accidat, mali reliquias summa cura et studio evellamus. At tu quoque te erige, manumque nobis præbe. Nam quemadmodum in iis qui ægro corpore sunt evenire solet, ut si medici quidem ea quæ muneris sui sunt, præstent, illi autem partes suas minime expleant, sanitatis lucrum interrumpatur: eodem modo in anima quoque res sese habere consuevit. Quamobrem ne hoc accidat, pro ea prudentia, quæ abs te postulatur, da operam, ut tuas quoque partes obeas: quo utraque ex parte ingens utilitas oriatur. At forte dices, cupio quidem istud, verum nequeo, nec, quamvis etiam magnam contentionem

[1] Cucuso anno 404.

adhibens, densæ tamen atque atræ mœroris nubi propulsandæ par sum. Meræ excusationes ac meri prætextus ista sunt. Novi enim mentis tuæ nobilitatem, piæ tuæ animæ robur, prudentiæ magnitudinem, sapientiæ vim; scioque sat tibi esse furenti huic mœstitiæ mari imperare, ut tranquilla omnia reddantur. Verum quo id facilius consequi possis, ea quoque quæ nostrarum partium sunt, conferamus. Quanam igitur ratione id efficere poteris? Nempe si et ea omnia quæ superiore Epistola continentur, tecum consideres; siquidem multa a me, quæ ad hoc argumentum spectent, in ea commemorata sunt; ac præterea hoc agas quod tibi nunc ego impero. Quidnam autem hoc est? Cum ad te allatum fuerit, Ecclesiarum aliam pessum iisse, aliam tempestate jactari, aliam sævis fluctibus obrui, aliam etiam gravissimis cladibus affici; aliam lupum pro pastore, aliam prædonem pro gubernatore, aliam carnificem pro medico accepisse, doleas quidem licet; neque enim hæc sine doloris sensu ferre oportet: verum ita doleas, ut modum dolori imponas. Nam cum in iis rebus, in quibus ipsi peccamus, et de quibus rationes reddituri sumus, minime necessarium ac tutum sit, verum perquam funestum ac pestiferum, nimis vehementer discruciari: quanto magis supervacaneum et vanum est, imo Satanicum atque animæ exitiosum pro alienis sceleribus animo frangi ac debilitari?

II. Atque ut hæc ita esse intelligas, veterem tibi historiam narrabo[1]. » Vir quidam Corinthius, sacrosancta unda tinctus, ac per baptismi sacramentum lustratus, tremendæque etiam mensæ adhibitus, atque, ut summatim dicam, omnium religionis nostræ mysteriorum particeps factus, ac præterea, ut plerique aiunt, magistri munere fungens, post sacram illam initiationem, post arcana illa

[1] 1 Cor. v.

bona ad quæ admissus fuerat, post primos dignitatis gradus quos in Ecclesia obtinuerat, in gravissimum crimen incidit. Nam cum patris uxorem sceleratis oculis conspexisset, non in hac improba et nefaria cupiditate gradum fixit, verum etiam impudicam voluntatem in opus perduxit : atque hoc scelus non modo stuprum erat, sed etiam adulterium, imo adulterio quoque multo atrocius. Ob idque beatus Paulus, re cognita, cum proprium ac satis dignum huic sceleri nomen imponere minime posset, alio modo flagitii hujusmodi magnitudinem et gravitatem declarat, his verbis utens : « Omnino auditur inter vos » fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes no» minatur. Non dixit, nec perpetratur : sed, nec nomina» tur[1] : » his videlicet verbis incredibilem quamdam sceleris illius magnitudinem indicare cupiens. Et quidem eum diabolo addicit, atque ab universa Ecclesia exscindit ; ac ne ad communem quidem mensam ipsum admittendi potestatem cuiquam facit. Cum ejusmodi enim homine ne cibum quidem capere fas esse ait[2]. Denique magno impetu fertur, extremam ab eo pœnam expetens, carnificemque ad eam rem Satanam adhibens, ac per illum carnem ipsius lacerans. Et tamen is qui ab Ecclesia hominem absciderat, qui ne profanam quidem mensam communem cum eo habere cuiquam permiserat, qui omnibus luctum ipsius causa indixerat ; « Et vos inflati estis, inquit, et non » magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum » qui hoc opus fecit[3] ; » qui eum non secus ac pestiferum quemdam undecumque pellebat, qui ex omnium ædibus excluserat, qui Satanæ tradiderat, is, inquam, qui tantum ab eo supplicium exigebat, postquam eum dolore affectum, scelerisque admissi pœnitentem vidit, palinodiamque reipsa canentem, in hunc modum ipse quoque sententiam

[1] 1 Cor. III, 1. — [2] Id. v, 11. — [3] Ibid. 2.

retexuit, ut iis quibus hæc edixerat, contraria jam imperaret. Nam qui dixerat, Exscindite, rejicite, lugete, ac diabolus ipsum arripiat, quid ait? « Firmate in eum charitatem, ne abundantiori tristitia hujusmodi homo absorbeatur, ac circumveniamur a Satana. Non enim ipsius cogitationes ignoramus[1]. » Vides-ne quemadmodum Satanæ instinctum redoleat, laqueique ipsius opus sit, immodico dolore affici, ut qui videlicet salutare pharmacum per immoderationem in venenum convertat? Siquidem in venenum degenerat, atque hominem Satanæ tradit, cum modum excesserit. Ideoque dicebat : « Ne circumveniamur a Satana. » Quod perinde ac si diceret : Ingenti scabie cooperta pecus hæc erat, a grege remota est : ab Ecclesiæ cœtu abrupta. Verum morbum depulit, atque in pristinum statum restituta est, ea enim pœnitentiæ vis est. Ad gregem nostrum jam rediit. Prorsus eum alliciamus, supinis manibus excipiamus, amplectamur, exosculemur, nobis ipsis adjungamus. Nisi enim id facere in animum induxerimus, fraudat jam nos Satanas, non suum accipiens, sed eum qui noster effectus est, per socordiam nostram, atque immodicum ipsius mœrorem demergens, sibique in posterum asserens. Ob idque etiam subjunxit : « Non enim ipsius cogitationes ignoramus[2], » nempe quod etiam per ea, quæ cum utilitate conjuncta sunt, cum non, ut par est, fiunt, eos qui animum haud satis attendunt, in fraudem impellere consuevit.

III. Quod si pro eo scelere, et quidem tam gravi, quod quispiam commisit, Paulus eum nimio mœrore se conficere non sinit, verum summam diligentiam adhibet, nihilque non agit ac molitur, quo mœroris tumorem exscindat, Satanæ videlicet ac diaboli circumscriptionem hujusmodi immoderationem esse, atque ab ipsius versu-

[1] Cor. II, 8. — [2] Ibid.

tia, et improbis cogitationibus proficisci asserens; annon extremæ stultitiæ atque insaniæ est, pro peccatis alienis, et de quibus aliis judicium subeundum ac pœna luenda est, in tanto dolore et cruciatu versari, ut etiam densissimas tenebras, ingentemque tumultum et confusionem ac perturbationem, atque horrendam tempestatem animo invehas? Quod si mihi rursum eadem dixeris, nimirum te velle, sed minime posse, rursum tibi eadem quoque ipse regeram, nempe meras excusationes merosque prætextus hæc esse. Nervos enim philosophicæ animæ tuæ cognitos ac perspectos habeo: ut autem alia quoque ratione faciliorem tibi adversus importunum hunc et pestiferum mœrorem pugnam, ac victoriam reddam, hoc rursus, quod jubeo, facias velim. Cum aliquem hanc perniciem commemorantem audieris, ab hujusmodi cogitatione quam primum te remove, atque ad formidandi illius diei cogitationem curre, tecumque horrendum illud tribunal considera, incorruptum judicem, igneos amnes, qui pro illo tribunali trahuntur, et ardentissima flamma ebulliunt, peracutos gladios, atroces pœnas, cruciatum sempiternum, tetram caliginem, exteriores tenebras, pestiferum vermem, vincula quæ nulla vi frangi queant, dentium stridorem, ejulatum consolationis expertem, orbis theatrum, vel potius utriusque naturæ theatrum, hoc est superioris et inferioris. « Virtutes enim cœlorum movebuntur[1], » ait Christus. Nam etsi nullius sceleris sibi consciæ, nec judicium subituræ sunt, tamen universum hominum genus conspicientes, atque infinitas nationes causam dicentes, non sine metu illic astabunt. Tantus videlicet tunc terror erit! Hæc considera, eaque argumenta, ex quibus elabendi ratio nulla sit. Neque enim accusatoribus judex ille opus habet, nec testibus, nec argumentis, nec

[1] Matth. XXIV, 29.

probationibus : verum omnia, ut gesta sunt, in medium profert, atque ante oculos eorum qui deliquerunt. Tum nemo qui e supplicio eripiat, adfuturus est, non pater, non filius, non filia, non mater, non alius quispiam cognatus, non vicinus, non amicus, non patronus, non pecuniarum largitio, non opum amplitudo, non auctoritatis ac potentiæ tumor; verum hæc omnia, non secus ac pulvis e pedibus excussa sunt, ac solus is qui causam dicit, ex iis quæ ab ipso gesta sunt, vel absolvitur, vel condemnatur. Tunc nemo ob ea quæ alius perpetravit, in judicium vocatur, sed pro iis quæ ipsemet commisit. His igitur omnibus in unum coactis, atque hoc terrore adaucto, Satanicæque ac perniciem animo afferenti mœstitiæ opposito, ita demum adversus eam in acie sta : in qua vel ipso oblato eam facilius, quam araneæ telam, discerpere ac de medio tollere poteris. Nam ea præterquam quod inanis ac supervacanea est, ingens quoque detrimentum ac perniciem parit. Contra timor ille necessarius est, et commodus atque utilis, magnoque cum emolumento ac fructu conjunctus. Verum imprudens orationis impetu abstractus sum : atque, cum id tibi minime conveniret, hoc mihi sumpsi, ut te monerem : mihi enim, iisque qui mei instar scelerum mole depressi atque obruti sunt, necessaria est hæc oratio. Terret enim atque excitat : tibi autem tot virtutum ornamentis florenti, atque adeo ipsum cœlorum axem jam attingenti, ne tantillum quidem timoris afferre queat. Idcirco ad alterum musices genus me convertam, te alloquens, ac nervum alterum pulsabo : quandoquidem hic te metus perstringere nequit, nisi quantum Angelos quoque perstringit. Quocirca huc quoque nos convertamus : ac tu etiam simul cum oratione nostra te converte, atque eorum quæ recte et cum laude gessisti præmia cum animo tuo reputa, luculentas palmas, splendidas coronas,

choream cum virginibus, sacros thalamos; cœlorum cubiculum, sedem cum Angelis, fiduciam et familiarem cum sponso consuetudinem, mirabilem illum splendorem, bona illa quæ sermonem omnem ac mentis captum excedunt.

IV. Ne sermones meos propterea carpe, quod te in virginum chorum et classem ascripserim sanctarum illarum quæ in viduitate vixisti. Sæpe enim me, tum privatim, tum publice audisti, cum quæ virginitatis definitio esset, explicarem, illudque contenderem, nihil unquam impedimento fore, quominus ea in virginum numerum et ordinem referretur, imo etiam eas longo intervallo superaret, quæ in cæteris rebus ingentis philosophiæ specimen edidisset. Eaque de causa Paulus etiam cum virginem describeret, non eam duntaxat quæ matrimonii virilisque concubitus expers esset, virginem appellavit[1], verum etiam eam cui ea, quæ ad Dei cultum pertinerent, curæ essent. Quin ipse quoque Christus, ostendens quantum eleemosyna, cujus tu jamdiu principatum tenes, ac coronam adepta es, virginitatem antecellat, ex virginum choro dimidiam partem ejecit, quoniam absque hac virtute ingressæ fuerant, vel potius quia eam haud copiose possidebant. Etenim oleum habebant, at parcius quam conveniret. Contra, eos qui sine virginitate accesserant[2], quod misericordia ornati essent, honorifice excepit, benedictos patris sui eos appellans, ad se vocans, regnique hæreditatem ipsis impertiens, ac spectante universo terrarum orbe virtutes eorum prædicans. Atque adeo præsentibus Angelis atque universo mortalium genere, ipsos nutricios et hospites suos nuncupare non dubitavit. Hanc tu quoque beatam vocem tunc audies; hanc tu mercedem amplissime consequeris. Porro cum

[1] 1 Cor. vii, 34. — [2] Matth. xxv, 34.

pro eleemosyna sola tanta præmia, tantæ coronæ, tanta claritas, tantus splendor, tanta gloria percipiatur, si alias quoque virtutis tuæ partes recenseam, quam tandem veniam obtinere queas, quæ cum ideo festum agere, exsultare, choros ducere, ac corona caput devincire deberes, te ipsam contra, quia alius furore captus est, alius præcipitem se dedit, angore conficias, facilemque diabolo, quem ad hunc usque diem lancinare non destitisti, adversus sanctam animam tuam incursum reddas. Nam quid variam ac multiplicem patientiam tuam commemorem? quæ oratio, quod historiæ volumen ad eam rem mihi satis esse queat, si calamitates eas, quas a puerili ætate ad hoc usque tempus pertulisti, recensere velim; hoc est, quas tam a tuis, quam ab alienis, tam ab amicis, quam ab hostibus, tam ab iis qui tecum genere conjuncti erant, quam qui nullo propinquitatis gradu te attingebant, tam ab iis qui potentia florebant, quam ab humilibus et abjectis, tam ab iis qui magistratu fungebantur, quam a privatis, ac denique ab iis qui inter clericos censebantur, accepisti? Nihil enim horum est, quod, si sigillatim ab aliquo referatur, integram historiam efficere nequeat. Quod si quis ad alia jam hujusce virtutis genera se convertat, easque afflictiones, quas non jam alii, sed ipsamet tibi accersivisti, oratione complectatur, quod saxum, quod ferrum, quem adamantem non reperiet abs te superatum? Nam cum carnem usque adeo teneram ac delicatam, atque omni luxus generi assuetam accepisses, eam variis afflictionibus ita oppugnasti, ut nunc nihilo meliore statu sit, quam si prorsus extincta esset. Tantum enim in ea morborum examen excitasti, ut et medicorum artem, et medicamentorum vim ac facultatem, et omne curationis genus vincat, atque ipsa in perpetuis doloribus verseris.

V. Jam vero si quis tuam in mensa et in nocturnis vigiliis

tolerantiam et asperitatem exponere velit, qua utatur oratione? Quanquam continentiæ aut tolerantiæ vocabulo in te jam non est quod quispiam utatur : verum aliud his virtutibus nomen multo præstantius exquirendum est. Siquidem eum continentia ac tolerantia præditum esse dicimus, qui cupiditate aliqua vexatur, eamque vincit. Tu autem, quid vincas, jam non habes. Tanto enim impetu adversus carnem jam inde ab initio irrupisti, ut ipsius cupiditates extinxeris : non enim equum frenasti, sed plane constrinxisti : atque humi prostravisti, immotumque reddidisti. Ac tum quidem omnes continentiæ numeros explevisti : nunc autem id jam consecuta es, ut omni perturbatione careas. Neque enim negotium tibi facessit deliciarum cupiditas, neque ut eam superes, laboras : verum ea semel de medio sublata, omnique ipsi ad carnem tuam aditu præcluso; ventrem tantum cibi ac potus capere docuisti, quantum necesse est, ne intereas, ac pœnam luas. Ob eamque causam non jejunium, non continentiam id voco, sed aliud quiddam hoc sublimius. Atque hoc in sacris quoque tuis vigiliis perspicere licet. Nam dormiendi cupiditas una cum superiore illa extincta est : cibo quippe somnus alitur. Quin hanc quoque alia ratione oppressisti; dum ab initio naturæ etiam vim intulisti, integrasque noctes insomnes duxisti ac denique assidua consuetudine in naturam hoc convertisti. Ut enim aliis dormire naturale est : eodem modo tibi vigilare. Atque hæc quidem mirifica et stuporis plena sunt, etiamsi per se considerentur. Quod si quis tempus etiam expendat; immaturam nempe, in qua hæc præstabas, ætatem, et magistrorum penuriam et eorum qui offendiculo tibi erant, frequentiam, et quod in ea anima, quæ ex impia domo ad veritatem nunc transfugerat, et quod in corpore muliebri, atque alioqui propter majorum splendorem ac

luxum, molli et delicato, quanta ei cuncta hæc sigillatim consideranti miraculorum maria se aperient? Quocirca ne aliorum quidem mentionem facturus sum, hoc est, humilitatis, charitatis, ac cæterarum sanctæ animæ tuæ virtutum. Siquidem dum hæc recordor et commemoro, sexcentos mihi rursum fontes animus protulit, ac me harum etiam, ut et prioris, sigillatim saltem genera ipsa, vel potius argumenta duntaxat, referre cogit: nam illud infinitam orationem requireret. Verum ne ab ea, quam exequi. institui, materia excidam, in immensum pelagus præcipitem me auferri haud patiar. Nam alioqui, nisi id nunc mihi propositum esset; ut mœstitiam tuam radicitus ex animo tuo evellerem, lubens in hac oratione versarer, atque immensum pelagus, vel immensa potius maria navigarem: multiplices nimirum singularum virtutum tuarum vias obiens, quarum singulæ novum rursus pelagus procrearent, sive de patientia mihi sermo esset, sive de humilitate, sive de omnis generis eleemosyna, ad ipsos usque orbis terrarum fines diffusa, sive de charitate, quæ innumeras fornaces ardore superat, sive de infinita atque ingenti lepore perfusa, naturæque modum excedente prudentia. Quinam autem hinc fructus orti sint, si quis narrare instituat, perinde faciet, ut si quis maris fluctus numerare aggrediatur.

VI. Quocirca vastissimis his maribus præteritis, leonem ab ungue demonstrare conabor: pauca nimirum de vestitu tuo atque indumentis, quibus corpus tuum neglectim amictum est, verba faciens. Quanquam enim hæc virtus aliis cedere videtur, tamen si quis eam accurate perpenderit, admodum ingentem eam esse reperiet, atque ejusmodi, quæ sapiente animo, ac humana superante, et ad ipsum usque cœlum volitante opus habeat. Ac propterea non in Novo duntaxat, sed etiam in Veteri Testa-

mento, cum per umbram ac figuram Deus hominum genus, atque ea quæ ad vivendi rationem pertinebant, crassius quodammodo moderabatur, necdum de cœlestibus rebus verbum, nec de futuris ulla mentio erat, nec philosophiæ hujus quæ nunc viget, ulla vel obscura significatio, verum pinguiore quodam et crassiore modo leges Hebræis scribebantur, elegantioris vestitus studium vehementissime interdicens, per Prophetam sic ait : « Hæc » dicit Dominus adversus dominatrices filias Sion : Pro eo » quod elevatæ sunt filiæ eorum, et ambulaverunt extento » collo, et nutibus oculorum et progressu pedum tunicas » trahebant, et pedibus suis simul ludebant : et humiliabit » Dominus dominatrices filias Sion, et denudabit habitum » earum, et auferet gloriam vestimenti earum. Et erit tibi » pro suavi odore pulvis, et pro zona funiculo cingeris, et » pro ornamento capitis tui calvitium habebis propter » opera tua ; et pro tunica clavatæ purpuræ sacco cingeris[1]. » Hæc tibi ornamenti loco erunt. Vides iracundiam, omnem sermonis vim superantem? vides acerbissimum supplicium et cruciatum? vides acerrimam captivitatem. Hinc peccati magnitudinem conjicias licet. Neque enim benignus Deus tam gravem et acerbam pœnam unquam inflixisset, nisi peccatum, quod eam accerseret, longe gravius esset. Quod si magnum hoc scelus est, virtus ea quæ ipsi opponitur haud dubie maxima. Ac proinde Paulus quoque, cum ad mulieres eas quæ mundanam vitam complexæ sunt, orationem haberet, non modo ab auro gestando eas abducit, sed ne sumptuosis quidem vestibus utendi potestatem ipsis facit[2]. Norat enim, perspicue, inquam, norat, gravem hunc, ac profligatu perdifficilem animi morbum esse, corruptæque mentis apertissimum indicem, quique sapienti animo opus haberet. Id quod

[1] Isai. III, 15. — [2] I Tim II, 9.

indicant non eæ duntaxat fœminæ quæ commune vitæ genus sequuntur, matrimonioque cum viris copulatæ sunt, quarum nulla huic consilio facile paruit : verum etiam eæ, quæ philosophiæ speciem præ se ferunt, atque in virginum chorum ascriptæ sunt. Permultæ enim ex ipsis, cum ad vim naturæ inferendam se accinxerint, cumque virginitatis curriculum sine ulla labe conficiant, atque angelicam in hac re vitæ rationem imitentur, et in mortali corpore resurrectionis præludia ostendant; « In illo enim » sæculo, inquit Christus, nec nubent, nec nubentur[1] ; » atque cum virtutibus illis quæ corpore vacant, certamen susceptum habeant, et in mortali corpore cum naturis ab omni interitu alienis, contendant, idque quod multi ne auribus quidem ferre possunt, re ipsa præstent, et libidinem non secus ac rabidum canem, perpetuoque insultantem propulsent, et mare furens comprimant, et inter immanes fluctus tranquille navigent, et perturbatissimo mari ex animi sententia ferantur, atque in naturalis cupiditatis fornace stantes haud tamen deflagrent, verum instar luti carbones istos pedibus premant; hac tamen cupiditate turpiter admodum ac misere captæ sunt, cumque ea quæ majora erant, præstitissent, huic vitio succubuerunt.

VII. Tanta enim res est virginitas, tantoque labore indiget, ut Christus, cum e cœlo descendisset, ut homines Angelos efficeret, ac cœlestem vitæ rationem hic sereret, ne tum quidem id imperare, ac lege lata præscribere ausus sit, verum emori quidem ; quo quid gravius excogitari queat? ac perpetua cruce affici, hostesque beneficiis prosequi jusserit, virginitatem autem minime præceperit, verum eam in audientium arbitrio ac voluntate reliquerit, his verbis utens : « Qui potest capere, capiat[2]. » Etenim

[1] Luc. xx, 35. — [2] Matth. xix, 12.

magna hujus rei moles est, magna certaminum horum difficultas, et pugnarum sudor, atque hic virtutis locus admodum præceps ac lubricus. Id quod etiam declarant, qui in Veteri Testamento multis virtutibus floruerunt. Siquidem magnus ille Moses, Prophetarum caput, sincerus Dei amicus, quique tantam apud eum fiduciam et auctoritatem obtinuit, ut sexcenta hominum millia, supplicio obnoxia, divinitus immissæ plagæ eriperet; vir, inquam, tantus ac tam insignis mari quidem imperavit, et pelagus secuit, et rupes fregit, et aërem immutavit, et Niliacam undam in cruorem convertit, et ranarum ac locustarum exercitum Pharaoni opposuit, et res omnes conditas in novam naturam transtulit, aliaque infinita miracula edidit, atque multa virtutis documenta præbuit : nam utraque ex parte claruit; verum ad hæc certamina ne oculos quidem obvertere potuit, sed matrimonio, et uxoris complexu, atque hujusmodi præsidio indiguit, nec virginitatis mari, quod illius fluctus pertimesceret, se committere ausus est. Quin etiam Patriarcha iste[1], filii sui sacrificus, violentissimum naturæ affectum proculcare potuit, ac filium, et quidem filium Isaac, in ipso ætatis flore, in ipso juvenilis ætatis vigore, unigenitum, carum, ac præter spem omnem ipsi concessum, et multis virtutibus florentem, quoque solo nitebatur, etiam in extrema senectute morte afficere voluit, cumque in montem subvehere, cum ad tale facinus subvecturus esset, potuit, atque aram extruxit, et ligna composuit, et victimam imposuit, et mucronem arripuit, cumque pueri jugulo adegit : nam adegit ac cruentavit adamas ille, imo adamante omni firmior : etenim hoc quidem ille vi naturæ habet; hic autem per philosophicam voluntatem, naturalem illam firmitatem et duritiem imitatus est, atque angelicam tran-

[1] Gen. xxii, 6.

quillitatem omni perturbatione vacuam præstitit. Et tamen is qui tantum tamque præclarum certamen inire potuit, atque ex ipsis naturæ finibus excessit, virginitatis certamen suscipere minime ausus est : verum ipse quoque hanc palæstram extimuit, matrimoniique solatium est amplexus.

VIII. Vis Jobum etiam his adjungam? Justum inquam illum, veri amantem, pium, atque ab improba omni actione sese abstinentem? Hic igitur Job diaboli os contudit; percussus ipse, non percutiens, totam illius pharetram exinanivit; cumque assiduis ab ipso sagittis peteretur, omnia tamen tentationum genera sustinuit, et unumquodque immanem in modum[1]. Nam quæ in hac vita molestiæ speciem habent, et revera molesta sunt, hæc præsertim sunt, paupertas, morbus, filiorum amissio, hostium impetus, amicorum ingratus animus, fames, perpetui corporis dolores, convicia, calumniæ et sinistra existimatio. Quæ omnia in unum corpus effusa, atque adversus unam animam structa sunt, quodque etiam gravius est, inopinantem adorta sunt. Quod autem dico sic intelligendum : Qui tenuibus parentibus ortus est, atque in ejusmodi domo educatus, paupertatis molestiam facile tulerit; utpote usu et consuetudine exercitus. At qui tot pecuniis circumfluit, tantisque opibus abundat, ac postea in contrarium repente labitur, hujusmodi mutationem haud facile tulerit. Nam inexperto, qui repente in eam incidit, acerbior videtur. Ac rursum : qui ignobilis est, obscurosque parentes habuit, atque in perpetuo contemptu vivit, is maledictis et contumeliis haud admodum conturbatur. Qui autem, cum tantam prius gloriam obtineret, et ab omnibus stiparetur, atque omnium sermone celebraretur, magnoque cum splendore prædicaretur, postea in infamiam et contemp-

[1] Job. 1.

tum cecidit, huic idem quod ei qui ex divite pauper effectus est, accidat necesse est. Pari modo qui filiis orbatur etiamsi omnes amittat, dum tamen non eodem tempore, luctum, quem ex iis qui mortem obierunt, capit, reliquorum solatio levat : ac sedato eo mœrore, quem priorum interitus attulit, si interjecto aliquo tempore alterum e vita discedere contingat, mitior ei hæc calamitas redditur. Neque enim recenti adhuc vulneri supervenit, verum sedato, ac de medio sublato; quod quidem non parum de dolore detrahit. At contra hic universum filiorum chorum uno temporis puncto, et quidem acerbissimo mortis genere abreptum vidit. Nam et violenta et immatura hæc mors erat, ac tempus etiam et locus haud parvum dolori cumulum afferebat. Siquidem et epularum tempore, et in ea domo quæ hospitibus aperta erat, et denique domus ipsis sepulcrum fuit. Nam quid novum illud, quodque nullis verbis exprimi possit, famis genus commemorem? Voluntarium dicam an coactum? Neque enim, quo eam vocabulo appellem, scio, nec quod tam inopinatæ calamitati nomen imponam reperio. Quippe ab apposita mensa abstinebat, nec cibos eos, quos cernebat, attingebat. Vulnerum enim, quibus ipsius corpus afficiebatur, fœtor appetitionem omnem opprimebat, mensamque etiam ipsam molestia perfundebat. Id quod etiam his verbis declarabat: « Fœtorem video cibos meos [1]. » Ac vis quidem famis eum, ut oblatos cibos degustaret, adigebat : verum incredibilis quidam fœtor, qui ex ipsius carnibus promanabat, vim famis superabat. Ideo, ut jam dixi, quo eam pacto appellem non habeo. Voluntariam? at appositos cibos degustare cupiebat; coactam? at cibi præsto erant, nec quisquam erat qui eum his uti prohiberet. Jam quomodo ipsius dolores commemorem, vermium scaturigines, defluentem

[1] Job. vi, 7.

saniem, probra quibus eum amici incessebant, famulorum contemptum, « Neque enim famuli mei[1], inquit, mihi pe» percerant, quin in faciem meam expuerent (5) : » eos qui ipsius calamitati insultabant, eamque exagitabant? « Quos » enim, inquit, « Non dignabar ponere cum canibus gregis » mei, hi nunc impetum in me fecerunt, et infimi homines » me castigant[2]. » An non hæc omnia tibi gravia esse videntur? gravia enim procul dubio sunt. Dicam-ne id quod malorum caput est, totiusque calamitatis velut colophon, quodque eum potissimum excruciabat? Tumultuum eorum qui in ipsius animo existebant, tempestas, id præsertim erat, quod eum intolerando modo præfocabat, ejusque conscientia pura intestinam tempestatem excitabat, rationique tenebras offundebat; ac gubernatorem perturbabat. Nam qui multorum scelerum sibi conscii sunt, etiamsi acerbi aliquid ipsis accidat, id saltem habent, ut eorum quæ accidunt causas inveniant, peccata sua secum reputantes, ac perturbationem eam, quæ dubitatione oritur, discutientes. At qui nullius criminis sibi conscii sunt, verum eximiis virtutum ornamentis præditi, si quid ejusmodi patiantur, dummodo resurrectionis dogma norint, ac futura illa præmia considerent, illud intelligunt, ea quæ accidunt certamina, ac sexcentarum coronarum materiam esse. At hic cum et probus vir esset, et de resurrectione nihil exploratum haberet, hinc potissimum jactabatur, quod malorum suorum causam ignoraret, acriusque eum hæc dubitatio, animique anxietas, quam vermes ac corporis dolores, stimularent. Atque ut rem ita se habere intelligas, quo tempore Deus pro sua benignitate ipsi certaminum horum causam aperire dignatus est, nempe se hac de causa hæc permisisse, ut perspicua esset ipsius justitia, tum denique, tanquam nihil earum molestiarum perpessus,

[1] Job. xxx, 10. — [2] Ibid. 1.

respiravit : idque ex iis quæ tunc locutus est, liquido constat. Cæterum prius etiam quam causam intellexisset, dolore quidem afficiebatur : verum forti animo eum ferebat, atque amissis omnibus rebus admirabilem illam vocem emittebat, «Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Do-»mino placuit, ita factum est; sit nomen Domini bene-»dictum in sæcula[1]. »

IX. Verum hujusce viri amore correptus, ab instituta oratione longius recessisse videor : quare, postquam pauca adjunxero, rursum ad ea quæ mihi proposita sunt, me referam. Hic igitur tanta tamque eximia virtute vir, qui tot naturæ necessitates protrivit, ne ipse quidem in hoc certamen descendere ausus est, verum et uxorem adhibuit, et ingentem filiorum numerum procreavit. Tanta virginitatis est difficultas, tam alta et sublimia ipsius certamina, tam graves sudores, magnamque animi firmitatem requirentes! Et tamen multæ ex iis quæ ad hoc certamen se accinxerunt, hanc ornatus et elegantiæ immodicique vestitus cupiditatem minime superarunt, verum ea captæ et subactæ sunt magis, quam mulieres illæ quæ mundo se addixerunt. Neque enim hoc mihi commemora, eas aurum minime gestare, nec sericis et auro distinctis vestibus indutas esse, neque gemmata monilia gestare. Nam quod gravius est, quodque ipsarum morbum, atque hujus affectus tyrannidem apertissime prodit, illud est, quod omni animi studio et conatu in hoc incubuerunt, ut per viles et abjectas illas vestes, earum quæ auro redimitæ ac sericis vestibus amictæ sunt, elegantiam et ornatum superarent, atque hinc amabiliores illis viderentur : in hoc scilicet, ut quidem ipsæ putant, indifferenti minimeque reprehendendæ rei studentes, ut autem rei natura demonstrat, perniciosæ ac pestiferæ, atque altam voraginem ha-

[1] Job. I, 21.

benti. Quocirca hoc nomine sexcentis linguis laudes tuas prædicari oportet, quod, quæ res a virginibus ægre superari potest, hæc tibi, quæ in viduitate degis, ita facilis ac prompta est, ut ipsa rerum veritas planum fecit. Neque enim incredibilem quamdam, atque ipsos etiam mendicantes superantem, vestium vilitatem duntaxat admiror: verum illud etiam, quod in vestitu, et calceamentis, atque incessu tuo, nihil est fucatum, nihil de industria comparatum et elaboratum. Quæ quidem omnia virtutis colores sunt, quibus sapientia ea quæ in animo recondita est, externe depingitur. «Amictus» enim «corporis, inquit Scrip» tura, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiabunt » de illo[1].» Nam nisi terrenas pomparum hujus vitæ cogitationes incredibilem quemdam in modum humi prostravisses ac proculcasses, non in tantum ipsarum contemptum erupisses, nec grave hoc peccatum tam fortiter superasses. Ne vero me quisquam nimia exaggeratione uti existimet, quod gravissimum hoc peccatum appellarim. Nam cum mundanis Hebræorum mulieribus, atque illa tempestate scelus hoc tantam pœnam accersiverit, iis quæ conversationem in cœlis habere, atque Angelorum vitam imitari debent, et in gratia vitam agunt, quam veniam idem istud obtinere queat, multo gravius perpetratum? Nam cum virginem in vestitu mollem tunicam trahentem; id quod Propheta crimini dedit; lascive ambulantem, atque voce, et oculis, et amictu, venenatum poculum iis qui ipsam impudico oculo intuentur miscentem, ac voragines iis qui transeunt magis ac magis effodientem, atque hinc laqueos tendentem videris, quomodo jam eam virginem appelles, ac non potius in scortorum numero reponas? Neque enim scorta tantam illecebram objiciunt, quantam istæ, voluptatis pennas omni ex parte explicantes.

[1] Eccli. XIX, 27.

Ac propterea te beatam prædicamus ac miris laudibus efferimus, quod his omnibus liberata, in hac quoque parte mortificationis specimen edidisti, non ut ornatum et elegantiam ostentares, sed ut fortiter te gereres; non ut mundum muliebrem tibi quæreres, sed ut armis te munires.

X. Verum, quoniam ab ungue leonem nunc ostendimus, idque quadam duntaxat ex parte; neque enim totam hanc tuam virtutem percurri : quippe, ut superius a me dictum est, in immensa cæterarum tuarum virtutum maria pedem inferre metuo : atque etiam hoc loco mihi propositum non est, sanctæ animæ tuæ laudes efferre, verum consolationis pharmacum conficere: age, ea rursum, quæ superius dicta sunt, resumam. Quid autem illud est, quod prius diximus? Nimirum ut, quid hic peccarit, aut quid ille sceleris admiserit, cum animo tuo reputare desinas, ac patientiæ tuæ, tolerantiæ, jejuniorum, precationum, sacrarum vigiliarum, continentiæ, eleemosynæ, hospitalitatis, variarumque et gravium ac frequentium tentationum certamina perpetuo cogites. Considera quomodo a prima ætate ad hunc usque diem Christum fame laborantem alere, sitienti potum præbere, nudum vestire, hospitem tecto excipere, morbo affectum visere, in vincula conjectum adire non destitisti. Charitatis tuæ pelagus animadverte, quod usque eo aperuisti, ut ad ultimas usque terrarum oras magno cum impetu pervenerit. Neque enim tua duntaxat domus cuilibet accedenti patebat : verum etiam passim tota terra totoque mari permultis hac tua liberalitate per hospitalitatem frui contigit. Hæc omnia in unum cogens, coronarum harum et præmiorum spe animum exhilara, gaudioque perfunde. Quod si flagitiosos istos et sanguinarios homines, quique his multo graviora perpetrarunt, pœnas dantes perspicere cupis, id quoque

tum videbis. Nam et Lazarus divitem conflagrantem vidit[1]. Quanquam enim ob vitæ discrimen locus ipsis distinctus erat, eosque chaos dirimebat, atque alter in Abrahæ sinu, alter in intolerandis fornacibus sedem habebat; at nihilo secius tamen et eum vidit Lazarus, et vocem audivit, et respondit. Hæc tibi quoque tum usu venient. Nam si qui unum duntaxat hominem contempsit, tanto cruciatu afficitur, ac rursum ei qui unum tantummodo scandalizavit, expedit ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in mare[2]: qui tantæ orbis terrarum parti offensionem attulerunt, et tot Ecclesias everterunt, et tumultibus ac perturbatione omnia impleverunt, et prædones ac barbaros immanitate ac sævitia superarunt, atque a diabolo, quem belli ducem habebant, et dæmonibus, quorum ope atque auxilio utebantur, tanto furore affecti sunt, ut tremendam hanc et sanctitatis plenam ac donatore dignam doctrinam, Judæis ac Gentilibus ridendam propinarint: qui innumeras animas demerserunt, atque innumera toto orbe naufragia effecerunt, qui tantum incendium excitarunt, ac Christi corpus sciderunt, et membra hinc et inde abjecerunt: «vos» enim, inquit, «estis corpus Christi, et » membra ex parte[3]; » imovero quid eorum furorem, qui nullo sermone explicari potest, exprimere contendo? quantam pœnam pestiferos istos ac sanguinarios homines subituros tunc esse existimas? Nam si qui Christum esurientem non aluerunt, sempiterno igni cum diabolo addicuntur: qui monachorum et virginum greges in famem conjecerunt, et vestitos nudarunt, et peregre agentes non modo non collegerunt, sed etiam expulerunt, et morbo laborantes non modo non visitarunt, sed etiam vehementius afflixerunt; et non modo ad eos qui in vinculis erant, sese non contulerunt, sed etiam ut ii qui liberi ac soluti erant,

[1] Luc. xvi, 23. — [2] Matth. xviii, 6. — [3] 1 Cor. xii, 27.

in carcerem conjicerentur, operam dederunt, quantas pœnas luituri sint, cogites licet. Tum igitur eos flammis excruciatos et conflagrantes, vinctos, dentibus stridentes, frustra lamentantes, inutili luctu se conficientes, atque divitis illius in modum, incassum pœnitentes videbis. Ac rursum te illi in beatis illis sedibus coronam gestantem, cum Angelis tripudiantem, atque cum Christo regnantem videbunt, ac vehementer exclamabunt et ingemiscent, contumeliarum, quas tibi inusserunt, pœnitentes, ac supplices libellos tibi offerentes, misericordiamque et humanitatem tuam incassum implorantes.

XI. Hæc igitur omnia tecum considera, eaque animæ tuæ perpetuo accine: sicque hunc pulverem discutere poteris. Quoniam autem, ut quidem mea opinio fert, aliud quidem est, quod te præsertim angit et excruciat; age huic quoque cogitationi per ea quæ dicta sunt et quæ nunc dicturi sumus, pharmacum paremus. Etenim non ob hæc tantum mihi in dolore versari videris, sed etiam, quod a me vili homunculo sejuncta sis: illudque lugere, atque apud omnes dicere: Linguam illam non audimus, nec ea, qua solebamus, doctrina fruimur, verum fame coërcemur: quodque Deus Hebræis quondam minabatur[1], id nunc patimur, nempe non panis famem, nec aquæ sitim, sed divinæ doctrinæ famem. Quid igitur ad hæc dicemus? Nimirum illud maxime, quod tibi etiam nobis absentibus in librorum nostrorum lectione versari licet. Nos quoque, si tabellarios nanciscamur, operam dabimus, ut crebras ac prolixas epistolas a nobis accipias. Quod si doctrinam nostram viva etiam voce audire cupis, fortasse hoc quoque continget, ac nos rursus permittente Deo visura es. Imo non fortasse sed certo: cave dubites. Illud enim tibi in memoriam redigam, quod non temere hæc dixerim, nec

[1] Amos. VIII, 11.

te fallens ac circumscribens: verum quæ nunc per litteras accipis, ea quoque de viva voce exceptura es. Quod si tibi mora molesta est, illud cogita, eam tibi minime infructuosam fore, verum ingentem mercedem allaturam esse, si patientiam adhibeas, nec acerbum ullum verbum proferas, quin potius hoc quoque nomine Dei gloriam prædices, ut etiam perpetuo facis: neque enim exiguum ac leve hoc certamen est, verum ingens, ac perquam strenuum animum mentemque philosophicam requirens, nempe amici digressum et absentiam ferre. Quisnam istud ait? Si quis amare sincere novit, si quis vim charitatis exploratam habet, quod dico intelligit. Ac ne huc atque illuc obambulemus, eos qui sincera charitate præditi sint, quærentes; etenim rara hæc virtus est; ad beatum Paulum curramus: atque ille, quantum hoc certamen sit, quantumque animum requirat, nobis exponet. Hic enim Paulus, qui carnem exuerat, et corpus abjecerat, ac nuda propemodum anima terrarum orbem peragrarat, et turbidum omnem motum ex animo ejecerat, atque virtutum incorporearum tranquillitatem imitabatur, terramque non secus ac cœlum incolebat, et cum Cherubim sursum stabat, mysticæque illius musicæ una cum ipsis particeps erat, alia quidem omnia perinde atque in alieno corpore perpetiens, leviter ferebat, carcerem nimirum, vincula, exilia, flagra, minas, mortem, lapidationem, submersionem, ac denique quodvis supplicii genus. At idem ab uno homine a se dilecto semotus, tanta perturbatione affectus est, ut statim etiam ex ea urbe excederet, in qua amicum, quem se visurum sperabat, minime invenerat. Hujus rei ipsi Troas conscia est, quæ ideo ab eo relicta est, quod tum eum ipsi ostendere minime potuisset. « Cum enim venissem Troadem, inquit, propter » Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in

» Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non » invenerim Titum fratrem meum, sed valedicens eis profec-» tus sum in Macedoniam[1]. » Quid ais Paule? Ligno alligatus atque in vincula conjectus, ac virgarum notas tergo impressas habens, et cruore diffluens, sacris initiabas et baptizabas, et sacrificium offerebas, nec unicum etiam hominem, qui salutem accepturus esset, contemnebas: Troadem autem profectus, ac repurgatum arvum sementemque excipere paratum, et plenam arcam, cunctaque tibi prona et facilia præbentem conspiciens, tantum de manibus lucrum ejecisti, ut quamvis etiam ob eam causam illuc te contulisses; « Cum enim venissem Troadem, » inquit, ad Evangelium, » hoc est Evangelici negotii causa; nec quisquam tibi obsisteret; « Et ostium, inquit, mihi » apertum esset; » pedem tamen statim referres? Ita sane, inquit. Magna enim me mœroris tyrannis invasit, Titique absentia meum animum vehementer conturbavit, atque ita me fregit ac superavit ut a me, hoc ut facerem, extorserit. Nam quod illi propter mœrorem hoc acciderit, nihil nobis conjecturis opus est, verum ab ipsomet hoc conjicere atque intelligere debemus. Etenim discessus sui causam his verbis exposuit: « Non habui requiem spiritui meo, eo quod » non invenerim Titum, sed valedicens eis, egressus sum.»

XII. Vides-ne quantum certamen sit, amici digressum æquo ac placido animo ferre, quamque gravis et acerba hæc res sit, quamque sublimem ac strenuum animum desideret? Hoc porro certamen tu quoque hunc obis. At quo majus hoc certamen est, eo etiam corona præstantior erit, præmiaque splendidiora. Quare hoc tibi tarditatis sit solatium; illudque præterea, quod mercede hinc manante refertam, corona redimitam, amplissimisque laudibus affectam te visuri simus. Neque enim ii, qui amant, eo solo

[1] 2 Cor. II, 12.

contenti sunt, quod animorum vinculis inter se constringantur, neque hoc ad consolationem sibi satis esse ducunt: verum etiam corporis præsentiam requirunt, qua si careant, haud exigua voluptatis pars succisa est. Atque hoc rursum, si ad charitatis alumnum nos contulerimus, ita se habere comperiemus. In ea enim Epistola, quam ad Macedonas scribebat, his verbis utebatur: « Nos autem, » fratres, orbati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non » corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre: » ego quidem Paulus semel et iterum: sed impedivit nos » Satanas. Propter quod non sustinentes amplius, placuit » nobis remanere Athenis, solis: et misimus Timotheum[1]. » O quanta in singulis dictionibus vis inest! Etenim conditam in ipsius animo charitatis flammam magnam cum perspicuitate demonstrabat. Non enim dixit, sejuncti a vobis, aut abstracti, aut distantes, aut absentes; verum, « Orbati a vobis. » Vocabulum investigavit quod declarando animi sui dolori par esset. Nam cum ipse parentis loco cunctis esset, tamen pupillorum puerorum, qui immatura ætate patrem amiserint, verbis utitur: quo videlicet singularem quamdam animi mœstitiam ostendat. Neque enim præmatura orbitate quidquam acerbius excogitari potest, cum nec ætas ad rem ullam idoneam ipsis opem afferre potest, nec qui eorum curam ac defensionem sincero animo suscipiant, præsto sunt, et multi subito existunt, a quibus insidiæ ipsis comparantur. Nam tum velut agni lupis in medium proponuntur, a quibus omni ex parte cæduntur et lacerantur. Nemo est qui calamitatis hujus magnitudinem ulla oratione consequi possit. Quocirca Paulus, cum in omnes partes se versasset, atque ejusmodi vocem, qua in solitudinem acerbamque calamitatem indicaret, quæsivisset, ut quo animo esset, cum ab

[1] 1 Thess. II, 17.

iis quos amabat, distraheretur, planum faceret, hac dictione usus esset: et deinde per ea quæ sequuntur hanc rursum exaggeravit. « Orbati » enim, inquit, » non ad diuturnum aliquod temporis spatium, sed « Ad tempus horæ[1]: » ac non animo, sed facie sola disjuncti, ne sic quidem tamen dolorem eum, quem hinc concipimus, ferre possumus; quamvis ea nobis satis ampla consolatio sit, quod animi nostri inter se devincti sint, quodque vos in corde nostro conditos habeamus, ac denique illud, quod heri et nudius tertius vos viderimus: tamen nihil eorum mœrore nos liberat. Quid ergo vis, dic quæso? quid expetis, imo tam vehementer expetis? ipsam eorum faciem cernere. « Abundantius enim, inquit, festinavimus faciem vestram » videre[2]. » Quid ais, o magne atque excelse vir? qui mundum in te crucifixum habes, ipse vicissim mundo crucifixus, qui ab omnibus carnalibus rebus te removisti, qui pene corporis expers effectus, siccine te captivum charitas tenuit, ut in luteam, ac terrenam atque in sensum cadentem carnem provolutus sis? Maxime, inquit: nec id dicere me pudet, imo etiam eo nomine glorior. Nam cum charitatem, bonorum omnium matrem, in me scatentem habeam, hæc requiro. Neque simpliciter corpoream præsentiam expetit, verum eorum faciem intueri gestit. « Abundantius enim, inquit, festinavimus faciem vestram » videre. » Conspectum igitur expetis, heus tu, vultusque spectandi cupiditate flagras? Et quidem vehementer, inquit: quod illic sensuum instrumenta collecta sint. Nudus enim animus per se cum altero animo conjunctus, nec dicere, nec audire quidquam poterit: at si mihi corporea præsentia frui contingat, et aliquid ipse dicam, et ab iis quos amo, vicissim audiam: propterea faciem vestram intueri aveo, in qua lingua est, quæ vocem emittit, animi

[1] 1 Thess. II, 17. — [2] Ibid.

que sensa enuntiat, et auris quæ verba excipit, et oculi qui animi motus pingunt. Etenim adamatæ animæ consortio melius per illa frui licet.

XIII. Atque ut intelligas quantum hujus conspectus cupiditate ardeat, posteaquam dixit, « Abundantius festi- » navimus, » hac dictione minime contentus fuit : verum subjungit, « In multo desiderio. » Ac mox cæteris sese admiscere non sustinens, verum ostendens se aliis acrius amare postquam his verbis usus est, « Abundantius festi- » navimus ac cupivimus venire ad vos, » a reliquis se ipsum segregavit, solumque se statuens, dixit, « Ego quidem » Paulus semel et iterum : » hinc videlicet ostendens se vehementiore, quam alios, studio in id incubuisse. Postea, quoniam id minime assecutus est, litteris non contentus socium suum Timotheum, qui litterarum instar ipsi futurus esset, ad extremum mittit. Propter quod adjecit, « Ideo non ultra sustinentes[1]. » O dictionis nobilitatem ac vim, ipsius charitatem, quæ nullo freno coerceri ac tolerari posset, commonstrantem ! Et sicut cum quis ignis ardore deflagrans, atque incendii solatium aliquod invenire studens, nullum non lapidem movet : eodem modo hic quoque, cum incenderetur, præfocaretur, inflammaretur, prout licebat, et fieri poterat, consolationem excogitavit. « Non enim jam sustinentes, inquit, misimus Ti- » motheum, Evangelii ministrum, » socium et adjutorem nostrum, ac membrum in primis necessarium a nostro cœtu avellentes, ac mœrorem mœrore commutantes. Nam quod ne ipsius quidem absentiam facile ferret, verum ipsorum causa hanc molestiam susciperet, hoc quoque ipsum his verbis indicavit : « Placuit nobis manere solis. » O animum in ipsam charitatem mutatum ! Postquam enim ab uno fratre disjunctus est solum se esse ait, idque cum

[1] 1 Thess. II, 17.

tot alios secum haberet. Hæc igitur ipsa quoque tecum perpetuo meditare, et quo ea res cruciatum tibi majorem affert, eo etiam eam, si grato animo feras, majorem fructum allaturam esse existima. Non enim corporeæ duntaxat plagæ illatæ, sed etiam animi dolor omni sermone sublimiores coronas affert, et quidem animi dolor, magis quam corporis; cum qui feriuntur, cum gratiarum actione ferunt. Quemadmodum igitur si corpore lacerata verberibusque concisa, forti ac generoso animo id ferres, Deique gloriam hoc nomine prædicares, ingentem hinc mercedem consequereris : eodem modo, cum hæc animus tuus patiatur, magna hinc præmia expecta. Expectes velim etiam fere omnino, ut rursum nos videas, atque hoc dolore libereris, amplumque et uberem hujus doloris quæstum, et posthac, et nunc, percipias. Atque hæc tibi ad mœroris levamen sufficiunt : imovero non tibi duntaxat, verum etiam cuivis, quamlibet alioqui vecordi ac saxea mente prædito. At ubi tanta prudentia est, tantæque pietatis divitiæ, tamque sublimis philosophia, atque animus rerum hujusce vitæ pompam proculcans, illic quoque facilior curandi morbi ratio est. Quocirca in hoc quoque tuam erga nos charitatem ostende, quod magnam, etiam scribentes, apud te auctoritatem obtineamus, nec minorem quam si præsentes essemus. Illud autem perspicue demonstrabis, si litteras nostras aliquid profecisse intelligamus, nec aliquid tantum, sed quantum cupimus. Cupimus porro te in eadem animi lætitia versari, in qua te, cum istic essemus, cernebamus. Quod si istud intelligamus, haud parvam nos quoque solitudinis hujus, in qua nunc sumus, consolationem capiemus. Itaque si tibi nos in majori animi tranquillitate constituere cordi est; scio autem te id velle et magnopere curare; illud fac sciamus, te omnem mœroris colluviem abs te submovisse, tuasque

res tranquillo in statu esse : ac nobis hanc nostræ erga te benevolentiæ mercedem repende. Non enim te fugit, non, inquam, profecto te fugit, quantopere, si hoc præstiteris, de eoque nos per litteras certiores feceris, animum nostrum recreatura sis.

EPISTOLA III

Ad eamdem.

I. Nec corpora ea, quæ cum gravi febre colluctata sunt, contractum ex febre detrimentum ; nec maris aquæ, quibus cum sævis ventis certamen fuit, eam, quam fluctus attulerunt, tempestatem subito deponunt : verum sensim ac paulatim. Nam et corporibus longiore temporis spatio ad hoc opus est, ut post depulsas febres ad integram sanitatem redeant, eamque quam ipsis morbus reliquam fecit, imbecillitatem abstergant : et aquæ, sedatis etiam fluctibus, diutius adhuc agitantur et incitantur, magnoque impetu feruntur ac reciprocant, atque aliquanto tempore indigent, ut ad integram tranquillitatem redeant. Hoc porro præludii genere non temere ad te usus sum : verum ut intelligas, nos necessitate adductos esse, ut hanc epistolam ad te mitteremus. Nam etsi mœroris tyrannidem superioribus litteris sustulimus, ipsiusque arcem evertimus : tamen orationi nostræ ingenti adhuc assiduitate opus est, ut altam tibi pacem conciliet, ac deleta perturbationum omnium, quæ ex illo angore fluxerunt, memoria, candidam tibi ac certam tranquillitatem ostendat, atque in magna animi alacritate te collocet. Id enim

• Cucuso anno 404.

nunc ago, atque in eo elaboro, ut non modo tristitia te liberem, verum etiam ingenti ac perpetua voluptate perfundam. Hoc enim fieri potest, si quidem velis. Non enim in naturæ legibus, quas revellere atque immutare non possumus, sed in liberis voluntatis cogitationibus, quas tractare ac moderari nobis facile est, alacritas animi consistit. Atque ipsa scis, si modo meministi, plurimos ac longos de his rebus nuper; nec enim diuturnum tempus interea fluxit; sermones a nobis consumptos fuisse : cum scilicet historias subinde colligerem atque in medium proferrem. Non enim tam in rerum natura, quam in hominum voluntate atque sententia tranquillitas animi sita est. Quoniam igitur hæc ita se habent, ac multi opibus circumfluentes vitam acerbam esse duxerunt, multi contra in extrema paupertate versantes curriculum vitæ omnium tranquillissime confecerunt. Atque alii quidem satellitio, gloria et honore fruentes, vitam suam diris persæpe devoverunt, alii autem obscuri atque obscuro genere nati, omnibusque ignoti, sese batiores esse censuerunt: neque enim tam in rerum natura, quam in hominum mente ac judicio posita est tranquillitas; non enim istud assidue inculcare desinam; cave animum dejicias, verum te excita atque erige, manumque sermoni nostro porrige, ac præclaram hanc nobis opem præbe : ut te ex acerba cogitationum captivitate prorsus extrahamus. Nam nisi ipsa tantum studii adhibere volueris, quantum nos adhibemus, nullam nobis curatio utilitatem allatura est. Quid autem mirum, si hoc in nobis contingat? Nam etiam, cum rerum omnium præpotens Deus aliquid monet ac suadet, atque auditor ipsius verbis minime obtemperat, nihil aliud hinc evenit, quam quod id majorem ei pœnam accersit, qui dicto audientem non se præbuit. Quod etiam Christus his verbis indicabat : « Nisi venissem, et locutus fuissem

» eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem » non habent de peccato suo[1]. » Ob eamque causam cum Jerusalem hoc ipso nomine lugeret, his verbis utebatur : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapi- » das eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare » filios vestros, et noluistis ? Ecce relinquetur domus ves- » tra deserta[2]. »

II. Hæc igitur cum tibi perspecta sint, domina mea religiosissima, labora, tibique vim adhibe, atque eorum quæ a nobis commemorata sunt, ope ac subsidio munita, in id enitere, ut cogitationes eas quæ perturbant, ac tantos motus tantamque tempestatem cient, magno cum impetu extrudas ac propulses. Verum quin id factura, consilioque nostro paritura sis, nemini dubitandum esse arbitror. Jam tibi gladios, hastas, arcus et sagittas, thoracem, clypeum et tibialia comparemus oportet : quo partim his te munias, partim eas quæ te perturbatione afficiunt, cogitationes prosternas, atque obtrunces et interimas. Undenam igitur machinas istas ac fundas tibi conficiemus, ut ne hostes quidem propius accedere sinas, verum eos quam longissime ac nullo negotio submoveas? Ab ipso mœrore : nimirum si de eo nonnihil disseramus, quamque gravis ac molesta res sit, demonstremus. Mœror enim grave animorum tormentum est, dolor omnem sermonis vim excedens, ac supplicium omni supplicio et cruciatu acerbius. Siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem duntaxat, sed etiam animam perstringens : ac tinea est, non ossium tantum, verum etiam mentis : et perpetuus carnifex, non latus fodiens, verum animi vires labefactans : et perpetua nox, et tetræ tenebræ, et tempestas ac procella, et obscura febris, quavis flamma vehementius exurens : et bellum induciarum expers : et morbus,

[1] Joan. xv, 22. — [2] Matth. xxiii, 37.

rerum earum, quæ oculis cernuntur, prospectum magna ex parte impediens. Nam et sol, et liquidi hujus aëris natura, iis qui ita affecti sunt, molestiam exhibere videtur, atque in meridiana luce profundam noctem imitari. Eaque de causa eximius ille Propheta dicebat, « Occidet » illis sol in meridie[1]. » Non quod sidus illud delitescat, aut consuetus ipsius cursus interrumpatur : sed quod mœsto ac mœrenti animo clarissimo die noctis species sese objiciat. Neque enim tantæ noctis tenebræ sunt, quanta mœroris nox est : non quidem illa naturæ lege accedens, verum per rationis ac mentis obscurationem conflata : horrenda sane atque intoleranda, truculentum vultum habens, quovis tyranno crudelior, nemini eorum qui eam discutere conantur, facile cedens, verum animam eam, quam corripuit, adamante firmius plerumque retinens, cum videlicet ea non multum sapientiæ adhibuit.

III. Quid autem longa oratione opus est, ut de eo ipse pronuntiem, cum ad eos qui illo capti sunt, venire, atque hinc universam ipsius vim perspicere liceat? Imovero liceat, si lubet, eam aliunde prius demonstremus. Nam cum Adamus grave illud peccatum admisisset, atque commune hominum omnium genus condemnasset, labore tum mulctatus est[2]. Ea autem, quæ gravius peccaverat, et quidem usque eo gravius, ut illius peccatum, cum hujus peccato collatum, ne peccatum quidem existimetur. « Adam enim, inquit scriptura, non est seductus, sed » mulier seducta in prævaricatione fuit[3]. » Hæc, inquam, quæ decepta fuerat, ac Dei legem violaverat, atque et sibi, et marito venenatum poculum temperaverat, ampliori mœrori addicitur, quod videlicet ille majorem ad premendum vim habeat, quam labor. « Multiplicans enim,

[1] Amos. VIII, 9. — [2] Gen. III. — [3] 1 Tim II, 14.

»inquit, multiplicabo dolores tuos, et gemitum tuum. In »doloribus paries filios[1]. » Nusquam hic labor, nusquam sudor et ærumna : verum mœstitia et gemitus, atque hinc nascens cruciatus, sexcentas mortes adæquans, imo etiam longe gravior. Quanquam quid morte gravius? Annon humanorum malorum caput est? Annon ea horrenda et intoleranda innumerisque luctibus digna esse videtur? Annon eam atrocissimi sceleris pœnam esse dixit Paulus? Nam eos, qui sacrosancta mysteria indigne attingunt, tremendæque mensæ participes fiunt, hanc pœnam pendere his verbis asseruit : « Propterea inter vos multi im»becilles et infirmi, et dormiunt multi[2]. » Annon legislatores omnes hoc supplicio eos mulctant qui atrocissima scelera committunt? annon etiam Deus extremam hanc in lege pœnam iis constituit, qui magnis criminibus sese devinciunt? annon hujus metu Patriarcha ille perterritus, eo adductus est, ut, natura etiam ipsa superata, uxorem suam barbaricæ lasciviæ, atque Ægyptiacæ tyrannidi dederet, atque hanc petulantis libidinis fabulam et ipse strueret et uxorem, ut gravem hunc et tragicum gestum secum ageret, obsecraret? Atque adeo ne hujusmodi quidem tanquam scenicæ simulationis causam afferre pudore deterretur : « Erit enim, inquit, cum viderint te Ægyptii[3] » egregia forma præditam, atque faciei pulchritudine præstantem, « Interficient me, et te servabunt. Dic igitur quod »soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat »anima mea ob gratiam tui. » Vidisti metum, vidisti tremorem, excelsum illum ac philosophicum animum quatientem? Vidisti adamantem formidine fractum? Genus mentitur, atque alteram pro altera personam uxori suæ imponit, agnamque lupis in prædam exponit : quodque viris malorum omnium acerbissimum est, nempe constu-

[1] Galat. III, 16. — [2] 1 Cor. XI, 30. — [3] Gen. XII, 12.

pratam uxorem cernere, imo etiam vel suspicari, hoc, et quod hac re multo acerbius est; non enim suspicio tantum erat, sed stuprum reipsa tentabatur; non modo cernit, sed etiam, ut perpetretur, laborat: idque ipsi leve ac ferendum videtur. Etenim affectus affectum superabat, gravem nimirum gravior, ac mortis terror zelotypiam vincebat. Magnus quoque ille Elias ob mortis metum solas libidinosæ ac nefariæ mulieris minas veritus, in fugam se contulit, ac solum vertit [1]: et qui cœlum clauserat, et tot miracula patrarat, sermonis terrorem minime tulit: verum excelsum illum atque ad cœlos usque sublimem animum pavor ita perculit, ut post illam fiduciam, post tantam in loquendo libertatem, post tantum virtutis specimen editum, et patriam, et tantum populum, cujus causa tot pericula audax adierat, repente linqueret, et quadraginta dierum iter solus obiret et in locum desertum migraret. Vehementer enim horrenda hujus rei natura est, ac propterea quotidie in genus nostrum impetum faciens, ad unumquemque mortuum nos usque adeo percellit atque consternat, metuque perturbat et contrahit, ut quæ nec opinato appareat. Nec vero ad consolationem ullam vim habuit, aut temporis meditatio, aut quotidiana in hac contemplatione consuetudo et exercitatio: nec temporis diuturnitate hujusmodi mœror terrorque consenuit, verum perpetuo juvenescit ac viget, recentemque ac florentem quotidie metum affert. Nec sane immerito. Quis enim non perturbetur et consternetur, cum eum, qui hesterno die, aut paucis ante diebus ambulabat, sexcenta domus negotia gerebat, uxoris, filiorum, mancipiorum, sæpe etiam integrarum civitatum curam suscipiebat, minabatur, terrebat, supplicia partim solvebat, partim inferebat, innumera tum in urbibus, tum in re-

[1] 3 Reg. XIX.

gionibus efficiebat, repente plusquam lapidem mutum et jacentem videt? cumque innumerabiles homines plorent, et amicissimi quique lugeant, et uxor dolore distorqueatur, genas cedat, comam vellat magnoque cum ululatu ancillarum greges circum se collocet, ipsum tamen nihil eorum sentientem? cum videt omnia repente de medio sublata esse, rationem, ingenium, animam, oris florem ac venustatem, membrorum motum : injucunda autem iis successisse nimirum silentium, stuporem, corruptionem, saniem, vermes, cinerem, pulverem, fœtorem, interitum integrum, corpusque totum eo properans, ut in vilia et deformia atque ignobilia ossa desinat?

IV. Et tamen istud, quod et per res ipsas, et per sanctorum illorum virorum formidinem horrendum esse constat, mœrore longe levius est. Nam ipsius causa longa hæc sermonum curricula emensus sum, ut ex me discas, quantam pœnam pendas, ac parem ipsi, imovero multis partibus majorem, bonorum mercedem expectes. Atque ut hæc ita se habere intelligas, jam ad eos qui eo affectu capti sunt, confugiam, quo scilicet prius nostra festinabat oratio. Plebs Hebræorum, Mose veniente, ac libertatem et Ægyptiacæ captivitatis finem nuntiante, ne audire quidem ipsum sustinebant. Causamque etiam exponens legislator, dicebat : « Locutus est autem Moses ad populum, » et non audivit populus Mosem præ pusillanimitate[1]. » Quinetiam cum Deus graves Judæis ob multa flagitia minas intendit, post captivitatem atque in aliena regione commorationem, post servitutem, famem, pestem atque humanarum carnium esum hanc pœnam subjunxit, his verbis utens : « Dabo eis cor mœrens, et deficientes ocu» los, et tabescentem animam[2]. » Quid autem Judæos, petulantem et ingratum, carnisque servituti addictum po-

[1] Exod. vi, 9. — [2] Deut. xxviii, 65.

pulum, nec philosophari scientem, commemoro : cum mihi a magnis et excelsis viris hujus rei argumentum capere liceat? Etenim Apostolorum chorus, cum triennium jam cum Christo consuetudinem habuissent, multaque de immortalitate aliisque arcanis rebus ex ipso didicissent, signaque admiranda et ab humanis sensibus remota edidissent, ipsumque tanto tempore mira perpetrantem conspexissent, ejusdemque cum eo mensæ, et colloquii, ac tam eximiorum sermonum participes extitissent, atque omni doctrinæ genere eruditi fuissent, posteaquam verba quæ mœrorem afferebant, audierunt, qui prius eum perpetuo retinebant, deque ipso velut lactentes pueri pendebant, nec percontari desinebant, Quo vadis? iidem rursus hujus mœroris tyrannide ita oppressi sunt, seque totos angori dediderunt, ut jam ab ipso hæc minime percontarentur. Quo etiam nomine Christus eos insectans, dicebat : « Audistis quia vado ad eum qui misit me, et venio » ad vos, et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed » quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum[1]. » Vides-ne quomodo mœroris tyrannis amori tenebras offuderit, eosque in captivitatem sibi addixerit, suique juris fecerit? Rursum Elias ille; nam ne nunc quidem ab eo abscedam; post fugam ac secessionem a Palæstina, mœroris acerbitatem non ferens; si quidem in magno mœrore atque angore versabatur : quod etiam is qui eam historiam litteris mandavit, his verbis declarat. « Abiit juxta animam suam[2]; » quid in sua ad Deum precatione dicat, audias velim : « Et sufficiat nunc, Domine; » accipe animam meam a me : non enim sum melior quam » patres mei. » Ita illud quod formidabilius erat, illum supplicii colophonem, illud malorum caput, illam sceleris omnis pœnam exoptat, atque in beneficii loco petit. Usque

[1] Joan. XVI, 5. — [2] 3 Reg. XIX, 4.

adeo morte terribilior est mœror. Ut enim hunc effugeret, ad illam perfugit.

V. Hic autem quæstionem quamdam tibi explicare volo. Nec enim me fallit, quantum hujusmodi quæstiones tibi dissolvi cupias. Quænam igitur hæc quæstio est? Si mortem mœrore leviorem esse existimabat, quid causæ est, cur vitandæ mortis causa relicto solo patrio ac popularibus suis profugerit? et cur qui prius eam fugiebat, nunc eam expetat? Nimirum ut hinc vel maxime, quantum mœstitia mortem acerbitate superet, intelligas. Nam cum mortis duntaxat metus eum quateret, non abs re quidvis efficiebat, quo eam effugeret. At posteaquam mœror in ipsius pectore insidens naturam suam ostendit, eum videlicet exedens, absumens, dentibus conficiens, atque intolerandum in modum excrucians, tum denique id quod omnibus rebus gravius et acerbius est, levius esse judicavit. Eodemque modo Jonas etiam mœrorem fugiens, ad mortem confugit: mortemque ipse quoque his verbis a Deo petivit: « Accipe animam meam a me: melius est » enim mihi mori, quam vivere[1]. » David que item, sive ex sua, sive ex aliorum quorumdam lugentium persona Psalmum conscribens, hoc ipsum indicat. « Cum consisteret, » inquit, peccator adversum me, obmutui, et humiliatus » sum, et silui a bonis, et dolor meus renovatus est. Con» caluit cor meum intra me, et in meditatione mea exar» descet ignis[2]: » per ignem, illum scilicet mœroris affectum, qui quovis igne acerbior est, designans. Ideo plagas ipsius ac dolores minime jam ferens, his verbis utitur: « Locutus sum in lingua mea. » Quid autem loqueris, dic quæso? Mortem quoque hic petit dicens: « Notum fac mihi, » Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis » est: ut sciam cur morer ego. » Quæ quidem verba ta-

[1] Jon. IV, 3. — [2] Psal. XXXVIII, 3.

metsi ab Eliæ verbis discrepent, eamdem tamen sententiam habent. Nam quod ille dixit, « Non sum melior quam » patres mei, » hoc iste his verbis significavit : « Notum fac » mihi Domine finem meum, ut sciam quid morer ego. » Hoc est, qua de causa ego relictus sum, seriusque abeo : qua de causa, cum alii jam e vita discesserint, ipse tamen remaneo, atque in præsenti vita diuturniorem moram traho? Ac tanta mortis cupiditate tenetur, sive ipse, sive illi, quorum nomine loquitur, ut etiam, ea nondum præsente, præsentiæ tempus scire aveat. « Notum, inquit, fac » mihi Domine finem meum, » quo videlicet hinc quoque maximam voluptatem capiat. Ita id quod horrendum est, propter intolerandum mœroris dolorem, atque ignem in animo exardescentem, expetendum redditur. « In medita» tione enim mea, inquit, exardescet ignis. » Quocirca cum tantam pœnam luas, magnam hinc mercedem, multa præmia, remunerationes inenarrabiles, splendidas ac valde florentes hujusmodi certaminum coronas expecta. Non enim solum aliquid boni efficere, sed etiam aliquid mali perpeti, magnam mercedem atque ampla præmia obtinet. Atque ad hanc orationem jam me confero, ut quæ et tibi, et cunctis magnopere utilis sit, animisque ad patientiam acuendis sufficiat, nec eos ad calamitatum sudores debilitari sinat.

VI. Quod igitur calamitatum omnium atrocissima, ac malorum colophon et caput, mœstitia sit, satis fuse a nobis est demonstratum : superest jam ut virtutes et calamitatum perpessiones inter se comparemus : ut perspicue intelligas non virtutibus solum, sed etiam calamitatibus mercedem constitutam esse, et quidem admodum amplam : nec calamitatibus minus, quam virtutibus; imo amplius interdum calamitatibus. Ac, si lubet, magnum patientiæ pugilem in medium producamus, eum, inquam,

qui utroque laudis genere splenduit, adamantem illum, petram illam, eum qui in Ausitide quidem regione extitit, verum singulari quadam virtutis suæ magnitudine universum terrarum orbem collustravit, atque ipsius tum virtutes, tum calamitates exponamus : ut, qua ex parte magis effulserit, compertum habeas. Quænam igitur ipsius virtutes erant? « Domus enim mea, inquit, omni venienti » patuit, communisque erat viatoribus portus[1]. » Quin bona sua ita possidebat, ut ea pene omnia non sibi, sed pauperibus haberet. « Oculus enim, inquit, fui cæcorum, » et pes claudorum. Pater eram imbecillium : et causam, » quam nesciebam, investigabam. Conterebam molas ini- » quorum : et de dentibus illorum auferebam prædam : » imbecilles autem, si qua re opus habebant, minime re- » pulsam ferebant. Neque quisquam ex ædibus meis unquam » vacuo sinu egressus est[2]. » Vides varia humanitatis genera, et varios eleemosynæ portus, eumque quavis ratione opem iis, quibus injuria fiebat, afferentem? Vides eum egestatem sublevantem, viduas foventem, læsis opitulantem, lædentibus terrorem incutientem? Neque enim eo solum studium suum demonstrabat, quod iis, qui lædebantur, præsto esset, atque auxilium ferret, quod multi faciunt; verum etiam eo usque laborabat, quoad negotium confecisset, et quidem magna cum vehementia. « Conterebam » enim, inquit, molas iniquorum[3] : » eorum videlicet conatibus providentiam suam muri instar opponens. Nec vero hominum tantum injuriis, sed etiam naturæ insidiis curam suam ac sollicitudinem objiciens, ipsius nimirum vitia singulari auxilii sui magnitudine corrigens. Nam quia membra ipsis restituere minime poterat, hoc est cæcis oculos, claudis pedes, membrorum instar ipsis erat : atque ipsius opera ii qui oculis capti erant, videbant; et ii qui

[1] Job. XXXI, 32. — [2] Id. XXIX, 15. — [3] Ibid. 17.

cruribus oblæsi ac mutilati erant, ambulabant. Quid cum hac humanitate comparari queat? Alias etiam ipsius virtutes exploratas habes; ne omnia enumerans orationem protraham; morum facilitatem, lenitatem, summam modestiam ac temperantiam; quonam pacto, cum in eos qui injuriam aliis inferebant, vehemens esset; nam hoc sane mirandum; suavis tamen et mansuetus, atque ipso etiam melle dulcior erat, cum erga omnes alios, tum erga famulos suos, qui magnum sui erga ipsum amoris argumentum edentes, dicebant: « Quis det nobis, ut de carnibus ejus » saturemur[1]? » Quod si famulis ita carus et amabilis erat, quibus sæpe terrori esse necesse est, quanto magis cunctis aliis hominibus?

VII. Hæc igitur, atque his plura, cum apud te collegeris, age jam ad calamitatum, quas perpessus est, numerum subducendum mecum te confer: atque comparando videamus quo tempore clarior erat, an cum illis virtutis muneribus fungebatur, an cum acerba pateretur quæ magnum ipsi mœrorem inurebant? Utro igitur tempore illustrior erat Job? Tumne cum domum suam omnibus qui eo iter faciebant, apertam habebat, an cum ea prostrata nullum acerbum verbum pronuntiavit, sed Deum laudibus affecit[2]? Atqui illud virtutis munus erat, hoc perpessio. Utro tempore insignior erat, dic, quæso, cum filiorum causa sacrificium offerebat, eosque inter se conciliabat, an cum ipsis domus ruina obrutis, acerbissimoque mortis genere de medio sublatis, perquam sapienter hunc casum tulit? Utro tempore magis emicuit: cum de ovium ipsius velleribus nudorum humeri calefiebant, an cum allato nuncio ignem de cœlo cecidisse, et universum gregem una cum pastoribus absumpsisse, minime commotus ac perturbatus est, verum calamitatem hanc æquo animo

[1] Job. xxxi, 31. — [2] Id. iii.

tulit? Utro tempore major erat, cum firma corporis valetudine frueretur, qua ad eorum qui injuriam acceperant, defensionem utebatur, et iniquorum molas conterebat, atque ex mediis ipsorum dentibus prædam eripiebat, oppressisque portus erat : an cum corpus suum, læsorum præsidium, a vermibus corrodi conspiciebat, atque in sterquilinio sedens, accepta testa illud ipse radebat? « Glebas enim terræ mollio, inquit, saniem radens[1]. » Atqui omnia illa virtutis opera erant : contra, hæc omnia, perpessiones : et tamen hæc ipsi majorem, quam illa, splendorem attulerunt. Hoc enim acerbissima prælii pars erat, majoremque fortitudinem animique firmitatem, et mentis sapientiam, atque ampliorem erga Deum charitatem requirebat. Eaque de causa, cum illa fierent, impudenter quidem ac perquam improbe, sed tamen obluctabatur diabolus, his verbis utens : « Numquid Job frustra colit « Deum[2]? » At cum hæc accidissent, pudore suffusus terga dedit, ac secessit, ut qui ne impudentis quidem ullius objectionis umbram aliquam haberet, quam prætenderet. Hoc enim coronarum colophon est, hoc summus virtutis apex, hoc perspicuum fortitudinis argumentum, hoc summæ philosophiæ culmen. Illud etiam ostendens hic idem beatus Job, quanto acerbior sit mœroris tyrannis, quam mors, hanc requiem appellabat, « Mors enim, » inquit, viro requies. » Atque eam gratiæ loco petebat, dicens : « Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto, » tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me conterat, et » succidat me usque in finem : et urbs ea, super cujus » muros saltabam, sepulcrum mihi sit[3]. » Ita omnium rerum gravissima est mœstitia. Porro quo gravior, eo quoque majorem mercedem habet.

VIII Ut autem aliunde quoque intelligas quantus ex

1 Job. II, 8. — 2 Id. I, 9. — 3 Id. III, 23, et VI, 8.

calamitatibus fructus promanet, etiamsi non Dei causa perpetiatur; nemo me hoc loco hyperbolice loqui existimet; modo strenuo ac placido animo ferat, Deum in omnibus gloria afficiens. Idem hic, se propter Deum hæc pati minime norat, et tamen ideo corona donabatur, quod etsi causam non nosset, strenuo tamen animo calamitates perferebat. Lazarus quoque ille, in morbum prolapsus; hoc porro non erat propter Deum pati; tamen quia inopiam curantium, mœroremque illum, quem et ulcera, et fames, et divitis contemptus atque crudelitas afferebat, forti animo tulit, quas coronas consecutus sit, non te fugit. Atqui nullum illius præclarum opus invenimus, non quod pauperes misericordia prosecutus sit, non quod læsis opem tulerit, aut aliud quiddam ejusdem generis cum virtute gesserit : verum illud duntaxat, quod pro divitis foribus jacuerit, quod adversa valetudine laborarit, quod ipsius vulneribus canes linguas admoverint, ac denique quod dives eum sit aspernatus; quæ omnia ad perpessionem spectabant. Et tamen, licet nullo alio egregio virtutis munere perfunctus, quia solum hujusmodi mœstitiam strenuo animo tulit, eamdem quam Patriarcha, qui tot res cum virtute gesserat, sortem est consecutus. Dicam præterea quidpiam, quod etsi ab hominum opinione alienum videatur, tamen verum est : nempe etiamsi quispiam magnum aliquod et illustre opus ediderit, sed sine labore, periculis et calamitatibus, eum haud magnam hinc mercedem laturum esse. « Unusquisque enim, pro» priam mercedem accipiet juxta proprium laborem[1]. » Non secundum rerum ex virtute gestarum magnitudinem : sed pro calamitatum, quas pertulerit, mole. Quocirca Paulus etiam se jactans, non ob id tantum gloriatur quod boni aliquid ac præclari gesserit, sed etiam quod malis

[1] 1 Cor. III, 8.

affectus sit. Cum enim dixisset, « Ministri Christi sunt, ut » minus sapiens loquor, plus ego[1] : » atque, quanto eis præstantior esset, ex comparatione demonstrare studeret, non dixit, Tot et tot hominibus prædicavi : verum omissis iis quæ ex virtute gesserat, mala ea quæ perpessus est, enumerat, his verbis : « In laboribus abundantius, in » plagis supra modum, in carceribus abundantius, in » mortibus frequenter. Quinquies quadragenas una minus » a Judæis accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus » sum, ter naufragium feci, die ac nocte in profundo maris » fui : in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis » latronum, periculis ex genere, periculis in civitate, peri- » culis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis » fratribus, in fame, in siti, in nuditate, præterea quæ » extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana. »

IX. Vides-ne perpessionum seriem, ac gloriandi occasiones? Mox autem quæ etiam præclare gesserit, subjungit : atque in iis rursum perpessiones majorem sibi, quam res præclare gestæ, partem vendicant. Nam cum dixisset, « Instantia mea quotidiana, » scilicet continuæ abductiones, tumultus, atque calamitates : nam hoc significat ἐπισύστασις, subjunxit « Sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Non dixit, correctio, sed sollicitudo, quæ ad perpessionem magis quam ad res ex virtute gestas pertinet. Et quæ sequuntur eodem modo : « Quis, inquit, infirmatur, et ego » non infirmor? » Non dixit, corrigo ac medeor : sed, infirmor : ac rursum : « Quis scandalizatur, et ego non uror? » Non dixit, eum scandalo liberavi : sed, mœroris particeps fui. Postea ostendens ista præsertim mercede donari, ait : « Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt, » gloriabor[2]. » Ac rursum aliud ejusdem generis subnectit, nimirum fugam eam quam per fenestram et sportam ac

[1] 2 Cor. XI, 23. — [2] Ibid. 30.

murum corripuit. Hoc porro ex perpessionum genere erat. Si igitur ærumnæ magna mercede donantur, ærumnarumque gravissima est mœror; cogita quanta sint mœroris præmia. Neque enim hanc tibi cantilenam canere desinam : ut, quod initio pollicitus sum, hoc nunc præstem, nempe ut ab ipsamet mœstitia rationes eas texam, quæ tibi mæstitiæ consolationem pariant. Atque ut aliunde discas quanta res sit, cum mali perpessione aliquid præclari agere, et quanto inferius sit sine labore id ipsum præstare, Babylonius ille Nabuchodonosor, in sceptris ac diadematibus vivens, Evangelico quondam munere functus est. Etenim post fornacis historiam, ac miraculum, hoc muneris suscepit, ut universo orbi concionatorem se præberet, non per linguam modo, sed etiam per litteras, in omnes terræ partes ad hunc modum scribens : «Nabucho-» donosor rex omnibus populis, tribubus et linguis, qui « habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. Signa « et prodigia, quæ Deus excelsus apud me fecit, placuit » annuntiare vobis. Magna enim sunt et fortia : regnum ejus » regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem » et generationem[1]. » Et edicto sanxit, ut omnis populus, tribus et lingua, quæ locuta fuerit contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, dispereat, et domus ejus sit in direptionem. Additque : « Neque enim alius est Deus, qui » possit ita salvare. » Vides minas in litteris? vides terrorem? vides sublimem præconem, ac litteras quaquaversum diffusas. Quid igitur, dic mihi? parem-ne Apostolis mercedem consequetur, quoniam Dei potentiam ita prædicavit, tantumque studii ac diligentiæ adhibuit, ut hanc doctrinam toto orbe nuntiaret? Certe non magnam ejus partem, verum infinitis partibus inferiorem. Atqui eodem, quo illi, munere functus est. Sed quia nullus hic labor, nec ullius

[1] Dan. III, 98.

mali perpessio adjuncta est, idcirco merces minuitur. Hic enim ex potestate, ac sine ullo periculo hoc agebat : cum illi contra prohiberentur, pellerentur, tunderentur, flagris cæderentur, in ærumnis versarentur, in præceps agerentur, in mare demergerentur, fame conficerentur, quotidianam mortem oppeterent, animi etiam cruciatu afficerentur, ad cujusque infirmitatem infirmarentur, ad cujusque offensionem et scandalum urerentur. Itaque pro his laboribus, ac præsertim pro mœrore, amplior eis merces est persoluta. « Unusquisque » enim, inquit ille, « propriam mercedem accipiet juxta proprium laborem[1] : » non enim id assidue repetere desinam. Ideo benignus Deus, cum Paulus sæpe rogasset se ex calamitatibus et mœrore, dolore atque periculis eriperet, id ipsi minime concessit. « Pro hoc, inquit, ter Dominum rogavi[2] : » nec tamen quod petebam, impetravi. Et sane, cur amplissima præmia caperet ? an quod sine labore prædicasset, deliciis indulgens, atque in tranquillitate degens ? an quod domi sedens os diduxisset, ac linguam movisset ? at hoc cuivis facile erat, quamlibet etiam ignavo, ac dissolute et delicate viventi. Nunc autem vulnerum, variorum mortis generum, cursuum tam terrenorum quam marinorum, ipsius mœroris, lacrymarum, dolorum (« Triennium enim, inquit, die ac » nocte cum lacrymis non cessavi, monens unumquemque » vestrum[3] ») præmia et coronas magna cum fiducia percepturus est.

X. Hæc igitur animo et cogitatione complectens, quantum scilicet acerbæ ac laboriosæ vitæ lucrum sit, gaude et lætare : utque fructuosam, atque innumeris coronis dignam jam inde a prima ætate viam tenueris, crebris et continuis vexata calamitatibus. Etenim varius et multiplex, sexcentisque mortibus gravior corporis morbus nunquam

[1] 1 Cor. III, 8. — [2] 2 Cor. XII, 8. — [3] Act. XX, 31.

te obsidere destitit. Conviciorum etiam et contumeliarum agmen, et calumniæ in te ferri minime desierunt. Crebri denique, imo assidui mœrores, ac lacrymarum fontes, per omne vitæ tempus molestiam tibi exhibuerunt. Horum singula, vel sola, eam vim habuerunt, ut ingentem iis qui ea sustinuissent, utilitatem afferrent. Nam et Lazarus ob solum morbum eamdem quam Patriarcha sedem consecutus est : et Publicano convicium Pharisæi eam justitiam attulit, quæ Pharisæi justitiam superaret : et denique Apostolorum princeps gravis illius sceleris ulcus lacrymis sanavit. Cum igitur horum unicuique unam perpessionem suffecisse constet, perpende jam quot quantasque ipsa mercedes perceptura sis, ut quæ omnia simul, et quidem cum ingenti acerbitate subieris, idque per omne vitæ tempus. Neque enim ulla res æque splendidos et admirandos homines reddit, tantoque bonorum acervo cumulat, ut tentationum frequentia, pericula, labores, mœrores, et perpetuæ insidiæ, ab iis, a quibus minime decebat, structæ : dum tamen omnia æquo animo ferantur. Quippe ne filium quidem Jacob quidquam perinde clarum ac beatum reddidit, ut illa tum in eum structa calumnia, et carcer, et catena, et hinc contracta ærumna [1]. Magna quidem pudicitiæ ipsius virtus erat, cum Ægyptiacam libidinem superavit, ac miseram illam fœminam ad sceleratum concubitum eum vocantem propulsavit : at hoc tamen non ita magnum ut ea quæ perpessus est. Quænam enim laus est, dic, quæso, adulterium minime perpetrasse, nec alienum torum violasse, nec lectum nihil ad se attinentem contaminasse, nec homini bene de se merito injuriam intulisse, nec patroni sui domum in probrum et infamiam conjecisse? At quod eum illustrem reddidit, illud demum est, nimirum periculum, insidiæ, furor mulieris, quam libido captivam

[1] Gen. xxxix.

tenebat, allata vis, inevitabilis thalami carcer quem adultera ipsi comparaverat, retia quæ omni ex parte expanderat, accusatio, calumnia, carcer, catena, illud etiam quod nihil æqui impetrans, post tantum certamen, ob quod eum corona donari par erat, tanquam reus nocens in vincula ducebatur, ac cum iis qui gravissima flagitia perpetraverant, includebatur, squalor item et ferrum, carceris afflictio. Tum scilicet eum splendidiorem cerno, quam cum in Ægypti solio sedens frumentum egentibus tribuebat, famem pellebat, et communis omnibus portus erat. Tum, inquam, eum clariorem cerno, cum eum compedes et manicæ vinciebant, quam cum in luculentis vestibus tantam potentiam obtinebat. Etenim illud carceris tempus, negotiationis atque ingentis quæstus erat : hoc autem, luxus, remissionisque animi, atque honoris, multas quidem voluptates habens, at non multum lucri. Ideo non tam eum suspicio, cum honor ei a patre habetur, quam cum fraterna invidia exagitatur, atque contubernales hostes habet. Nam domi ipsi jam inde a primis annis grave bellum excitabatur : et quidem ab iis hostibus qui, quod ipsi succenserent, nihil habebant; verum eam ob causam tabescebant, ac dolore disrumpebantur, quod majorem ipse patris benevolentiam obtineret. Porro Legislator Moses hanc vim amoris, non a pueri virtute, sed ab eo tempore, quo procreatus est, ortum duxisse asserit. Nam quoniam serius quam alii in lucem editus fuerat, inquit, atque in extrema senectute; cordi autem maxime sunt hujusmodi filii, quod præter spem orti sint; idcirco patri carus erat. «Diligebat enim eum pater, inquit, quod eum senex ge» nuisset[1].»

XI. Hæc autem, mea quidem sententia, scripsit Legislator, non id quod res erat narrans, verum patris prætex-

[1] Gen xxxvii, 3.

tum et obtentum. Quoniam enim adolescentem apud fratres invidia flagrare perspiciebat, ut huic eorum morbo mederetur, eam amoris causam effinxit, quæ non magnum ipsi livorem procrearet. Nam quod alioqui non ea amoris causa esset, verum efflorescens animi virtus atque ætate maturior, ex Benjamin liquido perspici potest. Nam si eam ob causam ille amabatur, multo utique magis hunc amari oportebat, qui natu minor erat. Siquidem Benjamin post Josephum satus est, atque a seniore patre procreatus. Verum, ut jam a me dictum est, patris hoc figmentum erat, fraternum bellum reprimere studentis. Ac ne sic quidem id assequi potuit : verum acrius flamma exardescebat. Et quia nihil aliud tum efficere poterant, fœdam labem ipsi asperserunt, ac turpe crimen in eum conjecerunt, barbaram videlicet mulierem fratres antevertentes, ac multo sceleratiores ea se præbentes. Illa enim in alienum, hi in fratrem improbi et scelerati erant. Ac ne his quidem finibus improbitatem suam circumscripserant : verum, ut ad priora semper aliquid adderent, omni studio laborabant : cumque in deserto loco solum nacti jugularunt, et vendiderunt, atque ex libero servum effecerunt, et quidem acerbissimo servitutis genere. Neque enim ejusdem nationis hominibus, verum barbaris, aliena lingua utentibus, ipsisque etiam in barbaram regionem abeuntibus fratrem dediderunt. Deus vero clariorem eum ut redderet, patiebatur ea quæ fiebant, et cum periculis succederent pericula, longanimiter tolerabat. Invidiam enim ac fœdam calumniam cædes excepit, et cæde atrocior servitus. Neque enim leviter a te, id quod dixi, prætereundum : verum in mentem tibi veniat, quantum erat, nobilem adolescentem, in paterna domo cum omni libertate ac tanto patris amore educatum, subito a fratribus, qui nihil quod ipsi objicerent, habebant,

vendi, atque barbaris diversa lingua utentibus, immanibus, belluisque potius quam hominibus dedi, et extorrem atque exulem, ac servum et peregrinum liberalem juvenem effici, ac post tantam felicitatem, ad extremam servitutis calamitatem, cujus prorsus insolens erat, devolvi, crudelissimosque dominos accipere, atque in alienam et barbaram terram abduci. Quin ne hic quidem malorum finis erat, verum post admiranda illa insomnia, quæ prænuntiabant fore ut ipse a fratribus adoraretur, insidiis rursum insidiæ succedebant. Nam ne ipsi quidem mercatores qui acceperant, eum retinuerunt, verum improbioribus rursum barbaris vendiderunt. Non te fugit, quanti ad calamitatem momenti sit, tales dominos talibus dominis commutare. Hoc enim molestiorem servitutem reddit, cum externi rursum sunt, qui emunt, ac prioribus atrociores. Post in Ægyptum ingreditur, tum cum Deo bellum gerentem, et furore laborantem, unde impudentia ora, unde impiæ linguæ promanabant : apud Ægyptios fuit, quorum vel unus potuit magnum Mosem fugitivum et exulem reddere. Ac posteaquam aliquantum illic respiravit; quod videlicet benignus Deus res ab hominum opinione remotas administrans, immanem illam feram, quæ ipsum emerat, in ovem convertisset; confestim ipsi rursum arena comparabatur, rursum stadium, rursum pugnæ ac certamina, et sudores prioribus acriores. Sceleratis enim oculis eum hera conspicata, ipsiusque pulchritudine atque elegantia superata, prorsusque amoris affectu correpta, præ impudica hac cupiditate leænam sese pro fœmina præbebat. Ita rursum domesticus hostis erat, contrario tamen et alio quam priores, animo præditus. Illi enim odio adducti sunt, ut eum domo ejicerent : hæc contra amans, ac juvenis cupiditate incensa : et quidem duplex, imo triplex, ac multiplex hoc bellum erat. Neque enim quia retia saltu supe-

ravit, ac brevi temporis puncto laqueum dissecuit, idcirco eum hoc certamen sine labore confecisse existimes : siquidem ingentem sudorem in ea re subiit.

XII. Ac si id perspicue scire tibi cordi est, cogites velim cujusmodi res sit juventus, ac juventutis flos. Nam tum in ipso juventutis flore erat : quo tempore acrior naturæ flamma excitatur, quo ingens libidinis tempestas, quo denique tempore imbecillior ratio. Juvenum enim animi non admodum magno prudentiæ præsidio muniuntur, nec magnum virtutis studium gerunt : verum et affectuum tempestas atrocior est, et ratio, quæ eas gubernat ac moderatur, infirmior. Ad naturam autem et ætatem illud etiam accedebat, quod ingens mulieris impudicitia erat. Et sicut Persicæ illæ manus Babylonicam fornacem magno studio accendebant, copioso igni alimoniam præbentes, ac varios flammæ fomites admoventes : eodem quoque modo tunc infelix illa et ærumnosa mulier flammam fornace illa graviorem ac periculosiorem accendebat, unguenta nimirum olens, genarum pigmentis, oculorum picturis, fracta et enervata voce, motibus, ingressibus lasciviens, molli vestitu, auri ambitu, ac sexcentis aliis ejusdem generis illecebris et imposturis adolescentem a mente deducens. Et quemadmodum peritus quidam venator, fera captu difficili potiri studens, omnia artis instrumenta admovet : sic ipsa juvenis pudicitiam perspectam habens ; nec enim ea ipsi tanto tempore incognita esse poterat : ingenti sibi ad juvenem in captivitatem redigendum apparatu opus esse judicavit, ob eamque causam nulla libidinis machina erat quam non moveret. Ac ne hæc quidem satis esseducens, tempus insuper et locum ad prædam appositum requirebat. Quamobrem haud statim atque se ipsius amore captam esse sensit, cum adortá est : verum diu expectavit, improbam hanc cupiditatem parturiens,

ac se comparans: quod vereretur, ne, si celeritatem adhiberet, ac tumultuarie insidias moliretur, præda effugeret. cum autem aliquando eum domi solum invenisset solitis vacantem rebus, foveam profundiorem jam fodit, ac voluptatis pennis undique expansis, tanquam mediis retibus interceptum juvenem habens, irrepit, ac sola solum nacta; imo, non sola: nam et ætatem et naturam ac denique suas ipsius machinas socias habebat; generosum illum adolescentem ad nefarium facinus per vim deinceps trahit. Quid hac tentatione gravius? quid hac fornace ac flamma vehementius et acrius, juvenem vigentem, servum, destitutum, urbe carentem, extraneum, exulem, ab hera usque adeo libidinosa et furente, tantis opibus tantaque potentia circumfluente, in tanta solitudine; nam hoc quoque ad hujusmodi capturam conducit; correptum teneri atque illecebris deliniri, et ad herilem lectum duci, idque post tot pericula et insidias? Non enim te fugit plerosque, posteaquam calamitatibus ac rerum acerbitatibus confecti sunt, si ad luxum animique remissionem, et molle ac dissolutum vitæ genus vocentur, promptius accurrere solere. At non ille: verum tolerantiam constanter in omnibus rebus præ se tulit. Equidem hunc thalamum et Babylonicam fornacem, et Danielis lacum leonum, et marinæ belluæ ventrem, in quem Propheta incidit, appellare haud dubitem: imo etiam his longe graviorem. Illic enim corporis interitus insidiarum victoria erat: hic autem animæ exitium, et mors sempiterna, et calamitas omnis consolationis expers. Nec vero duntaxat hoc nomine gravis ac periculosus hic lacus erat, sed etiam quia præter vim ac dolum ingenti quoque libidine plenus erat, multoque ac multiplici igne, non corpus urente, verum animam ipsam inflammante. Id quod etiam Salomon, qui, quam periculosum sit cum muliere matrimonio cum viro copulata congredi, maxime

perspectum habebat, his verbis testatur: « Quis alligabit » ignem in sinu suo, et vestimenta ejus non ardebunt? » Quis ambulabit super prunas, et pedes ejus non combu» rentur? Sic omnis qui ingreditur ad mulierem proximi » sui, non erit mundus, cum tetigerit eam[1]. » Quod autem ait, hanc sententiam habet : Quemadmodum fieri nequit, ut qui in igne versatur, non exardescat : sic nec fieri potest, ut qui consuetudinem cum feminis habet, incendium quod hinc oritur, effugiat. Hic autem, quod multo gravius erat, sustinuit. Non enim eam ipse attigit, verum ab ea detinebatur, solus a sola comprehensus : idque, cum jam tot calamitatibus confectus, tot insidiis afflictus esset, ac requietis et securitatis cupiditate teneretur.

XIII. Et tamen, cum inter tot retia versaretur, ac multiplicem feram impetum in se facere, et omni ex parte se laniare conspiceret, per tactum, per vocem, per oculos, per fucum et pigmenta, per aurea ornamenta, per unguenta, per indumenta, per mores, per verba, per mundum muliebrem quem gestabat, per solitudinem quæ id afferebat ut nemo id scire posset, per opes, per potentiam; ac præterea ipsa, ut superius a me dictum est, ætatem, naturam, servitutem, atque in aliena regione commorationem, rei gerendæ socias haberet, omnem illam flammam superavit. Ego vero hanc tentationem, et fratrum invidia, et propinquorum odio, et venditione, et barbarorum dominatu, et longa peregrinatione, et in aliena regione commoratione, et carcere, et catena, et diuturno tempore, et omnibus ærumnis quibus illic conflictatus est, multo graviorem esse confirmo. Siquidem de extremis periculum ipsi creabatur. Postcaquam autem hoc quoque bellum effugit, atque hic etiam, tum Dei gratia, tum juvenis virtute hic roscidus spiritus perflans

[1] Prov. VI, 27.

fuit: tanta enim in eo tranquillitatis animi et pudicitiæ copia erat, ut etiam illius furorem comprimere et extinguere studuerit; posteaquam, inquam, ipse intactus excessit, non secus videlicet atque adolescentes illi qui Persicam flammam effugerunt; « Neque enim, inquit, ignis odor » in illis erat[1] : » magnusque castitatis pugil emicuit, atque adamantem imitatus est, quid statim sit consecutus, et quænam præmia victorem exceperint, videamus. Insidiæ rursum, et voragines, et mors, et pericula, et calumniæ, et odium iniquum ac stolidum. Misera enim illa mulier gravi furore amorem solatur, affectumque affectui copulat, atque impudicæ cupiditati sceleratam iram adjungit, et post adulterium carnifex efficitur. Atque ingentem feritatem spirans, sanguinariis oculis respiciens, tribunal constituit, corruptumque judicem collocat, hoc est illius herum, virum suum, barbarum, Ægyptium; crimenque sine teste inducit. Ac ne tribunal quidem ingrediendi potestatem reo facit, verum secure accusat, judicis nimirum stultitia et benevolentia, suo quasi fide digno testimonio, ac denique ejus qui accusabatur servitute, freta : ac rem contra quam gesta fuerat narrans judicem superavit, eumque adduxit, ut secundum se judicaret, insontemque damnaret, eique gravissimam pœnam imponeret, ac statim carcer, et abductio, et vincula. Ac ne judice quidem viso condemnabatur eximius ille vir. Et, quod gravius est, ut adulter condemnabatur, ut herilis lecti appetitor, ut alieni matrimonii violator, ut convictus et deprehensus. Nam et judex, et accusatrix, ac denique pœna quæ subsequebatur, apud multos ac veritatis ignaros, hoc efficiebant, ut fabula fidem inveniret. At nihil horum animum illius conturbavit, nec dixit : Hæccine somniorum remuneratio est? Hiccine visorum illorum

[1] Dan. III, 28. In vulg. 95.

eventus? hæccine pudicitiæ præmia? Præceps ac stolidum judicium, iniqua sententia, atque improba rursum existimatio. Tanquam amasius domo patria nuper ejectus sum: tanquam adulter et muliebris pudicitiæ violator in carcerem nunc ducor, atque omnes de me sententiam ferunt. Ac fratres quidem, a quibus adorandus eram; hoc enim somnia ostendebant; in libertate et securitate, ac deliciis, atque in patria et paterna domo sunt: ego autem, in cujus imperio ac potestate illi futuri erant, cum sepulcrorum effossoribus, cum prædonibus, cum furibus hic vinctus teneor; ac ne patriis quidem sedibus exturbatus, tumultibus negotiisque liberor: verumetiam in extera regione barathra nos rursum ac præacuti mucrones excipiunt. Cumque ea quæ talia designavit, calumniamque struxit, atque utriusque sceleris nomine supplicium extremum meretur, choros nunc agat et exultet, ac velut tropæis ornata victoriæque signis: ego contra, qui nihil sceleris admisi, gravissimam pœnam pendo. Nihil horum ille aut locutus est, aut mente agitavit: verum, ut pugil per coronas gradiens, sic ipse læto atque hilari animo erat, atque ita comparato, ut injuriarum, quas a fratribus, et ab adultera acceperat, memoriam nullam retineret. Unde autem id constat? Ex iis nempe verbis quæ ipse ad aliquem eorum qui illic in vinculis erant, habuit. Tantum enim ab eo aberat, ut mœrore caperetur, ut aliis etiam mœstitias discuteret. Nam cum illic quosdam perturbatos ac mœrore affectos vidisset, ad eos statim, ut causam intelligeret, accessit. Cumque hujusmodi perturbationem a quibusdam somniis profectam esse cognovisset, somnia illa solvit. Ac postea cum uno eorum agens, ut pro sua liberatione verba ad regem faceret: nam etsi fortis atque admirandus vir erat, at homo tamen erat, nec in catenis illis contabescere cupiebat; cum eo, inquam, agens, ut sui apud regem

memor esset, eique, ut se e vinculis emitteret, persuaderet, coactusque causam memorare, ob quam in carcerem conjectus fuerat; quo videlicet is qui pro se deprecaretur, speciosam suscepti sui patrocinii causam haberet; nullius eorum, a quibus læsus fuerat, mentionem fecit: verum cum se criminibus liberasset, his finibus se tenuit, nec eos, a quibus injuriam acceperat, adjunxit: « Ego enim, » inquit, furtim sublatus sum de terra Hebræorum, et hic » nullo scelere perpetrato in lacum injectus sum[1]. » Ecquid autem taces de meretrice, de adultera, de fratricidis, de invidia, de venditione, de heræ furore, de impetu, de libidine, de laqueis, de machinis, de calumnia, de iniquo judicio, de corrupto judice, de nefaria sententia, de condemnatione ab omni ratione aliena? Ecquid hæc siles et occultas? Quoniam, inquit, injuriarum memoriam retinere nescio; quia hæc mihi coronæ sunt et præmia, majorisque lucri occasio.

XIV. Vides animum philosophicum? vides purum ab ira, ac rebus adversis atque retibus sublimiorem? vides eorum potius a quibus læsus fuerat, vicem dolentem, quam injuriarum memorem? Nam ne fratres, aut carnificem illam in medium proferret: « Furtim, inquit, sublatus » sum de terra Hebræorum, et hic nihil sceleris perpe» travi. » Nec usquam personæ meminit, nec lacus, nec Ismaëlitarum, nec cujusquam alterius rei. Et tamen postea non vulgaris eum tentatio excepit. Is enim qui tantam ab eo consolationem acceperat, atque juxta ipsius vaticinium vinculis liberatus, et in pristinum honoris gradum restitutus fuerat, et beneficii et precationis viri justi memoriam abjecit. Ac famulus quidem in regia aula erat, ingenti felicitate fruens: is autem qui solem splendore superabat, atque adeo claros ac nitentes virtutis radios

[1] Gen. XL, 15.

emittebat, carcerem adhuc habitabat, nec quisquam erat qui de eo regem commonefaceret. Si quidem plures adhuc ipsi coronas texi, majoresque palmas comparari oportebat. Ac propterea longiora cursuum spatia tum figebantur: Deo nimirum scammata quidem manere sinente, ac eum tamen haudquaquam omnino deserente, verum insidiatoribus, quæ sua erant, eo usque ostendere atque exequi permittente, ut tamen pugili exitium minime afferret, nec virtutis oppugnatorem de medio tolleret. Etenim in lacum quidem eum conjici, ac vestem cruentari permisit: at non item ipsi cædem inferri sivit. Verum id quidem unus e fratribus suasit: sed id totum divino consilio ac providentia fiebat. Quod etiam in Ægyptiaca muliere contigit. Quid enim causæ est, dic quæso, quamobrem ferox hic vir et intemperans; Ægyptiorum enim mores nostis; hic, inquam, furiosus est et iracundus; nam hic quoque morbus incredibilem in modum ipsis inest; eum, quem adulterum esse, atque uxori injuriam intulisse credebat, non statim gladio concidit, aut flammis dedit; verum cum ita præceps atque inconsideratus esset, ut ad unius partis arbitrium sententiam ferret, nec causam dicendi potestatem reo faceret, tamen supplicii tempore ingentis facilitatis et clementiæ specimen ediderit: idque cum furentem, rabie laborantem, vim illatam querentem, laceratas vestes circumferentem, atque hinc magis exardescentem, ac lugentem et lamentantem uxorem perspiceret? Et tamen nihil horum ipsum ad cædem incendit. Quî tandem istud, dic quæso? Annon perspicuum est, eum qui leones tanquam injecto freno repressit, et fornacis ardorem sustulit, immodicam quoque hujus belluæ indignationem, atque immanem iram extinxisse, ut supplicium adhibita mediocritate temperaretur? Id quod etiam in carcere contigisse quispiam perspiciat. Deus enim

ita eum in vincula conjici, ac cum nocentibus et facinorosis esse permisit, ut tamen eum ab ejus qui carceri præerat, importunitate ac sævitia eripuerit. Nam cum, quibus moribus esse carceris præfectus soleat, minime ignores, tamen ipsi tum lenis ac placidus erat: ac non modo eum nullis laboribus premebat, sed etiam eorum omnium qui illic tenebantur, principatum ipsi concesserat, idque cum eum ut adulterum accepisset, ut nocentem, et insignem adulterum. Non enim in tenuem, sed in magnam et splendidam domum scelus hoc aggressus esse censebatur. Nec tamen quidquam horum eum terruit, eique persuasit ut acerbitate in ipsum uteretur. Verum simul et per calamitates viro justo coronæ texebantur: et Dei auxilium largissime ipsi affluebat. Longiorem adhuc Epistolam facere cupiebam: sed quia hæc quoque, quæ scripsi, Epistolæ modum longe superant, hic finem scribendi faciam, illud abs te petens, quod nunquam petere destiti, nempe ut et mœrorem abjicias, et quod semper fecisti, nec facere desinis, Dei gloriam prædicare, ac de gravibus et acerbis omnibus his rebus ipsi gratias agere ne intermittas. Hac enim ratione tum ipsa maxima bona percipies, tum mortiferum diabolo vulnus infliges, tum nobis ingentem consolationem afferes: et mœroris nubem nullo negotio discutere ac de medio tollere, puraque tranquillitate frui poteris. Quocirca nec animo elanguescas, verum ab hoc fumo emersa et liberata; omnem enim hunc mœrorem, si volueris, fumo citius dissipabis; de hac re nos rursum certiores facias: ut licet alioqui procul a te remoti, magnam tamen ex hujusmodi litteris consolationem capiamus.

EPISTOLA IV[1]

Ad eamdem.

I. De hiemis acrimonia, et stomachi nostri imbecillitate, atque Isauricis incursionibus, nihil est quod nostri causa sollicita sis, curisque te conficias. Hyems quidem fuit, qualis in Armenia esse solet; nec enim amplius quidquam dicendum est; nos tamen haud magnopere lædit. Hoc quippe prospicientes, ad incommodum quod hinc contrahitur, propulsandum multa molimur: nimirum et ignem perpetuo accendentes, et cubiculum, in quo commoramur, undique obsepientes, et pluribus vestibus ac stragulis utentes, et domi semper manentes. Quod etsi nobis molestum est, tamen ob lucrum quod hinc capimus, tolerabile est. Quandiu enim domi nos tenemus, frigore haud admodum divexamur: sin autem aliquantum progredi, atque in externo aëre versari cogamur, non parvo hinc detrimento afficimur. Quamobrem te obsecro, atque summi beneficii gratiæque loco id abs te peto, ut ad depellendam corporis infirmitatem magnam curam et diligentiam conferas. Etenim morbum quidem mœror etiam parit: cum autem corpus quoque laboribus confectum, et morbis debilitatum est, neglectum jacet, ac nec medicorum ope, nec aëris temperie, nec rerum necessariarum copia fruitur; quanta hinc acerbitatis et periculi accessio fiat, velim tecum reputes. Quamobrem te oro, ut et varios peritosque medicos adhibeas, et iis

[1] Anno forte 407.

medicamentis utaris, quæ hujusmodi morbos pellere queant: quandoquidem nos etiam paucis ante diebus, cum ob aëris statum proclivis nobis ad vomitus stomachus esset, atque et aliis curationis generibus, et pharmaco eo, quod a domina mea lectissima et ornatissima Syncletio missum est, usi essemus, nec ultra tres dies illud adhibere nobis necesse fuisset, ipsius imbecillitatem correximus. Itaque te quoque hortor atque oro ut his utaris, desque operam ut hujusmodi medicamentum ad nos rursum mittatur. Nam cum quamdam stomachi subversionem rursum sensissemus, eodem rursum remedii genere usi, malum omnino profligavimus. Quippe et inflammationes in imo pectore conditas sedat, et pituitam exhaurit, et mediocri calore præditum est, et vigorem haud vulgarem affert, et ciborum appetitum excitat: atque harum omnium rerum nobis paucis diebus experimentum præbuit. Fac igitur dominus meus cumprimis venerandus Theophilus Comes exoretur, ut nobis rursum idem medicamentum conficiat, atque ad nos mittat. Nec vero hoc nomine discrucieris, quod nos hic hyememus. Multo enim meliore nunc atque commodiore, quam superiori anno, valetudine sumus. Quare si tu quoque, quam par est, curam adhiberes, multo melius valeres. Quod si ex animi mœstitia morbos tuos ortum duxisse ais, ecquid rursus a nobis Epistolas requiris, cum hinc ad alacritatem animi nihil fructus ceperis, verum mœroris undis ita demersa sis, ut nunc etiam ex hac vita migrare cupias? An ignoras quanta animæ gratias agenti propter morbum quoque merces constituta sit? Annon de hac re et coram, et per litteras persæpe ad te disserui? At quoniam te fortasse, vel negotiorum turba, vel ipsa morbi natura, et crebræ adversitates, eorum quæ a nobis dicta sunt, memoriam animo tuo perpetuo insidentem habere non sinunt,

audi nos rursum mœroris tui ulceribus eadem accinentes. « Eadem enim scribere, mihi quidem non pigrum, inquit, » vobis autem tutum est[1]. »

II. Quid igitur aio, ac litteris mando? Nihil est, Olympias, quod ad laudem et gloriam adipiscendam cum patientia in doloribus perferendis comparari possit. Nam ea præsertim virtutum regina, et coronarum apex est : et quemadmodum ea virtutibus aliis præstat, ita in ea hoc potissimum genus aliis antecellit. Obscurius aliquanto fortasse est quod dico, idcirco planius ac dilucidius istud faciam. Quidnam igitur est quod aio? Non opibus spoliari, etiamsi omnibus prorsus facultatibus quispiam nudetur, non honore dejici, non patriis sedibus exturbari, atque in exilium abduci, non laboribus ac sudoribus distorqueri, non carcerem incolere, ac catenis vinciri, non probra, et convicia, et scommata; neque enim parvum tolerantiæ genus esse existimes res ejusmodi strenuo animo ferre, idque ostendit Jeremias[2], vir tantus, tamque eximius, qui hac tentatione non mediocriter commotus ac perturbatus est; non liberorum amissio, etiamsi omnes repentina morte abripiantur, non hostes frequenter insultantes, non aliud quidpiam ejusmodi, non denique mors ipsa, quæ rerum omnium, quæ molestiæ et acerbitatis speciem habent, caput est, atque usque adeo formidabilis et horrenda est, æque gravis et acerba, ut adversa corporis valetudo. Cui rei testimonio est summus ille patientiæ pugil, qui postquam in corporis morbum incidit, prementium malorum depulsionem mortem esse judicavit. Et quidem, cum cuncta alia perpeteretur, minime sentiebat, quamvis etiam crebras sibique invicem succedentes plagas accipiens, ac postremam acerbissimam et lethalem. Neque enim hoc exigui momenti esse putandum est, verum ex-

[1] Philip. III, 1. — [2] Jerem. XV.

tremæ quoque ejus qui bellum ipsi inferebat; improbitatis et versutiæ, quod non recenti et vegeto, ac tum primum in certamen descendenti, sed jam continuorum telorum mole confecto, tum denique mortiferum hoc vulnus, filiorum nempe interitum, inferret, idque tam graviter et acerbe, ut ex utroque sexu omnes subito, et immatura ætate, et violenta morte opprimeret, ac mortis modum extemporaneum ipsis tumulum efficeret. Neque enim pater jacentes in lecto vidit, nec manus exosculatus est, nec extrema verba excepit, nec pedes et genua tetigit, nec moribundorum ora contraxit, oculosque clausit; quæ quidem parentibus, cum a filiis divelluntur, non parvam consolationem afferunt; nec aliis ad sepulcrum præmissis alios domi invenit, ex quorum aspectu mœrorem, quem ii qui e vita excesserant, ipsi afferebant, minueret: verum convivii tempore, et quidem convivii, non temulentia, sed charitate conferti, in fraterni amoris mensa, super torum jacentes, omnes defossos atque obrutos esse audivit, omniaque inter se mixta fuisse, nimirum cruorem, domum, pocula, tectum, mensam, pulverem, membra filiorum. Et tamen cum hæc audiisset, ac prius etiam alia quæ et ipsa gravia et acerba erant; nam et illi alia misere perierant; pecudum greges, et universa armenta, partim igne cœlitus lapso absumpta, partim a variis hostibus repente abrepta, et cum ipsis pastoribus concisa et obtruncata fuisse improbus hujus tragœdiæ nuntius referebat; cum, inquam, tantam in agris, domi, in pecudibus, in liberis tempestatem brevi temporis momento excitatam, fluctusque fluctibus succedentes, et continuos scopulos, et profundam caliginem, et intolerandos fluctus conspiceret, nec mœrore premebatur, nec ea quæ acciderant, pene sentiebat, hoc est, hactenus duntaxat, quatenus homo, et pater erat. At posteaquam morbo atque ulceri-

bus deditus est, tum vero et mortem exoptabat, et in luctu ac lamentis versabatur. Ex quo intelligas licet, hoc omnibus rebus adversis gravius esse, ac summum patientiæ genus. Atque hoc ne perversus quidem dæmon ignorabat; ac proinde, cum omnibus illis rebus tentatis pugilem tranquillum et a perturbatione immunem manere perspiceret, ad hoc certamen, tanquam omnium maximum se contulit, cætera videlicet omnia tolerabilia esse ducens, etiamsi quis liberos, etiamsi fortunas, etiamsi quidquam aliud amittat; id enim his verbis designatur, « Pellem pro pelle[1]; » at eam demum mortiferam plagam esse, cum quispiam in corpore dolores excepit. Quocirca post hoc certamen superatus, ne hiscere quidem ausus est: cum alioqui prius impudentissime obniteretur, ac contra pugnaret. Hic, inquam, jam ne impudens quidem aliquid reperire potuit, quod fingeret: verum pudore suffusus pedem retulit.

III. Verum ne hoc tibi ad excusandum mortis desiderium idoneum esse ducas, quod ille dolorum vim et acerbitatem non ferens, mortem exoptaret. In mentem enim tibi veniat, quonam ille tempore, quoque rerum statu eam expetebat: hoc est, cum nec lex data esset, nec Prophetæ extitissent: nec gratia ita diffusa esset, nec ipse alia divinæ philosophiæ genera percepisset. Nam quod a nobis plura, quam ab illis qui tum vivebant, requirantur, majoresque nobis palæstræ constitutæ sint, audi Christum dicentem: « Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et » Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum[2]. » Quamobrem ne mortem nunc exoptare, culpa carere existimes: verum hanc Pauli vocem audias: « Dissolvi, et esse cum Christo multo melius est: manere autem in carne, » necessarium propter vos[3]. » Quanto enim magis ingra-

[1] Job. II, 4. — [2] Matth. V, 20. — [3] Philip. I, 23.

vescit calamitas, tanto etiam magis exuberant coronæ : quanto magis aurum inflammatur, tanto etiam purius redditur : quanto longius navigat mercator, tanto plures merces cumulat. Quocirca ne parvum nunc tibi propositum esse certamen putes, verum omnium quæ sustinuisti, altissimum maximeque sublime, de eo loquor quod in corporis adversa valetudine situm est. Nam et Lazaro[1]; licet enim hoc exemplo sæpe ad te usus sim, quo minus tamen nunc adhuc eo utar nihil prohibet; ad salutem hoc satis fuit; atque in sinum ejus, qui communem omnibus prætereuntibus domum habuit, et propter Dei jussum atque imperium perpetuo extorris fuit, ac germanum et unicum filium, in senectute acceptum obtruncavit, is qui nihil horum fecerat, idcirco abscessit, quia paupertatem et morbum, ac patronorum inopiam æquo et facili animo tulit. Tantum enim bonum istud est iis qui forti ac strenuo animo aliquid ferunt, ut etiamsi hominem aliquem, qui maximis peccatis sese devinxerit, nanciscatur, gravissima peccatorum sarcina eum liberet : sin autem probum virum ac multis muneribus perfunctum, ei non exiguum, sed perquam ingentem fiduciæ cumulum efferat. Siquidem justis splendida corona est, solisque fulgorem incredibili quodam intervallo superans : et iis qui in peccatum lapsi sunt, maxima expiatio. Eaque de causa eum quoque qui paternum matrimonium violaverat, ipsiusque lectum contaminarat, Paulus in interitum carnis tradit : hac videlicet eum ratione purgans. Nam quod ea re tanta macula purgaretur, audi eum dicentem : «Ut spiritus salvus sit in die Do» mini nostri jesu Christi[2]. » Quinetiam cum aliis maxime horrendum crimen objiceret, hoc est iis qui sacrosancta mensa et arcanis ilis mysteriis indigne fruuntur, dixissetque eum qui id sceleris admisisset, reum fore corporis et

[1] Luc. XVI, 20. — [2] 1 Cor. v, 5.

sanguinis Domini, vide quanam ratione hos etiam ab hac fœda et gravi macula repurgari atque abstergi dicat, his verbis utens, «Propterea inter vos multi infirmi »et imbecilles[1].» Ac postea illud demonstrans, res eorum non in hoc supplicio mansuras esse, verum nonnihil lucri atque utilitatis hinc rediturum, nempe ut sceleris pœnis hac ratione liberemur, hæc verba subjungit: «Si enim nos ipsos judicaremus, non utique judicare»mur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut »non cum hoc mundo damnemur[2].» Quod autem etiam ii qui multa recte et cum virtute gesserunt, plurimum hinc lucri referant, tum ex Job liquido perspicitur, qui majorem hinc splendorem consecutus est, tum ex Timotheo, qui, cum et a vitio alienus esset, et tantum munus administraret, et cum Paulo orbem circumvolaret, non duos aut tres dies, non decem, aut viginti, aut centum, sed multo plures, imo assidue in morbo versabatur, atque ingenti corporis imbecillitate laborabat. Quod quidem etiam Paulus indicans, his verbis utebatur: «Modico vino »utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas in»firmitates[3].» Nec ipsius morbum profligavit is qui mortuos ad vitam revocabat, verum eum in morbi fornace versari permisit, quo amplissimæ libertatis ac fiduciæ opes hinc ipsi cogerentur. Nam quæ a Domino ipse perceperat, quæque ab eo didicerat, eadem quoque discipulo tradebat. Quamvis enim ipse in morbum minime laberetur, at tentationes tamen eum non minus quam morbi, tanquam impactis colaphis torquebant, et multum carni dolorem inurebant. «Datus est» enim «mihi, inquit, stimulus carnis, » Angelus Satanæ, qui me colaphizet[4],» his nimirum verbis vincula, et catenas, et carcerem intelligens, illudque

[1] 1 Cor. XI, 27-30. — [2] Ibid. 32. — [3] 1 Tim. V, 23. — [4] 2 Cor. XII, 7.

etiam, quod raptaretur, ac laceraretur, virgisque a carnificibus sæpius excruciaretur. Quamobrem etiam dolores eos qui hinc carni accedebant, non ferens, hunc sermonem habebat : «Propter hoc ter Dominum rogavit» (ter autem hoc loco sæpe significat) «ut ab hoc stimulo libera»rer[1].» Postquam autem id minime obtinuit, quantaque hujus rei utilitas esset, intellexit, tum vero conquievit, atque ex iis quæ fiebant, voluptatem cepit. Et tu quoque, etiamsi domi maneas lectoque affixa sis, ne propterea inertem vitam ducere te existimes. Siquidem iis, qui a carnificibus raptantur, lacerantur, excruciantur, atque extremis suppliciis mactantur, graviora et atrociora sustines, nimirum summam hujus morbi acerbitatem domestici atque intestini tortoris loco habens.

IV. Quæ cum ita sint, cave aut mortem nunc expetas, aut corpus curare negligas. Neque enim hoc tutum fuerit. Ac propterea Paulus quoque Timotheum, ut valetudini suæ diligenter consulat, admonet. Sed de morbo satis multa a nobis verba facta sunt. Quod si tibi mœroris causam id affert, quod a nobis sejuncta sis, hujus etiam rei lætum finem expecta. Atque hoc non consolandi animi tui causa nunc dico : sed quia exploratum mihi est ita fore. Nam nisi ita futurum esset, jampridem, nisi me opinio fallit, quantum quidem ad illatas mihi calamitates attinet, e vita cessissem. Ut enim etiam omnia quæ Constantinopoli perpessus sum, præteream, quanta, posteaquam ex urbe excessi, in tam longo ac molesto itinere pertulerim; quorum multa erant ejusmodi, ut mortem afferre possent; quanta postquam huc veni, quanta postquam Cucuso migravi, quanta denique postquam Arabissi commoratus sum, intelligere tibi licet. Ac hæc omnia effugimus, ac nunc percommoda valetudine utimur, atque in magna se-

[1] 2 Cor. XII, 9.

curitate sumus : adeo ut Armenii ad stuporem usque mirentur, me in tam imbecilli, et gracili corpore, tam intolerandam frigoris vim perferre, ac spiritum ducere posse, cum ii etiam qui hiemi assueti sunt, hinc non vulgarem in modum afficiantur. At nos ad hunc usque diem illæsi atque incolumes mansimus : et prædonum manus effugimus, qui sæpe in nos impetum fecerunt, et rerum necessariarum inopia laboramus, ac ne balneo quidem uti nobis licet. Atqui, cum istic degeremus, eo nobis assidue opus erat : nunc autem in eum statum atque habitum evasimus, ut ne hujusmodi quidem solatii cupiditate teneamur, verum majorem sanitatem consecuti simus, quam ut illud adhibere necesse habeamus. Ac nec cæli intemperies, nec locorum solitudo, nec rerum venalium angustia, nec eorum, a quibus curemur, inopia, nec medicorum inscitia, nec balneorum penuria, nec quod perpetuo in cubiculo tanquam ergastulo clausi teneamur, nec quod progredi nequeamus; quod quidem nobis assidue facere necesse erat; nec quod semper cum fumo atque igne simus, nec prædonum metus, nec perpetua obsidio, nec denique quidquam aliud hujusmodi nos fregit ac superavit : verum melius commodiusque, quam cum istic essemus, adhibita tamen ingenti cura, valemus. Hæc igitur omnia tecum reputans, mœrorem qui his de causis nunc te tenet, propelle, nec supervacaneas et graves a te ipsa pœnas exige. Mitto ad te id quod nuper litteris mandavi, nempe eum qui se ipsum non læserit, a nemine alio lædi posse. Hoc quippe contendit, atque in eo elaborat ea oratio, quam nunc ad te mitto. Quare fac eam assidue pervolvas, imo etiam, si per valetudinem licet, recites. Id enim pharmacum, si quidem volueris, tibi sufficit. Sin autem nobis pertinacius obluctetis, ac neque te ipsam cures, nec, quamvis innumeras admonitiones et cohorta-

tiones præsto habeas, e mœroris tamen cœno emergere animum inducas; nos quoque haud facile tibi morem geremus, neque adducemur ut longas et crebras epistolas mittamus, si nihil ad animi alacritatem hinc fructus atque utilitatis perceptura es. Quonam igitur pacto id sciemus? Non si dixeris, sed si ex rebus ipsis declararis. Quandoquidem nunc quoque hoc confirmasti, nihil aliud quam mœrorem, hunc tibi morbum conflavisse. Quoniam igitur hoc ipsa confessa es, nisi morbo libereris, minime nobis fidem facies te animi mœrorem depulisse. Nam cum hic sit, ut ipsamet scripsisti, qui morbum accersat, non est profecto dubium, quin eo sublato morbus quoque de medio tollatur, evulsaque radice una etiam ipsius rami pereant. Nam quandiu florere ac vigere, fructumque, quem minime par sit, proferre perstiterint, id nobis persuaderi non poterit, te radice liberatam esse. Quocirca, ne mihi verba, sed res ostende. Ac si sanitatem obtinueris, litteras rursum quæ orationis modum excedant, ad te mitti videbis. Nec vero levem hanc consolationem existimare debes, quod vivimus, quod valemus, quod, cum in tantis rerum difficultatibus ac molestiis versemur, a morbo tamen et adversa valetudine liberi sumus : quod quidem hostes nostros, ut comperi, non mediocri tristitia et dolore afficit. Quare consentaneum est vos etiam magnam consolationem hanc, atque adeo consolationum caput existimare. Cœtum tuum, qui nunc per eas quas perfert, calamitates magis in cœlis ascriptus est, desertum ac destitutum ne voca. De Pelagio monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint qui forti animo in acie steterunt, cum viros qui tam pie ac sancte, tantaque cum tolerantia vixerunt, abripi, atque in fraudem impelli videamus.

EPISTOLA V[1]

Ad eamdem.

I. Vestræ auctæ sunt ærumnæ, latiora rursum vobis scammata, cursuumque longiora spatia constituta sunt: atque eorum qui vobis insidias moliuntur, iracundia in majorem flammam assurgit. At minime propterea commoveri ac perturbari debetis, verum hoc ipso potissimum nomine lætari et exultare, coronisque caput redimire, ac choros agitare. Nam nisi mortiferas prius diabolo plagas intulissetis, non usque adeo fureret hæc bellua, ut ultra progredi auderet. Quamobrem, tum vestræ fortitudinis et victoriæ, tum ingentis illius cladis hoc est argumentum, quod ille acrius nunc in vos impetum faciat atque insultet, majorisque impudentiæ documentum edat, ac profusius venenum effundat. Quandoquidem etiam in beato Job, posteaquam in bonorum amissione ac filiorum ereptione victus est, tum quoque se gravibus vulneribus affectum esse perspicue ostendens, ad id quod malorum caput erat, hoc est ad carnis oppugnationem, et vermium scaturiginem, et ulcerum chorum se contulit; chorum enim et coronam, et sexcentarum victoriarum examen appello. Ac ne hic quidem constitit: verum quoniam nulla alia paris momenti machina ei reliqua erat; etenim velut extremam calamitatum lineam ipsi morbum illum invexerat; alia rursum tormenta bellica movebat, uxorem videlicet armans, amicos in eum extimulans, famulos con-

[1] Anno ut putatur 406.

citans atque efferos reddens, atque omni ratione ipsius vulnera exulcerans: id quod etiam nunc tentare non desinit; verum in suum ipsius caput; quandoquidem hinc fit ut res vestræ magis splendeant, sublimioresque in dies ac luculentiores fiant. Majores enim tunc vobis opes existunt, uberior fructus, crebræ atque continuæ coronæ. Magnum etiam per ipsas rerum acerbitates vobis fortitudinis incrementum affertur, ac per hostiles insidias acuitur vestra tolerantia. Ea enim est afflictionis natura, ut eos qui eam placido ac strenuo animo ferunt, rebus acerbis superiores, ac diaboli telis sublimiores reddat, insidiasque aspernari doceat. Siquidem et arbores quæ in umbris aluntur, majorem mollitiem contrahunt, atque ad fructuum procreationem minus commodæ redduntur: quæ autem aeris inconstantiam experiuntur, ac ventorum impetus, ardentesque solis radios excipiunt, plus roboris hinc colligunt, et foliis abundant, ac fructuum copia curvantur. Sic nimirum in mari quoque usu venire consuevit: nam qui primum navem conscendunt, tametsi admodum strenui sint, ob navigandi insolentiam perturbantur, tumultuantur, tenebricosa vertigine corripiuntur: at qui multa maria peragrarunt, ac multas tempestates, et saxa latentia sub undis, et scopulos, et belluarum impetus, et prædonum ac piratarum insidias pertulerunt, et continuas procellas sustinuerunt, fidentiore deinceps animo, quam qui in terra ambulant, in navi sedent, non intus duntaxat ad carinam, sed etiam in ipsis navis lateribus insidentes, atque tum in prora, tum in puppi sine ullo metu stantes: et qui prius ante omnium oculos cum metu ac tremore jacebant, posteaquam diuturnum tempestatis periculum fecerunt, jam et funem trahunt et vela pandunt, remos capessunt, atque in omnes navis partes facile concursant. Quocirca ne quid eorum quæ accidunt, vos perturbet.

Huc enim nos hostes vel inviti redegerunt, ut nullo jam malo affici queamus, quippe qui effusis omnibus suis telis, nullum hinc aliud emolumentum perceperint, quam ut ignominia perfundantur, et irrideantur, atque ut communes orbis universi hostes ubique conspiciantur. Hæc insidiatorum præmia sunt : hic bellorum finis. Papæ, quanta res est virtus, et præsentium rerum contemptio! Per insidias lucra comparat : per insidiatores coronam consequitur, per eos a quibus male mulctatur, illustrius splendet, per eos qui hoc agunt ac moliuntur, ut ipsam dejiciant, homines suî studiosos firmiores, sublimiores, invictos et inexpugnabiles reddit non lanceis, non mœnibus, non vallo, non turribus, non pecuniis, non militaribus copiis, sed firma tantum voluntate animique constantia opus habentes : ac denique humanas omnes insidias vincit.

II. Hæc igitur, religiosissima domina mea, tum tibi ipsi, tum iis quæ tecum præclarum hoc certamen obeunt, accinens, da operam ut omnium animos erigas, tuamque aciem instruas : quo tibi duplex et triplex, ac multo etiam copiosior virtutis corona comparetur, tam per ea quæ ipsa perpeteris, quam quia alios ad eadem subeunda impellis, eosque adducis ut leviter ac placide omnia ferant, et umbras contemnant, atque insomniorum imposturam aspernentur, ac lutum proculcent, nullamque fumi rationem habeant, nec aranearum telas molestiæ quidquam vobis afferre existiment, fœnumque putredini obnoxium prætereant. Nam humanæ felicitatis vanitas id omne est, atque adeo his omnibus rebus vilior. Nec facile quisquam simulacrum ullum reperire queat, quod ipsius vanitatem exacte repræsentet. Siquidem præter hanc vanitatem haud parvum insuper iis qui ipsi inhiant, detrimentum affert, non in futuro duntaxat ævo, sed etiam in præsenti vita, atque ipsismet etiam diebus, quibus magna sibi ex iis voluptate

afflici videntur. Quemadmodum enim virtus, tum etiam cum bellum adversus eam geritur, exultat et floret, ac splendidius lucet : eodem modo improbitas, tum etiam cum colitur atque observatur, imbecillitatem suam prodit, atque ingentem risum, comœdiamque omni sermonis facultate superiorem ostendit. Quid enim, quæso, Caïno miserabilius fuit, eo etiam tempore quo fratrem vicisse ac superasse, atque iniquam illam et execrandam iracundiam animique concitationem explevisse videbatur? Quid impurius dextra illa, quæ vicisse visa fuit? dextera, inquam, quæ plagam inflixerat et cædem perpetrarat. Quid fœdissima illa lingua, quæ fraudem texuerat, et laqueos expanderat? Quid autem membra ea commemoro, quæ cædem admiserant? nam corpus universum excruciabatur, perpetuo gemitui ac tremori mancipatum. O singularem rerum novitatem! o admirandam victoriam! o novum tropæi genus! Is qui obtruncatus fuerat, atque exanimis jacebat, corona donabatur, ac celebrabatur : qui autem vicerat, et superior discesserat, non modo coronæ expers manebat, verum hoc etiam nomine in cruciatu versabatur, et intolerando supplicio perpetuoque tormento addicebatur. Aque eum qui motu et vita præditus erat, is qui percussus fuerat ac mortem oppetierat : eum, qui loquebatur, is qui vocis expers erat, accusabat. Imovero ne mortuus quidem ipse, verum et sanguis, etiam a corpore sejunctus, ad eam rem vel solus sufficiebat. Tanta hominum virtute præditorum, etiam mortuorum, vis est! tanta rursum improborum, etiam viventium, miseria! Porro cum in ipso certamine tanta præmia sint, cogites velim quanta post certamina merces futura sit cum piis viris præmia referentur, ac bona illa quæ omnem sermonem superant, ipsis suppeditabuntur. Molestiæ namque, quæcumque tandem illæ fuerint, ab hominibus inferuntur : ac proinde

inferentium vilitatem imitantur. At dona et præmia a Deo tribuuntur: ob idque etiam ejusmodi sunt, qualia ea esse par est, quæ ab illa ineffabili munificentia conceduntur. Gaude igitur et lætare, corollis caput redimiens, ac triumphans, hostiumque aculeos magis proculcans, quam lutum alii. Ac de tua valetudine quam creberrime fac nos certiores: ut hinc quoque ingentem voluptatem capiamus. Non enim te fugit magnæ nobis, etiam in solitudine, eam rem consolationi fore, cum de tua sanitate quam sæpissime ad nos litteræ afferentur. Vale.

EPISTOLA VI [1]

Ad eamdem.

I. Ab ipsis mortis januis revocatus hæc ad te scribo: eoque etiam nomine pueros tuos nunc denique ad nos accessisse, vehementer gavisus sum, cum jam ad portum appelleremus. Nam si mihi, cum adhuc in mari jactarer, gravesque morbi fluctus expectarem, occurrissent, pietatem tuam fallere mihi non facile fuisset, læta pro tristibus nuntianti. Hiems enim, gravior quam solebat, exorta, graviorem quoque nobis stomachi hyemem invexit: nihiloque melius ac commodius, quam qui mortem obierunt, imo etiam gravius, hos duos menses confeci. Hactenus enim lucis hujus usura fruebar, ut malorum, quibus undique cingebar, sensu afficerer; omniaque mihi noctis instar erant, hoc est tam dies, quam diluculum, atque

[1] Cucuso anno 405.

ipsa meridies : totosque dies lecto affixus exigebam. Cumque innumeras rationes comminiscerer, contractum tamen ex acerrimo frigore detrimentum haudquaquam excutere poteram. Quamvis enim ignem etiam accenderem, et gravissimum fumum perferrem, et cubiculo inclusus tenerer, sexcentisque pannis memet obvolverem, ac ne limen quidem excedere auderem, nihilominus extremos cruciatus patiebar : quippe cum vomitus subinde orirentur, capitis dolores, cibi fastidia, perpetuæque vigiliæ. Noctis ergo pelagus usque adeo longum insomnis exigebam. Verum ne commemorandis rebus molestis diutius immorans, animum tuum vexem, his omnibus nunc liberati sumus. Nam simul atque ver affuit, atque exigua quædam aëris mutatio contigit, omnia sponte sua dilapsa sunt. Attamen magna mihi adhuc in victus ratione cura opus est. Ac proinde operam do ut levem sarcinam stomacho imponam, quo eam facile digerere queat. Illud vero non vulgari sollicitudine nos affecit, quod te extremo vitæ spiritu conflictari intellexinus. Quanquam pro ingenti meo erga te amore ac rerum tuarum cura et sollicitudine, antequam etiam litteras tuas reciperem, hac cura solutus sum. Permulti enim istinc ad nos venerunt, teque commoda valetudine esse nuntiarunt. Ac nunc majorem in modum lætor et gaudeo, non tantum quod morbo liberata sis, sed potissimum quod ea, quæ accidunt, adeo fortiter ac generose feras, fabulam nimirum hæc omnia vocans. Tum etiam, quod majus censendum est, quia etiam corporis morbo hujusmodi nomen imposuisti, quod quidem strenuæ animæ est, ac fortitudinis fructu abundantis. Nam incommodas et adversas res non modo forti animo ferre, sed ne quidem cum adsunt persentire, verum eas pro nihilo putare, ac perfacili negotio patientiæ coronam adipisci, non laborantem, non sudantem, non negotia habentem, nec aliis

facessentem, verum tanquam exilientem ac tripudiantem, hoc demum perfectissimæ ac numeris omnibus absolutæ philosophiæ argumentum est. Ideo gaudeo et exulto, ac præ voluptate volito, nec præsentis solitudinis cæterarumque ærumnarum, sensu afficior, sed lætor ac voluptate perfundor, deque tua animi magnitudine crebrisque victoriis vehementer glorior, non tua duntaxat, sed etiam magnæ illius ac numerosissimæ civitatis causa, cui etiam turris et portus ac muri loco extitisti, luculentam per res ipsas vocem emittens, atque in tuis calamitatibus utrumque hominum genus erudiens, ut ad hujusmodi certamina prompte atque impigre sese accingant, ac cum omni animi fortitudine in arenam descendant, collectosque ex hujusmodi certaminibus sudores facile ferant. Quodque mirabile est, non in forum te injiciens, nec in mediam civitatem progressa, sed in exiguo cubiculo ac thalamo sedens, iis qui adsunt, animum addis, eosque ad certamen acuis, marique ita furente, ac fluctibus adeo intumescentibus, scopulisque et latentibus sub unda saxis et petris, ac truculentis belluis undique sese ostendentibus, atque altissima nocte cuncta occupante, tu velut meridiano et tranquillo tempore, ventoque ad puppim flante, sic expansis patientiæ velis summa cum facilitate navigas, tantumque ab eo abes ut gravi hac tempestate obruaris, ut ne leviter quidem aspergaris : idque sane merito : hujusmodi enim sunt virtutis gubernacula. Et quidem mercatores et gubernatores, ac nautæ, et vectores, cum nubium concursum, aut sævorum et immanium ventorum impetum, rapidosque fluctus majorem in modum spumantes conspiciunt, naves intra portum continent. Quod si etiam fortasse in mari jactentur, quidvis faciunt ac moliantur, ut ad littus, aut insulam, aut ripam aliquam navim appellant. At tu, cum sexcenti venti, cum tot immanes fluctus omni ex parte inter se col-

lidantur, cum mare ab imis usque gurgitibus ob tempestatis acerbitatem sursum erumpat, atque alii pessum ierint, alii extincti supra undas emineant, cæteri in tabula nudi ferantur; ipsa in medium malorum pelagus insiliens, omnia hæc fabulam appellas, prospero cursu in tempestate navigans: neque id mirum. Navarchi enim, quantumvis scientiam illam teneant, artem tamen, qua omni tempestati reluctentur, non habent: eoque etiam fit, ut certamen cum fluctibus sæpe fugiant. At tibi scientia est omni tempestate superior, nimirum philosophici animi robur, quod et innumeris exercitibus valentius est, et quibusvis armis potentius, et turribus atque muris tutius. Militibus quippe arma, et muri, et turres, ad corporis duntaxat præsidium adjumento sunt, idque etiam non semper, nec perpetuo. Nonnunquam enim omnia ista vincuntur, eosque qui ad se confugiunt, præsidio suo destitutos relinquunt. At vero arma tua, non barbarica tela, non hostium machinas, non hujusmodi impetus et astus fregerunt, sed ipsas naturæ necessitates protriverunt, ac tyrannidem sustulerunt, earumque arcem humi prostraverunt. Ac cum dæmonibus perpetuo dimicans, innumeras palmas adepta, nullam plagam accepisti; verum inter densissimas sagittas incolumis perstitisti, ac tela ea quæ in te conjiciuntur, in eos rursum, a quibus missa sunt, resiliunt. Hæc nimirum artis tuæ sapientia est, ut per ea mala quæ tibi inferuntur, eos, a quibus inferuntur, ulciscaris, et per insidias quæ tibi comparantur, eos qui bellum tibi indicunt, mœrore afficias, amplissimam scilicet adipiscendæ majoris gloriæ segetem habens illorum improbitatem. Quæ cum et comperta habeas, et reipsa persentias, non abs re fabulam hæc omnia nuncupas. Quidni enim, quæso, fabulam appelles, cum corpus mortale nacta sis, et tamen mortem perinde contemnas, ut qui exteram deserere, atque ad

suam patriam redire festinant? cum in acerbissimo morbo verseris, et tamen suavius quam qui optima valetudine ac vegeto corpore sunt, degas, ut quæ nec contumeliis dejiciaris, nec honoribus aut gloria attollaris, id quod multis innumerorum malorum causa fuit, qui, cum etiam in sacerdotii munere fulsissent, atque ad extremam senectutem et canitiem pervenissent, hinc tandem corruerunt, ac cuivis tanquam commune quoddam theatrum proponuntur? At tibi, quæ et fœmina es, et gracili admodum corpore, et tot ac tantos impetus sustinuisti, non modo nil tale accidit, sed etiam ipsa, ne id aliis multis accideret prohibuisti. Atque illi non longe in certaminibus progressi, verum in ipsis præludiis, ipsisque, ut ita dicam, carceribus prosilientes dejecti sunt : tu autem extremam metam sexcenties circumiens, in singulis cursibus palmam arripuisti, multis variisque certaminum generibus editis; et merito quidem. Neque enim in ætate, nec in corpore, sed in animo solo et voluntate virtutis certamina constituta sunt, sic et fœminæ coronam obtinuerunt, et viri prostrati sunt : sic et pueri celebrati sunt, et senes pudore atque ignominia suffusi. Semper quidem admirari par est eos qui virtutis studium consectantur, tum vero præcipue, cum multis eam deserentibus quidam reperiuntur qui eam complectantur. Hoc igitur nomine, te quoque summopere admirari ac suspicere convenit, quod cum tot viri, tot fœminæ, tot senes, qui maxima virtutis existimatione florebant, terga verterint, atque ante omnium oculos prostrati jaceant, non ex ingenti belli impetu, aut acri hostium conflictu, sed ante pugnam prolapsi, ante dimicationem victi ac profligati; tu contra post tot pugnas et conflictus, non modo malorum agmine fracta confectaque non es, sed etiam majorem inde animi vigorem collegisti, ac certaminum incrementum roboris accessionem tibi affert.

Etenim rerum earum quas jam cum laude gessisti, memoria, tum lætitiæ ac voluptatis, tum majoris alacritatis ansam tibi suppeditat. Ac proinde gaudemus, exilimus, et lætamur : neque enim hoc subinde repetere, atque ubique gaudii mei materiam circumferre desinam. Quocirca si absentia nostra te angit, at maxima tibi ex iis, quæ cum virtute gessisti, consolatio suppetit : quandoquidem nos quoque, tanto itineris intervallo a te disjuncti, non parvam hinc, hoc est, ex tua animi magnitudine, delectationem capimus.

EPISTOLA VII [1]

Ad eamdem.

I. Quid ais? Tropæum non erexisti, nec præclaram victoriam obtinuisti, nec perpetuo virentem coronam adepta es? Annon hæc orbis universus affirmat, qui ubique terrarum tua recte facta decantat? Quanquam enim et palæstræ, et certamina in uno loco sita sunt, et cursuum tuorum spatia, et concertationes tuæ, sanguine non sudore refertæ, illic extiterunt : at earum tamen rerum gloria et commendatio extremos terræ fines occupavit. Tu vero ea auctiora reddere, ac palmas amplificare studens, eas quoque, quas animi submissio parit, coronas ipsis adjunxisti, dum te tantum ab hisce tropæis abesse asseris, quantum mortui a vivis remoti sunt. Nam quod hæc verba ab animi submissione profecta sint, ex iis ipsis potius quæ contigerunt, planum facere conabor. Patria pulsa es,

[1] Cucuso anno 405.

domo, amicis, cognatis. In exilium missa es. Quovis die mori non desiisti : atque, quod naturæ deerat, voluntatis et animi amplitudine supplevisti. Nam quia fieri nequit, ut homo reipsa multas mortes oppetat, animo ac voluntate hoc fecisti. Et quod maximum est, cum alia perferres, alia jam jamque expectares; Dei tamen, cujus permissu hæc fiebant, gloriam ob ea prædicare, lethalemque diabolo plagam inferre non destitisti. Nam quod lethale vulnus acceperit, hinc declaravit, quod majoribus postea armis sese instruxit : unde etiam atrociora prioribus posteriora facta sunt. Quemadmodum enim scorpius et serpens, cum alte defixum vulnus acceperunt, sublato altius aculeo adversus eum, a quo percussi sunt, insurgunt, per aerem scilicet in percussorem impetum, acerrimi doloris argumentum exhibentes : eodem etiam modo impudens hæc bellua, quoniam ab admirabili et sublimi anima tua profunda vulnera intimo pectore accepit, vehementiorem in te impetum fecit, ac plures tentationes admovit. Etenim eas ille quidem admovit, non Deus : permisit autem Deus ut opes tuas augeret, quæstumque uberiorem efficeret, atque ampliorem mercedem, et largius præmium tibi conciliaret. Quamobrem nihil est quod perturberis ac tumultueris. Ecquis enim unquam animo elanguit, opibus circumfluens? Ecquis perturbatus est, ad summas dignitates ascendens? Quod si ii qui humana ista congerunt, ista, inquam, caduca et umbra imbecilliora, citiusque quam putridi flores marcescentia, saltant, tripudiant, præ voluptate volitant, præ ea, inquam, voluptate quæ simul et apparet et avolat, fluminumque cursum imitatur : quanto tandem æquius est, te, etiamsi prius in mœroribus fueris, ex præsenti tamen tempore maximæ lætitiæ atque alacritatis occasionem haurire? Thesaurus enim ille quem collegisti, furto subduci non potest : nec

decus illud, quod per has calamitates tibi comparatum est, successionem novit, aut finem expectat, sed ab omni termino alienum est; ut quod nec temporum difficultate, nec hominum insidiis, nec dæmonum insultibus, nec denique morte ipsa interrumpatur. Quod si etiam lugere animus est, eos qui hæc perpetrant luge, horum, inquam, malorum auctores, horum administros, qui et maximos sibi ipsis in futurum cruciatus condiderunt, et hic etiam acerbissimas pœnas luerunt, utpote quos homines aversentur, hostiumque in numero habeant, et diris devoveant atque condemnent. Qui si hæc non sentiunt, hoc quoque nomine potissimum miseri sunt, lacrymisque digni; non secus videlicet ac phrenesi laborantes, qui frustra quidem ac temere calcibus obvios quosque incessunt ac feriunt, sæpe etiam amicos ac de se bene meritos: eum tamen furorem, quo perciti sunt, minime sentiunt. Ob idque incurabili morbo tenentur, nec medicos admittunt, nec medicamenta; quin potius eos quoque qui ipsis mederi atque opem ferre student, rebus contrariis remunerantur. Itaque ob hoc quoque ipsum miseri isti sunt, si tantæ improbitatis sensu carent. Quod si aliorum condemnationem nihil morantur, at certe fieri non potest ut suæ conscientiæ judicium effugiant, quod nec vitari, nec corrumpi potest, nec ullo terrori cedit, nec blanditiis aut pecuniarum largitione labefactatur, nec temporis diuturnitate marcescit.

II. Etenim ille Jacobi filius, qui Josephum a mala bestia devoratum esse patri dicebat[1], ac sceleratam fabulam agebat, atque hac larva fraternæ cædis crimen obvelare conatus est, patri quidem fucum tunc fecit, conscientiam autem suam minime fefellit, nec ab ea ut conquiesceret impetrare potuit: verum ea constanter adversus ipsum

[1] Gen. XXXVII, 19.

insurgebat, clamans perpetuo, neque unquam compesci poterat. Nam cum diuturnum jam temporis spatium intercessisset, is qui admissum scelus patri inficiatus fuerat, neque cuiquam alii prodiderat, nemine accusante, nemine convincente, nemine instante, ac fabulam illam in memoriam ipsi redigente, cum de libertate ac de ipsa vita periclitaretur, conscientiæ accusatorem in tam longo tempore non siluisse, non compressum fuisse ostendit, cum his verbis uteretur : « Certe : in peccatis enim sumus pro fratre nos-» tro : quia despeximus tribulationem ejus, et dolorem » animæ illius, dum deprecaretur nos ; en sanguis ejus a » nobis exquiritur[1]. » Atqui aliud erat crimen quod ipsi intendebatur : nam furti insimulabatur, atque, ut aureum poculum suffuratus, in judicium trahebatur. Verum quoniam nullius ejusmodi criminis sibi conscius erat, non hoc nomine discruciabatur, nec se ob ea, de quibus judicium subibat atque in vincula ducebatur, hæc perpeti dicebat : sed ob ea quæ nemo ipsi objiciebat, nec de iis pœnas expetebat, nec eum in judicium trahebat, imo quæ nondum perpetraverat, ob ea, inquam, ipse se prodebat et accusabat. Conscientia enim ipsum perstringebat : et qui animo usque adeo firmo et intrepido fratris cruorem effuderat, nullo mœroris sensu affectus, nunc contra illius vicem dolebat ; et quos sceleris socios ac participes habuerat, accusabat, crudelitatemque omnem tragicis verbis exaggerabat, dicens, « Dum deprecaretur nos, » et despeximus tribulationem ejus, et dolorem animæ il-» lius. » Quod perinde est ac si diceret : Ad emolliendos animos nostros, atque ad misericordiam inflectendos, natura ipsa sola sufficiebat. At ille lacrymas etiam adjungebat, supplexque nos obsecrabat : ac ne sic quidem nos inflexit, verum « Despeximus tribulationem ejus, et dolo-

[1] Gen. XLII, 21.

» rem animæ illius. » Ideo, inquit, judicium hoc nobis paratum est, ideo in sanguinis periculo versamur, quoniam in sanguinem peccavimus. Ad hunc modum etiam Judas coarguentem conscientiam minime ferens, ad laqueum se contulit, eoque vitam sibi ademit. Et quidem, cum impudens illud pactum inire non dubitabat, dicens: « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam[1]? » non eos, qui id audiebant, verebatur, nempe quod discipulus in magistrum ejusmodi scelera moliretur, nec per eos dies, qui interea fluxerunt, ullo dolore pungebatur, verum ea voluptate, quam ei pecuniæ cupiditas afferebat, temulentus, conscientiæ accusationem non admodum sentiebat. At postquam scelus peregit, pecuniamque sumpsit, ac lucri quidem voluptas finem accepit, criminis autem accusatio vigere cœpit, tum denique nemine accusante, nemine vim afferente, nemine cohortante, sponte sua abiens, tum pecuniam iis a quibus acceperat, projecit, tum scelus suum audientibus illis confessus est, his verbis: « Peccavi, tradens sanguinem justum[2]. » Neque enim conscientiam, quæ ipsum coarguebat, ferre potuit. Ea namque peccati natura est, ut priusquam perpetratum sit, hominem temulentia afficiat, posteaquam autem expletum ac perfectum est, tunc ea voluptas sese proripiat et extinguatur, ac solus jam deinceps stet accusator, conscientia nimirum carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoque extremas pœnas exigente, ac plumbo quovis gravius ipsi incumbente.

III. Atque hujusmodi quidem in hac vita supplicia sunt: in futura autem, quanta iis qui se his sceleribus devinxerint, proponentur, exploratum habes. Quapropter hos lacrymis prosequi ac deflere oportet. Nam et Paulus sic facit, dum iis qui certant ac dimicant malisque affi-

[1] Matth. XXVI, 15. — [2] Id. XXVII, 4.

ciuntur, gratulatur; eos autem qui peccant, luget. Ob idque etiam aiebat : « Ne forte cum venero, humiliet me » Deus meus ad vos, et lugeam multos eorum qui ante » peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immun- » ditia et fornicatione et impudicitia quam egerunt[1]. » Ac rursus ad eos qui in certamine versabantur : « Gaudeo et » gratulor vobis omnibus[2]. » Quocirca, nec eorum quæ contigerunt, nec eorum quæ tibi denunciantur, quidquam te perturbet. Neque enim fluctus rupem percellunt : verum quo vehementiore impetu in eam irruunt, eo magis ab ea infringuntur ac de medio tolluntur : quod etiam in istis quoque contigit, et continget, imo multo magis. Etenim rupem quidem fluctus non labefactant : at te non modo non labefactarunt, sed etiam firmiorem reddiderunt. Ea enim improbitatis, ea virtutis natura est. Illa dum bellum infert, opprimitur : hæc dum bello vexatur, clarius effulget. Atque hæc non modo post certamina, sed etiam in ipsis certaminibus palmam obtinet, ac certamen ipsi certaminis præmium efficitur : illa autem cum vincit, tum majore pudore suffunditur, tum excruciatur, tum ingenti ignominia perfunditur, atque ante reconditum ipsi supplicium, non modo post perpetratum scelus, sed in ipso etiam opere cruciatur. Quod si id obscurius tibi videtur, beatum Paulum audi, utraque ista distinguentem : ad Romanos enim quondam scribens, atque impuram nonnullorum vitam traducens, ostendensque peccatum, etiam ante illatam pœnam, in ipsa actione adjunctum supplicium habere, cum sceleratos tum fœminarum tum virorum, qui præscriptas a natura leges violaverant, ac prodigiosam quamdam libidinem excogitaverant, coitus commemorasset, ad hunc modum loquitur : « Nam fœ- » minæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum qui

[1] 2 Cor. XII, 21. — [2] Philip. II, 17.

» est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto » naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invi» cem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et » mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis re» cipientes[1]. » Quid ais, Paule? Annon voluptate afficiuntur qui hæc audent, atque cum cupiditate flagitiosum hunc divinisque legibus interdictum concubitum perpetrant? Quonam igitur pacto eos in hoc ipso pœnas dare ais? Quod sententiam, inquit, non ab ægrotantium voluptate, sed ab ipsa rerum natura proferam. Quandoquidem etiam adulter, priusquam pœnas pendat, in ipso etiam adulterii opere punitur, etiamsi voluptate affici se arbitretur, dum pejorem ac sceleratiorem animam reddit. Sicarius item, prius etiam quam tribunal ac præacutos gladios prospiciat, atque admissorum scelerum pœnas det, in ipso cædis facinore periit, ut qui etiam ipse deteriorem sibi ipsi animam effecerit. Quodque in corpore morbus est, aut febris, aut hydropisis, aut aliud ejusmodi quidpiam, et in ferro rubigo, et in lana tinea, et in ligno vermis, et in cornibus ipes, hoc in anima vitium est. Servilem enim atque subjectam et sordidam eam reddit; quid autem servilem et sordidam dico? brutorum eam animam efficit, illam nempe lupi, illam canis, illam serpentis, illam viperæ, illam cujuspiam alius bestiæ. Idque ut indicarent Prophetæ, mutationemque ex improbitate contractam omnibus conspicuam facerent, alius dicebat : « Canes muti, non valentes latrare[2], » subdolos scilicet ac veteratores homines, aliisque insidias clam struentes rabidis canibus comparans. Non enim illi, cum rabie laborant, latrantes impetum faciunt, sed compresso clamore accedentes, gravius quam ii qui latrant, eos quos mordent vulnerant. Alius[3] rursum cornicem homines quosdam appellabat (6). Alius item aiebat :

[1] Rom. I, 26. — [2] Isaï. LVI, 10. — [3] Jerem. III, 2.

« Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus » est jumentis insipientibus, et similis factus est illis[1]. » Is denique qui plusquam propheta erat, is, inquam, sterilis filius, ad Jordanem stans, serpentes ac viperarum progeniem quosdam nuncupabat. Quidnam igitur huic supplicio par esse queat, cum is qui ad divinam imaginem conditus, tantoque honore ornatus est, illud, inquam, ratione ac summa mansuetudine præditum animal, in tantam feritatem prolabitur ?

IV. Vidisti quomodo etiam ante supplicium improbitas in se ipsa pœnam habeat? intellige nunc quonam pacto virtus, etiam ante præmia, ipsa sibi præmium sit. Ut enim in corpore; nil enim prohibet, quo minus eodem rursus exemplo, quod perspicuitatis plurimum affert, utamur; ut, inquam, in corpore, is qui sanus est, ac firma valetudine præditus, atque ab omni morbo alienus, etiam ante delicias hoc ipso nomine in deliciis est, utpote qui conjunctam cum sanitate voluptatem habeat, atque ita comparatus sit, ut nec aëris varietas, nec æstus, nec algor, nec mensæ vilitas, nec quidquam aliud ejusmodi molestiam ipsi afferre possit, quod videlicet sanitas iis quæ inde oriuntur, detrimentis propulsandis par sit : eodem modo in anima quoque usu venire consuevit. Ac propterea Paulus etiam, cum flagris cæderetur, vexaretur, innumeris malis afficeretur, gaudebat, his verbis utens, « Gaudeo in passionibus meis pro vobis[2]. » Non modo, inquam, in cœlorum regno virtuti præmium paratum est, sed etiam in ipsa calamitatum perpessione; quando quidem istud quoque amplissimi præmii instar est, nempe pro veritate incommodo aliquo affici. Ob eamque causam Apostolorum chorus e Judæorum concilio lætus rediit[3], non tantum ob regnum cœlorum, sed quia digni habiti

[1] Psal. XLVIII, 13. — [2] Coloss. I, 24. — [3] Act. V, 41.

fuerant pro nomine Jesu contumeliam pati. Nam et hoc ipsum per se amplissimus honor, et corona, et præmium est, voluptatisque perpetuæ materia. Gaude igitur et exulta. Non enim parvum, sed perquam ingens hoc certamen est, nimirum calumniæ : ac præsertim cum ob tam ingens crimen existit, cujusmodi nunc nobis affinxerunt, in publico nimirum tribunali nobis incendium objicientes. Quamobrem etiam Salomon certaminis hujus atrocitatem declarare cupiens : « Vidi, inquit, calumnias quæ fiunt » sub sole, et ecce lacrymas eorum qui calumniis impe- » tuntur, et non erat qui eos consolaretur[1]. » Quod si magnum certamen est, ut revera est, liquet profecto majorem quoque coronam ipsi constitutam esse. Ac propterea Christus eos gaudere et exultare jubet, qui cum ea qua par est, patientia hoc certamine funguntur. « Gaudete » enim, inquit, et exultate, cum dixerint verbum omne » malum adversum vos, mentientes propter me, quoniam » merces vestra copiosa est in cœlis[2]. » Vides-ne quantam voluptatem, quantam mercedem, quantam animi oblectationem hostes nobis accersant? Annon igitur præposterum fuerit, quibus te malis illi afficere non potuerunt, imo quibus contraria effecerunt, his te ipsam a te mulctari? Quidnam autem his verbis volo? Illi non modo pœnam a te expetere non potuerunt; sed etiam delectationis ac perpetuæ voluptatis ansam tibi porrexerunt : tu vero ita te ipsam præ animi consternatione premens, supplicium de te ipsa sumis dum sic anxia perturbaris, atque ingenti mœstitia impleris. Hæc enim illos facere oportebat, si quidem aliquando saltem mala sua agnoscere vellent. Illos, inquam, flere, lugere, erubescere, præ pudore ora sua obtegere, atque in terram se abdere æquum erat, ac ne solem quidem hunc prospicere, sed sese in

[1] Eccle. IV, 1. — [2] Luc. VI, 23.

tenebris includentes, tum sua mala deplorare, tum ea in quæ tot Ecclesias conjecerunt. Te vero exultare ac lætitia diffundi convenit, quia quod virtutum caput est præstitisti. Nosti enim, nosti profecto nihil esse quod patientiam adæquare possit, verum ipsam potissimum virtutum reginam esse, rerum præclare gestarum fundamentum, portum tranquillum, in bello pacem, in tempestate tranquillitatem, in insidiis securitatem : quæ sectatorem suum adamante firmiorem reddit, hancque naturam habet, ut eam nec arma mota, nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum dæmonum agmen, nec terrificæ adversariarum potestatum phalanges, nec denique diabolus ipse cum omnibus suis copiis machinisque in aciem prodiens, detrimento ullo afficere possit. Quid igitur extimescis? quid excruciaris, cum ipsam quoque vitam, si tempus postularit, aspernari diuturna meditatione didiceris? At urgentium malorum finem videre cupis. Erit quoque istud, et quidem brevi, Deo concedente. Gaude igitur et oblectare, atque cogitandis tuis recte factis animum exhilara : nec unquam despera, quin te rursum visuri simus, atque in horum verborum memoriam te revocaturi.

EPISTOLA VIII [1].

Ad eamdem.

Hoc certe futurum erat, ut ne quidem cum ab urbe secessissem, iis qui animum nostrum conterunt, liberarer.

[1] Cum Cucusum peteret anno 404.

Nam qui mihi in via obviam fiunt, partim ab Oriente, partim ab Armenia, partim ex alia quavis orbis parte, lacrymarum fontes profundunt cum nos intuentur, et gemitus edunt, ac toto itinere lamentis nos prosequuntur. Hæc autem idcirco a me commemorata sunt, ut intelligatis nos multos habere qui in eodem, quo vos, dolore versentur. Hoc porro ad consolationem non parum momenti affert. Nam cum id quod contrarium est, tanquam grave et intolerandum Propheta deploret, cum ait, «Et sustinui qui »simul contristaretur, et non fuit, et qui consolarentur, »et non inveni[1]:» liquet profecto istud magnam consolationem afferre, nimirum orbem universum mœroris socium habere. Quod si etiam alteram consolationem quæris, nos qui tot ac tanta mala pertulimus, commoda valetudine utimur, atque in securitate degimus, varias continuasque nostras afflictiones et calamitates atque insidias in summa quiete recensentes, earumque recordatione nos ipsos perpetua lætitia perfundentes. Hæc igitur ipsa quoque tecum reputans mœroris nubem discute, deque tua valetudine quam sæpissime ad nos scribe. Quandoquidem nunc, cum carissimus dominus meus Arabius ad me scripsisset, admiratus sum te nihil ad me litterarum misisse: idque cum domina mea, ipsius uxor, valde te amet. Illud etiam animadverte, res omnes hujusce vitæ tam lætas et jucundas, quam graves ac molestas præterire. Nam etsi arcta porta et angusta via est[2], at via tamen est; verbum enim illud tibi in memoriam redigam, de quo sæpe tecum sum locutus. Etsi lata porta et spatiosa via est: tamen hæc quoque via est. Quæ cum ita sint, da operam, ut a terra, imo ab ipso quoque corporis vinculo te abstrahas, tuasque philosophiæ pennas excites, neque eas sinas ab umbra et fumo, id enim res humanæ sunt, demergi. Quin potius etiamsi

[1] Psal. LXVIII, 21. — [2] Matth. VII, 13.

eos qui tot scelera in nos designarunt, et suis urbibus frui, et honoribus affici, et satellitibus stipari videris, istud verbum accipe : «Lata est porta et spatiosa via quæ ducit ad »perditionem[1] :» eosque ob hoc ipsum magis luge ac deplora. Nam qui hic sceleris aliquid perpetrat, ac propterea non modo nullas pœnas luit, sed etiam honorem ab hominibus consequitur, ita discedet, ut hujusmodi honor maxima sit illi supplicii materia. Ob eamque causam dives etiam ille atrocem in modum torrebatur, non crudelitatis duntaxat illius, qua in Lazarum usus fuerat, pœnas pendens, sed etiam florentis status, quo in tanta inhumanitate per omnem vitæ cursum fruens, ne hinc quidem melior effectus est. Hæc aliaque id genus; neque enim ea tibi unquam inculcare destitimus, tecum ipsa disserens, religiosissima domina mea, gravem hanc mœroris sarcinam abjice, deque eo nos fac certiores, ut quemadmodum etiam ad te scripsi, cum mœrorem tuum litteris nostris levari perspectum habuero, crebrius hujusmodi pharmacum adhibeam.

EPISTOLA IX [2].

Ad eamdem.

Cum viros ac fœminas magno agmine, per mansiones, per urbes sese effundentes, atque ad nostri aspectum collacrymantes intueor, quo in statu ipsi sitis animadverto. Nam cum ii qui nunc primum nos viderunt, mœrore ita frangantur, ut ne emergere quidem facile possint, verum, cum eos rogamus et obsecramus atque admonemus, fer-

[1] Matth. VII, 15. — [2] Cum cucusum peteret anno 404.

ventiores lacrymarum fontes profundant, dubium profecto non est, quin gravior apud vos tempestas sit : sed quo gravior tempestas est, eo quoque ampliora præmia futura sunt, si perpetuo ea cum gratiarum actione sufferatis, ut etiam suffertis. Nam et gubernatores vehementi vento flante, si vela ultra modum expandant, navim subvertunt : si autem modice et ut convenit, ea dirigant, tutissime navigant. Quæ cum explorata habeas, religiosissima domina mea, ne te mœroris tyrannidi constrictam trade, sed ratione tempestatem supera. Potes enim istud : nec tempestas artem tuam excedit : atque ad nos litteras quæ hoc significent, mitte, ut etiam in extera regione degentes, maximam hinc voluptatem percipiamus, cum te hunc mœrorem ea, quam te decet, prudentia et sapientia tulisse intellexerimus. Hæc, cum jam Cæsarea non longe abessem, ad te scripsi.

EPISTOLA X [1].

Ad eamdem.

At hunc quoque metum excutias velim, quem ex itinere nostro concepisti. Etenim, ut jam ante per litteras tibi significavi, corpus nobis et sanitatis et roboris accessionem habuit. Siquidem et aër benigne nobiscum egit, et ii a quibus in exilium avehimur, curam omnem et studium, etiam supra quam volumus, adhibent, ut nos recreent ac reficiant, eaque in re operam navant. Cum autem Nicæa discessurus essem, hanc epistolam ad te dedi, tertia die Julii. Fac igitur ad nos de tua valetudine quam sæpissime

[1] Nicææ scripta cum iret in exilium anno 404.

scribas. Ad eam enim rem operam tibi navabit dominus meus Pergamius, cui magnopere confido. Nec vero de tua duntaxat bona valetudine certiores nos facias, verum illud etiam significes velim, mœroris nubem a te dissipatam esse. Nam si hoc ex tuis litteris intellexerimus, sæpius quoque ad te litteras dabimus, ut qui scribendo aliquid proficiamus. Quamobrem si crebras a nobis litteras accipere cupis, illud nobis aperte indica, ex frequentibus nostris litteris aliquid commodi promanare : ac videbis nos id muneris largissime præstantes. Nam nunc quoque, cum multi qui litteras ad nos afferre poterant, hac iter facerent, nec epistolam a te accepissem, ægre admodum id tuli.

EPISTOLA XI [1].

Ad eamdem.

Quo tentationes nostræ magis ingravescunt, hoc etiam magis consolationes nostræ augentur, lætioremque de futuris spem concipimus. Nunc autem omnia nobis ex animi sententia cedunt : ac secundo vento navigamus. Quis vidit ? quis audivit ? Petræ et sub aquis latentia saxa, et turbines et procellæ cum fragore ruunt : nox illunis, densa caligo, præcipitia et scopuli : et tamen per ejusmodi mare navigantes, nihilo pejore statu sumus quam qui in portu jactantur. Hæc igitur ipsa quoque cum animo tuo perpendens, domina mea religiosissima, hos tumultus ac strepitus supera : deque tua valetudine fac me, quæso, certiorem. Nos

[1] Scripta cum Cucusum iret exulatum anno 404.

enim et commoda corporis valetudine et in animi hilaritate degimus. Nam et corpus nostrum firmius redditum est, et purum aërem haurimus : atque præfecti milites, ii qui nobiscum peregrinantur, ita nos officiis prosequuntur, ut ne famulorum quidem operam requirere nos sinant, cum ipsi famulorum munia exequantur. Etenim pro suo erga nos amore hoc munus præripuerunt. Atque ubique satellitum manu cingimur : unoquoque videlicet hujusce ministerii nomine beatum se prædicante. Unum id demum molestum est, quod te quoque incolumi valetudine esse non exploratum habeamus. Fac itaque istud sciamus : ut hoc etiam lætitiæ nobis accedat, ac domino meo suavissimoque filio Pergamio ingentes gratias habeamus. Si tibi ad nos litteras dare placuerit, ipsius opera ad hanc rem utere. Nam et sincerus amicus est, nobisque addictissimus : et tuam modestiam ac pietatem admodum reveretur.

EPISTOLA XII [1].

Ad eamdem.

Cum ex eo morbo evasissem, quo in itinere laboravi, cujusque reliquias Cæsaream usque tuli, jamque ad integram valetudinem rediissem, ex ipsa Cæsarea hæc ad te scripsi, in qua multis mihi adhibitis remediis melius habui, præstantissimos nimirum celeberrimosque medicos nactus, a quibus, non tam artis subsidiis quam commiseratione atque amicitia curabar. Quorum etiam unus nobiscum una se profecturum spopondit : atque item alii complures

[1] Scripta Cæsareæ in Cappadocia anno 404.

ex iis qui dignitatibus præditi sunt. Ac nos quidem de rebus nostris persæpe ad te scripsimus : tu vero, quo etiam nomine te prius accusavi, raro id facis. Atque ut intelligas id negligentiæ tuæ, ac non tabellariorum penuriæ tribuendum esse; dominus meus, beati episcopi Maximi frater, cum nudiustertius venisset, ab eoque litteras postulassem, negavit te sibi dare voluisse : atque etiam Tigrium presbyterum, cum item ab eo petiisset, id quoque facere recusasse. Itaque hoc ei exprobres velim, ac sincero et ardenti nostro amatori, cæterisque omnibus qui cum Cyriaco episcopo consuetudinem habent. Nam de loci commutatione nolim aut ipsi aut cuiquam alii negotium facessas. Beneficium accipimus. Fortasse enim voluerunt, nec potuerunt. Gloria Deo propter omnia. Neque enim unquam in iis omnibus, quæ mihi contingunt, hoc verbum usurpare desinam. Esto autem, istud non potuerint. An etiam scriberenon potuerunt? At vero dominis meis, cumprimis venerandi episcopi ac domini mei Pergamii sororibus, quæ nostri causa plurimum studii atque operæ suscipiunt, ingentes gratias age. Nam, ut dominus meus Dux ipsius gener propensissimo in nos animo esset, effecerunt, adeo ut vehementer ipse quoque nos illic videre cuperet. Quin tu etiam de valetudine tua, deque iis, a quibus amamur, scribere, quæso, ad nos ne intermittas. De nobis autem sine cura esto. Nam et valemus, et tranquillo atque hilari animo sumus, ingentique ad hunc usque diem requie fruimur. De comitibus autem Cyriaci, scire avemus, missi-ne fuerint : neque enim quisquam nobis de ea re perspicue aliquid retulit : quare istud quoque nobis significate. Ipsi autem episcopo Cyriaco velim hoc dicas me animi mœstitia impeditum ad eum haud scripsisse.

EPISTOLA XIII [1].

Ad eamdem.

Tandem aliquando respiravimus, cum Cucusum venimus, unde etiam has litteras scribimus. Tandem aliquando a fumo, et variis malorum eorum, quæ nos in via invaserunt, nebulis lucem conspeximus. Nunc enim posteaquam ea, quæ dolorem nobis afferebant, effluxerunt, jam tibi ea exponimus. Nam cum in ipsis adhuc versarer, hoc facere nolui, ne te in magnum mœrorem conjicerem. Triginta enim propemodum dies, aut etiam amplius, cum acerbissimis febribus colluctari non destiti : atque ita longum hoc et molestum iter agebam, aliisque item gravissimis stomachi morbis obsessus. Jam quæ hinc sequerentur, considera, nempe cum nec medici præsto essent, nec balnea, nec res necessariæ, nec alia commoda : ac præterea Isaurorum metus nos undique premeret, aliaque mala quæ ex itinerum difficultate nasci consueverunt, hoc est cura, sollicitudo, animi consternatio, inopia eorum, a quibus curari possem. At nunc omnia hæc evanuerunt. Ut enim Cucusum venimus, tum morbum omnem una cum reliquiis abjecimus, integerrimaque valetudine fruimur, tum Isaurorum metu defuncti sumus, quippe cum multi hic milites sint, et quidem paratissimo animo, ut cum ipsis confligant : rerum quoque necessariarum copia nobis undique affluit, omnibus summa cum benevolentia nos excipientibus, etiamsi alioqui desertissimus omnino hic locus sit. At casu quodam dominus meus Dioscorus hic erat, qui

[1] Postquam cucusum pervenerat anno 404.

etiam famulum dedita opera Cæsaream misit, rogatum atque obsecratum, ne domui suæ alteram anteferrem. Aliique item plures idem fecerunt. Verum hanc aliis præferendam necessario mihi existimavi : itaque apud eum divertimus. Atque ipse nobis quidvis est : ita ut ob ingentem ipsius liberalitatem et largitatem, qua erga nos uti cupit, perpetuo cum eo expostulemus. Quippe nostra causa etiam ex ædibus suis in villam migravit, ut nos omni officii genere complecteretur : atque insuper domum nobis ad tolerandam hiemem idoneam exstruit, pro eaque re nihil non agit ac molitur. Denique nullum omnino officii erga nos genus ab eo prætermissum est. Ad hæc plerique alii procuratores et rerum administratores, dominis id ipsis per litteras imperantibus, subinde huc accedunt, parati quavis ratione nos reficere ac recreare. Hæc autem omnia idcirco commemoravi, atque alia quidem, hoc est, priora, deflevi, alia autem, hoc est, læta et jucunda, tibi exposui, ut ne quis temere nos hinc emoveat. Nam si ii qui nos beneficio afficere cupiunt, arbitrii hoc nostri faciant, ut quo loco velimus, nobis esse liceat, nec rursum nobis alterum locum arbitratu libituque suo assignaturi sint, hoc beneficium accipe. Sin autem nos hinc amotos in alterum locum ablegaturi sunt, nobisque rursum iter subire, ac peregrinari necesse est, mihi sane hoc longe gravius acerbiusque fuerit. Primum enim illud metuendum est, ne nos in longinquiorem aut in asperiorem locum ducant : deinde itineris molestiam sexcentis exiliis graviorem esse duco. Siquidem peregrinationis hujusce difficultas ad ipsas mortis portas nos detulit, nuncque, Cucusi degentes, perpetua sessione ac quiete nosmet recreamus, atque tam diuturni temporis ærumnæ, confractisque nostris ossibus, et fatigatæ carni, quietis ope ac subsidio medemur. Affuit etiam domina mea Sabiniana diaconissa (7) eodem ipso die quo venimus,

fracta quidem ipsa et abjecta, ærumnisque affecta, utpote ea jam ætate, in qua moveri quoque difficile est : cæterum juvenili animi alacritate prædita, nihilque adversarum rerum persentiens. Paratam enim se esse dixit etiam in Scythiam proficisci, quandoquidem constans hic rumor erat, fore ut illic deportarer. Certum est autem ei, ut ait, non jam ad suos reverti, verum illic ubi fuerimus, commorari. Atque hanc etiam perquam humane ac studiose, magnaque cum benevolentia Ecclesiæ alumni exceperunt. Quin dominus quoque meus Constantius, religiosissimus presbyter jampridem hic erat. Nam et mecum per litteras egerat, ut ipsi huc veniendi potestatem facerem. Neque enim se citra voluntatem meam atque sententiam id facere audere, quamvis alioqui magna hujus rei cupiditate flagrantem. Addebat etiam se ne illic quidem manere posse : nam latebras quærit, ac sese occultat. Itaque precibus abs te contendo, ut de loco minime aliter facias. Quod si rursus, quid ipsi in animo habeant, periclitandum ducis, tu quidem a te nihil dicas, verum pro tua prudentia, quonam me abducere constituerint, explores : id enim potes. Ac si videris ipsis in animo esse, non longe istinc in maritimam aliquam urbem, puta Cyzicum, aut non longe a Nicomedia me avehere, hoc accipe. Sin autem longius hinc uspiam, aut ita procul, ut hic locus est, ne accipias. Hoc quippe mihi grave ac permolestum fuerit. Hic enim in magna quiete animique remissione versamur : ita ut etiam contractam omnem ex itinere molestiam biduo absterserimus.

EPISTOLA XIV[1].

AD EAMDEM

In qua commemorat, quæ ipsi Cæsareæ acciderint.

I. Quid luges? Quid te ipsam tundis, easque quas ne hostes quidem tui a te exigere potuerunt, pœnas a te ipsa expetis, ut quæ animum tuum mœroris tyrannidi usque adeo addixeris? Etenim litteræ illæ, quas per Patricium ad nos misisti, ipsa animæ tuæ vulnera nobis declararunt. Quamobrem admodum doleo atque angor, quod cum nihil non agere ac moliri debeas, quo mœrorem ex animo tuo propulses, tamen ipsa huc atque illuc te vertas, molestas et acerbas cogitationes colligens, eaque, quæ non sunt; nam hoc quoque dixisti; animo effingens, teque ipsam frustra et incassum, imo summo cum detrimento lancinas. Quid enim angeris, quod nos e Cucuso alio transferre nequivisti? Quanquam aliquo modo nos transtulisti, dum nihil non ideo abs te tentatum atque actum est. Quod si res perfici non potuit, non tamen proinde angi oportet. Nam fortasse hac de causa Deus longiora cursuum spatia nobis proponi voluit, ut splendidiores coronas consequamur. Quid igitur ob ea in dolore versaris, ob quæ laudibus afficimur? cum contra te ob eam causam exultare ac tripudiare, caputque corollis redimere par sit, quod divino beneficio rem tantam ac meritis nostris longe præstantiorem consecuti simus. At hujus loci solitudo tibi mœrorem affert? Et quid tandem hac sede jucundius.

[1] Cucuso scripta anno 404.

Solitudo, tranquillitas ingens, quies, corporis firmitas. Quanquam enim nec forum, nec venale quidquam hæc urbs habet : nihil tamen istud mea interest. Mihi quippe omnia tanquam e fonte affluunt. Siquidem et dominum meum hujus loci Episcopum, et dominum meum Dioscorum habeo, qui nihil aliud muneris atque operæ habere videntur, quam ut me recreent. Quin præclarus quoque vir Patricius tibi narrabit, quonam pacto in animi hilaritate, in oblectatione, in multis obsequiis degamus, quantum quidem ad hanc commemorationem attinet. Quod si ea quæ mihi Cæsareæ acciderunt, in luctum te conjiciunt, in hoc etiam rem parum te dignam facis. Nam illic quoque luculentæ rursum nobis coronæ contextæ sunt : adeo ut omnes nos laudent, prædicent, atque ad stuporem usque admirentur, quod gravibus injuriis acceptis ejecti simus. Verum hæc, quæso, nemo adhuc sciat : etiamsi multi sint qui in vulgus spargant. Significavit enim mihi dominus meus Pæanius, ipsius quoque Pharetrii Presbyteros illic adesse, qui affirmarint se nobiscum communicare, nec cum adversariis commune quidquam habere, nec cum illis versari aut commercium ullum iniisse. Ne igitur eos conturbemus, cave ne quisquam hæc sciat. Siquidem perquam gravia et acerba sunt quæ nobis acciderunt. Atque etiamsi nihil aliud molestiæ atque acerbitatis pertulissem, ea tamen quæ illic contigerunt, ad innumeras mihi palmas conciliandas abunde sufficerent : usque adeo in vitæ quoque discrimen venimus. Te autem oro, ne quid eorum evulges : ac breviter tibi ea exponam : non ut tibi mœrorem afferam, sed ut voluptatem. Nam hæ mihi sunt quæstus occasiones, hæ meæ opes, hæc scelerum meorum consumptio, dum per hujusmodi tentationes sine ulla intermissione gradior, in easque ab iis inducor, a quibus minime expectabam. Nam cum Galata illo (8),

qui etiam nobis mortem pene minitatus est, defuncti, jam in Cappadociam ingredi pararemus, multi nobis in via occurrunt, dicentes, Dominus Pharetrius te expectat, ac quaquaversum iter facit, ne tuo congressu fraudetur, nihilque non operæ ac laboris suscipit, quo te videat et complectatur, atque omne charitatis specimen tibi exhibeat. Monasteria etiam, tum virorum, tum mulierum commovit. Ego autem hæc audiens nihil quidem horum expectabam, verum contraria omnia animo efformabam : tamen eorum qui mihi hæc nuntiabant nemini quidquam horum eloquebar.

II. Postquam autem tandem aliquando Cæsaream ingressus sum, labore ac macie confectus, in ipso febris ardore positus, languens, atque extremos dolores perpetiens, hospitium in ultimo urbis recessu situm nactus sum, dabamque operam ut medicos convenirem, ac fornacem illam extinguerem. Eram enim in ipso febris tertianæ ardore. Quo etiam accedebat itineris ærumna et fatigatio, corporis contritio, eorum, a quibus curarer, inopia, rerum necessariarum penuria, illudque item, quod nullum medicum præsto haberem, quodque et labore ac lassitudine, et caloris æstu, et vigiliis divexarer, ac denique pene exanimis in urbem ingressus essem. Tum vero mihi clerici omnes, populus, monachi, monachæ, medici affuerunt : a quibus perquam officiose acceptus sum, omnibus famulantibus et omnia mihi subministrantibus. Nihilominus tamen ingenti flammæ ardore deflagrans, in extremo periculo versabar. Demum paulatim remittere ac sedari morbus cœpit. At interim nusquam Pharetrius : verum discessum nostrum expectabat : quod cur ita ipsi visum fuisset, haud scio. Cum igitur morbum sensim remissum et sedatum esse vidissem, jam de discessu mecum ipse agitabam, ut Cucusum pervenirem,

atque ab itineris calamitatibus nonnihil conquiescerem. Cum hoc statu res nostræ essent, subito ad nos affertur, Isauros cum infinita hominum manu Cæsariensem agrum populari, ac ingens quoddam oppidum incendisse, cum ingenti clade. Qua re audita, tribunus, acceptis his militibus, quos habebat, ex urbe excessit. Timebant enim ne urbem quoque adorirentur. Atque omnes in metu ac trepidatione erant, de ipso quoque patrio solo periclitantes: adeo ut senes etiam ipsi murorum custodiam susciperent. Cum res eo loco essent, repente sub auroram monachorum cohors, liceat enim mihi ad eorum furorem exprimendum hoc vocabulo uti, ad hanc domum, in qua eramus, accesserunt, eam incensuros, nobisque extrema quæque mala illaturos minitantes, nisi absccederemus. Ac nec Isaurorum metus, nec morbus tam vehementer nos premens, nec aliud quidquam humaniores eos ac moderatiores effecit: verum instabant atque urgebant, tantum furorem spirantes, ut etiam ipsi prætorii milites metu afficerentur. Nam ipsis plagas denuntiabant: et gloriabantur, quod multos prætorios milites fœde verberassent. His verbis auditis, prætorii milites ad nos confugerunt, meque rogarunt atque obsecrarunt, ut etiamsi in Isaurorum manus nobis veniendum esset, tamen eos his belluis liberarem. Quod cum ad urbis Præfectum allatum esset, ipse quoque domum, ut nobis opitularetur, accurrit. Verum ne ipsius quidem precibus monachi permoti sunt, sed ipse quoque elanguit. Cum igitur nullum rei exitum perspiceret, nec nobis ad perspicuam cædem exeundi auctor esset, nec rursus ob tantum illorum furorem intra urbem ut maneremus, suadere auderet, ad Pharetrium misit, precibus ab eo contendens, ut tum ob morbum quo conflictabar, tum ob impendens periculum paucos aliquot dies nobis concederet. Nec tamen hinc quidquam pro-

fectum est; imo acriori etiam postridie impetu affluerunt: nec presbyterorum ullus opem nobis atque auxilium ferre audebat: verum pudore suffusi ac rubore affecti; nam hæc de Pharetrii voluntate et sententia fieri dicebant; sese abdebant et occultabant, nec, cum a nobis accerserentur, obtemperabant. Quid longa oratione opus est? Quamvis tot terrores imminerent, morsque pene certa et ante oculos posita esset, febrisque me conficeret; necdum enim hic malis liberatus eram; hora ipsa meridiana in lecticam me conjiciens, illinc excessi, universa plebe lamentante, ejulante, harum rerum auctorem execrante ac diris devovente, omnibusque plorantibus ac lugentibus. Posteaquam autem ex urbe excessi, quidam etiam clerici venientes, lento gressu, lugentes nos prosequebantur. Cumque nonnulli dicerent, Quonam eum ad perspicuam mortem abducitis? alter ex iis qui nos plurimum amabant, ad me dicebat: Abi, obsecro: in Isauros etiam incide, modo e nobis elabaris. Nam quocumque incideris, tuto incides, dummodo manus nostras effugias. Hæc audiens ac perspiciens egregia matrona Seleucia, domini mei Rufini uxor; nam ea perquam officiose nos coluit; precibus mecum egit, ut in ipsius suburbanam villam, quæ quinque passuum millibus ab urbe distabat, hospitii causa me conferrem, certosque homines nobiscum misit, quibuscum illuc profecti sumus.

III. At ne illic quidem hæ adversum nos comparatæ insidiæ finem habituræ erant. Ut enim Pharetrius hoc rescivit, multas ipsi, ut dicebat, minas intentavit. Cum autem me in villam suam excepisset, nihil quidem ipse harum rerum sciebam: nam ipsa ad nos egressa, hæc nos celavit, procuratori autem suo qui illic erat, ea exposuit, ipsique mandavit, ut nobis omne officii genus impertiret, ac si qui monachi venirent, ut nos contumeliis

incesserent, aut male afficerent, ex aliis villis suis agricolas cogeret, atque ita cum monachis manum consereret. Quin me quoque rogabat, ut in domum suam quæ arcem habebat, nec ullis viribus expugnari poterat, confugerem, ut ex Episcopi ac monachorum manibus elaberer. At ut id facerem, adduci non potui : verum in villa eram, horum omnium ignarus quæ postea in me comparabantur. Ne hoc quidem ipsis ad comprimendum suum adversum nos furorem satis fuit. Postea enim media nocte, me nihil horum sciente; acriter enim instabat Pharetrius, graves in eam, ut ait, minas jactans, eamque cogens atque impellens, ut me etiam e suburbio ejiceret; hominis importunitatem non ferens mulier, insciente me, barbaros adesse significavit, quod scilicet vim eam quam pateretur, dicere præ pudore minime sustineret. Atque media nocte ingressus Evethius presbyter, meque e somno excitans, magno cum clamore hæc dicebat : Surge, obsecro, adventant barbari, nec longe absunt. Hic tecum reputes velim, quonam animo eram cum hæc audirem. Cum autem ex ipso quid facto opus esset, quæsivissem, neque enim nos in urbem confugere posse, ne graviora illic perpeteremur, quam quæ nobis Isauri illaturi essent, exire nos coegit. Nox illunis erat, nox media, caliginosa, tetra; id quod etiam nos in summam consilii inopiam conjiciebat : nec quisquam nobis præsto erat, qui opem ferret : omnes enim nos reliquerant. Metu tamen compulsus, ac jamjam mortem expectans, ærumnis confectus surrexi, ac faces accendi jussi. Verum has quoque presbyter extingui jussit, ne barbari, aiebat, lucis splendore exciti, in nos impetum facerent. Extinctis itaque facibus, mulus qui lecticam nostram gestabat; aspera enim admodum et ardua ac petrosa via erat; in genu lapsus, me qui lectica inclusus eram, humi prostravit, parumque abfuit quin inter-

irem. Deinde exurgens tractim ambulabam, Evethio presbytero, qui etiam ipse ex equo desilierat, manibus me tenente; atque ita manuductus, vel, ut rectius loquar, pertractus, reptabam : neque enim in tanta loci difficultate, periculosisque montibus, media nocte incedere poteram. Cogita, quæso, quid hic mihi animi esset, cum tantis malis constrictus tenerer, ac febris urgeret, nec eorum quæ in me structa fuerant, quidquam nossem, verum barbaros timerem ac perhorrescerem, nihilque aliud expectarem, quam ut in eorum manus inciderem. Annon existimas vel has solas calamitates, etiamsi nihil aliud accidisset, multa nobis peccata oblitterare, atque ingentem mihi gloriæ materiam suppeditare posse? Harum autem calamitatum, ut existimo, hæc causa fuit. Cum primum Cæsaream ingressus sum, omnes qui magistratu fungebantur, Ex Vicariis, Ex Præsidibus sophistæ, Extribuni, plebei omnes, singulis diebus me visebant, colebant, in oculis ferebant; hæc, credo, Pharetrium pupugerunt : nec invidia ea quæ nos Constantinopoli pepulit, hic quoque a nobis abscessit, ut quidem opinor : neque enim affirmo et assevero, sed conjicio. Et quis tandem alia, quæ nobis in via perferenda fuerunt, oratione complecti queat? timores, pericula? quæ quidem ipse quotidie recordans, animoque circumferens, præ lætitia volito et exulto, velut ingentem thesaurum reconditum habens. Nam hoc animo atque affectu præditus sum. Ob idque te obsecro, ut hoc nomine læteris, gaudeas, exultes, Deumque, cujus beneficio hoc consecuti sumus, ut tanta perpeteremur, laudes ac celebres. Atque apud te velim hæc contineas, nec cuiquam enuncies : etiamsi alioqui prætorii potissimum harum rerum fama universam urbem implere possunt, ut qui etiam ipsi in summum vitæ periculum venerint.

IV. Cæterum ex te nemo id resciscat : imo etiam eos, qui narrabunt, comprime. Quod si ob calamitatis reliquias doles, id pro certo habe, me omnibus afflictionibus plane liberatum esse, firmioreque valetudine esse, quam cum istic degerem. Frigus autem quid extimescis, cum et commoda nobis domicilia constructa sint, et dominus meus Dioscorus omnem operam navet, quo nos ne exiguam quidem frigoris partem sentiamus? Quod si ex initiis conjectura duci potest, mihi hoc cœlum orientale esse videtur, neque minus quam Antiochenum (5). Is est tepor, ea cœli temperies. Illud autem mihi permolestum fuit, quod dixisti, Fortasse etiam nobis succenses, ut qui per incuriam officio nostro defuerimus. Atqui pridem ad te litteras dedimus, quibus tecum agebamus, ne nos hinc emoveres. Ego vero illud mecum cogitare poteram, longa tibi oratione multisque laboribus ac sudoribus opus fore, ut mihi de hoc verbo satisfaceres. Quanquam fortasse aliqua ex parte satisfecisti, cum his verbis usa es, Istud duntaxat cogito, ut calamitatem meam augeam. At hoc quoque rursum in summo crimine pono, quod ais te libenter de industria dolores tibi per cogitationes accersere. Nam cum te nihil non agere ac moliri oporteat, quo animi mœrorem extinguas, ipsa tamen, quod diabolo gratum est, facis, mœrorem videlicet animique molestiam augens. At te fugit, quam grave malum sit mœstitia? De Isauris autem, nihil est quod posthac metuas : etenim in regionem suam sese receperunt : idque ut facerent, a Præfecto nihil est prætermissum : multoque tutior hic sum, quam cum Cæsareæ essemus. Neminem enim tam metuo, quam Episcopos, paucis exceptis. Itaque de Isauris nihil metuas. Etenim recesserunt, ortaque hyeme domi se incluserunt, nescio an post Pentecosten egressuri. Quomodo nullas te litteras recipere ais? Tres jam ad te epistolas misi, unam per prætorios

milites, alteram per Antonium, aliam per famulum tuum Anatolium, longas omnes : præsertim autem duas ejusmodi, quæ salutiferi medicamenti instar, quemlibet mœrore afflictum, atque scandalum patientem recreare, atque ad integram animi tranquillitatem revocare possint. Has igitur cum acceperis, subinde atque assidue pervolvas, atque earum vim et facultatem perspicies : ac medicamenti utilitatem abunde experieris, nobisque te fructum hinc percepisse nuntiabis. Est autem penes me tertia quoque ejusdem argumenti, quam nunc ad te mittere nolui. Magno enim dolore hinc sum affectus, quod te acerbas cogitationes cumulare scribis, atque ea quæ non sunt, effingere. Quod quidem verbum a te proferri minime decuit : ejusque causa ipse quoque erubesco ac pudore suffundor. Cæterum epistolas illas lege, ac jam his verbis uti desines, etiamsi alioqui sexcenties mœrere studeas. Quoniam autem de Heraclide quoque Episcopo ad me scripsisti, licet ipsi, si velit, instantiam dare, atque ita molestiis omnibus defungi : nihil enim aliud superest. Ego vero etsi nihil admodum proficiebam, tamen dominam meam Pentadiam monui, ut omnem diligentiam adhiberet, quo calamitati solatium aliquod inveniret. Ais autem te, quod ita tibi ab eo imperatum esset, de his molestiis certiorem me facere ausam esse. Quæ autem hæc audacia est? Nunquam igitur hoc dicere destiti, nec desistam, unam solum rem molestam esse, nempe peccatum : reliqua omnia pulveris ac fumi instar esse. Quæ molestia carcere claudi, ac catenis vinciri? quæ molestia calamitatibus premi, cum calamitas tantarum opum causa sit? quæ molestia, relegatio ac bonorum proscriptio? Mera verba hæc sunt, rerum acerbitate vacua : verba ex mœrore profecta. Nam sive mortem dixeris, naturæ debitum dicis, quod quidem omnino subeundum est, etiamsi a nemine inferatur. Sive exilium dixe-

ris, nihil aliud dicis, quam regionis, ac multarum civitatum prospectum. Sive bonorum proscriptionem dixeris, libertatem dicis, ac solutum, et expeditum esse.

V. Marutham Episcopum, quantum in te fuerit, omnibus officiis complecti ne desinas : ut eum e barathro extrahas. Nam ejus opera ob Persidis negotia magnopere egeo. Atque, si id a te fieri potest, ex eo intellige, quidnam illic ipsius studio atque opera perfectum sit : et cur istuc profectus sit, fac sciam, et num ei duas epistolas, quas ad eum misi, reddideris; si ad me scribere velit, rursum scribam; sin rescribere gravetur, saltem, quid illic profectum sit, tibi exponat, et num quid rursus eodem proficiscens præstiturus sit. Nam ego hac de causa ipsum convenire studebam. Utcumque sit, quidquid tuarum partium est, præsta, munusque tuum exple : etiamsi omnes prono capite in præceps ferantur. Merces enim tua numeris omnibus absoluta erit. Eam igitur quam maxime poteris, demereare. Hoc autem quod dicturus sum, ne prætereas, verum de eo perquam ingens studium exhibeas. Narraverunt mihi Marsi ac Gotthi monachi, apud quos Serapion episcopus perpetuo delitescebat, Moduarium diaconum venisse, illud afferentem, admirandum illum episcopum Unilam, quem non ita pridem ordinavi, atque in Gotthiam misi, multis ac magnis rebus gestis diem suum extremum clausisse : ac Regis Gotthorum litteras attulisse, quibus, ut ad eos Episcopus mittatur, petit. Quoniam igitur ad subversionem eam, cujus minæ nobis intentantur, depellendam, nullum aliud adjumentum conspicio, quam cunctationem ac dilationem; neque enim nunc ipsi in Bosphorum, aut in illas partes navigare possunt; da operam ut illos tantisper ob hiemem remoreris : hæc, quæso, ne negligenter prætereas : istud enim maximi momenti est. Duo quippe sunt, quæ si contingant, quod Deus avertat, maxime me

excruciant; nempe et quod ab istis creandus ille sit, qui tot mala perpetrarunt, et a quibus creari nefas est; et quod simpliciter quispiam creetur. Nam quod non hoc studeant, ut probum virum instituant, tibi quoque perspectum est. Quod si hoc fiat, quod utinam ne fiat, quæ deinceps sequentur, haud te fugit. Ac proinde, ne quid horum fiat, omni studio contende. Quod si Moduarius clam ac sine ullo strepitu ad nos excurrere posset. id operæ pretium esset. Sin autem id nequeat, fiant, ut licet, quæ fieri poterunt. Nam quod in pecuniis usu venit, atque etiam in vidua illa contigit[1], hoc quoque in negotiis locum habet. Ut enim illa duobus obolis collatis, omnes qui plura contulerant, superavit, ut quæ universas suas opes profudisset : sic etiam qui in negotia omni animi contentione incumbunt, quantum quidem in ipsis est, omnia confecerunt, etiamsi nihil inde utilitatis manarit, mercedemque suam numeris omnibus absolutam habent. Hilario Episcopo maximas gratias ago : per litteras enim a me petiit, ut sibi in urbem suam abeundi potestatem facerem, compositisque rebus se ad nos rediturum spopondit. Quoniam igitur ipsius præsentia non parum utilis est; nam vir pius est, constantique ac fervido animo; eum hortatus sum ut cum eo profectus fuerit, statim redeat. Ac proinde da operam, ut epistola nostra, et celeriter, et tuto ipsi reddatur, ac non projiciatur : siquidem magna cum cupiditate ac vehementia nostras litteras postulavit, ingentemque ipsius præsentia utilitatem affert. Velim igitur eas diligenter cures, ut nisi presbyter Helladius istic sit, per prudentem aliquem virum ac cerebro præditum amicis reddantur.

[1] Luc. XXI, 2.

EPISTOLA XV[1].

Ad eamdem.

Tu-ne cum ab ineunte ætate tantum philosophiæ specimen dederis, humanumque fastum proculcaris, spem habebas fore, ut tranquillam ac pacatam vitam duceres? Quî vero id fieri posset? nam cum homines cum hominibus colluctantes, innumeras tum in palæstris tum in bellis plagas accipiant; tu, quæ adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritualia nequitiæ te accinxisti, et quidem ita strenue, totque tropæa erexisti, ac tot modis ferocem illum et pestiferum dæmonem molestia affecisti, unde tandem in eam spem veneras, fore ut tranquillam ac negotiorum molestiis vacuam vitam ageres? Quocirca non eo nomine perturbari convenit, quod multa undique bella, multique tumultus ac perturbationes oriantur. Quin potius, si nihil horum contigisset, tum demum erat cur mirareris. Siquidem virtuti labor ac discrimen adnexum est. Idque tu, prius etiam quam nostras litteras legas, perspectum habes, nec opus est ut ab aliis discas : nam nec ipsi, ut ignorantem doceamus, hæc scribimus. Scimus enim, nec exilium, nec opum jacturam, quod plerique intolerandum ducunt, non contumeliam, non aliam ullam hujusmodi calamitatem te perturbare posse. Nam cum eorum qui hæc pertulerunt, socii beati prædicentur, multo certe beatiores sunt qui in iis versantur. Eaque de causa Pau-

[1] Arabisso anno 406.

lus utroque nomine eos qui ab Hebræorum religione ad Christianam fidem se contulerant, his verbis laudat : « Re-» memoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum » certamen sustinuistis passionum, in altero quidem op-» probriis ac tribulationibus spectaculum facti, in altero » autem socii taliter conversantium effecti[1]. » Ob idque ne nos quidem longam Epistolam condimus. Nemo enim ad eum qui victoriam adeptus est, ac luculentum tropæum statuit, accedit, ut opem ferat, sed ut laudem et prædicationem. Quoniam igitur nos quoque scimus quantam in iis quæ tibi acciderunt, philosophiam exhibueris, beatam te ducimus ac suspicimus, tum ob patientiam, tum ob præmia quæ hinc tibi in posterum reconduntur. Quia autem scio te de rerum nostrarum statu certiorem fieri cupere; siquidem diu tacui; hoc habeto, nos e gravissimo quidem morbo emersisse, cæterum morbi reliquias etiamnum circumferre. Optimos certe medicos præsto habemus : sed necessariarum rerum inopia medicinæ utilitatem labefactat. Hic enim non modo necessariorum medicamentorum penuria est, cæterarumque rerum quibus ægrum corpus relevari potest : verum etiam fames ac pestis imminent. Atque hæc mala perpetuus latronum impetus jam parturit, qui quam longissime grassantes, atque omnes undique vias intercludentes, hinc quoque non parvum iis qui iter faciunt, periculum creant. Sane Andronicus, ut ipse ait, in eorum manus incidit, atque ab ipsis dispoliatus, ita salvus evasit. Quamobrem te rogo, ne quem posthac huc mittas. Est enim verendum, ne profectionis ad nos causa, ei qui iter hoc suscipit, necem accersat. Quod si accidat, non te fugit quantum dolorem id nobis allaturum sit. Verum si quem spectatæ fidei hominem nanciscaris, qui ob alia negotia huc se conferat, per eum,

[1] Hebr. x, 32.

quo statu valetudo tua sit, fac sciam. Privatim autem ac nostræ utilitatis causa nemo huc veniat, ob eum quem diximus metum.

EPISTOLA XVI[1].

Ad eamdem.

Utrumque ineffabilis Dei benignitatis argumentum est, nempe quod et tot tibi tantasque tentationes inferri permittit, quo splendidiores coronas obtineas, et quamprimum his te liberat, ne illatarum calamitatum diuturnitate rursum opprimaris. Ad hunc enim modum Deus fortium etiam illorum virorum, hoc est Apostolorum et Prophetarum, vitam gubernavit, nunc fluctus excitari sinens, nunc autem adversarum rerum mare increpans, ac sævam tempestatem in amœnam tranquillitatem convertens. Igitur flere ac te ipsam mœrore conficere desine, nec duntaxat crebras eas, imo perpetuas acerbitates quæ tibi inferuntur, ante oculos tibi propone, verumetiam celerrimam earum depulsionem, eamque quæ hinc tibi paritur, omni oratione præstantiorem remunerationem. Nam quod araneæ tela, et umbra, et fumus est, et si quid his vilius fingi potest, hoc sunt omnes tibi inflictæ acerbitates, si cum iis præmiis conferantur quæ hinc tibi tribuenda sunt. Quid enim est civitate pelli, et ex aliis locis in alia subinde migrare, atque undique exagitari, et proscribi, et ad tribunalia trahi, et a militibus raptari, et ab iis qui sexcentis beneficiis affecti fuerint, contraria nunc perpeti, atque tum a famulis, tum a liberis vexari, cum horum præmium

[1] Cucuso anno 405.

cœlum sit, et purissima illa bona, quæ nec verbis ullis explicari queunt, nec finem habent, verum immortalem fructum atque oblectationem præbent? Quamobrem insidias, vexationes, opum jacturam, continuas locorum mutationes, atque in extera regione commorationem considerare supersede, atque hæc luto quovis vilius proculcans, eos thesauros qui hinc tibi in cœlo creantur, quæstumque qui exhauriri et consumi nequit, atque opes ab omni prædonum injuria tutas et immunes animo perpende. At corpus tuum ob labores et ærumnas male affectum est, hostiumque insidiæ morbum adduxerunt? Nimirum ingentis alterius atque ineffabilis quæstus materiam mihi rursus commemoras. Scis enim, scis inquam plane, quantæ laudis sit, corporis morbum generoso animo atque cum gratiarum actione ferre. Hoc, ut sæpe dixi, Lazaro coronam attulit : hoc in Jobi certaminibus diabolum ignominia affecit, pugilemque ob hujusmodi patientiam clariorem reddidit. Hoc magis quam paupertatis amor, opum contemptio, ac repentina illa filiorum amissio, et sexcentæ insidiæ, ipsum laude ac prædicatione extulit, atque impudens perversi illius dæmonis os perfacile obstruxit. Hæc igitur ipsa quoque perpetuo tecum reputans, gaude et oblectare, quod maximo certamine perfuncta sis, atque id quod tentationum caput est, fac placido animo feras, eoque nomine benigni Dei gloriam prædices, qui cum omnia subito delere ac de medio tollere queat, ea tamen oriri sinit, ut tibi pulcher hic quæstus splendidior existat. Ob idque beatam te prædicare minime intermittimus. Illud autem nobis voluptati fuit, quod et litibus et negotiis, ut te dignum erat, defuncta, ejusmodi rei finem imposueris, ut nec ea ignave abjeceris, nec rursum retinueris, ac tribunalibus, iisque quæ hinc oriuntur, malis te ipsam transfixeris; verum medium iter ingressa

sis, eamque quæ tibi conveniebat, libertatem perceperis, atque ingentem in omnibus rebus prudentiam præ te tuleris, edito videlicet tum patientiæ ac tolerantiæ, tum ejusmodi prudentiæ, quæ fraudibus circumscribi nequit, documento.

EPISTOLA XVII[1].

Ad eamdem.

Nihil alieni ac præposteri in te contigit, quin potius quod admodum rationi consentaneum esset, nempe ut per assiduas tentationes tuas animi tui nervis plus firmitatis, plusque ad subeunda certamina alacritatis ac roboris accederet, hincque magnam voluptatem perciperes. Nam hæc calamitatis natura est, ut cum fortem ac strenuam animam nacta est, hæc efficere soleat. Et sicut ignis aurum probatius efficit: eodem modo calamitas, animos aureos subiens, puriores eos ac præstantiores reddit. Eoque etiam nomine Paulus his verbis utebatur : « Tribu» latio patientiam operatur : patientia autem probatio» nem[2]. » Quocirca nos quoque exultamus ac lætitia perfundimur, atque ex hac tua animi magnitudine maximum hujusce solitudinis solatium haurimus. Ac proinde, etiam si mille lupi ac multi conventus malignantium te undique obsideant, nihil timemus : verum illud quidem precamur, ut et præsentes tentationes extinguantur, nec aliæ insuper accedant; Dominicam scilicet legem explentes, quæ nos, ne in tentationem incidamus, precari jubet : sin autem Deus rursum exoriri sinat, de aurea tua anima, quæ hinc

[1] Scripta anno 404 vel 405. — [2] Rom. v. 4.

etiam amplissimas sibi opes aggerit, bono ac fidenti animo sumus. Etenim quanam re terrorem tibi afferre poterunt, qui in suum caput suamque perniciem quidvis aggressi sunt? Opum-ne detrimento? At illud probe scio, te eas pulveris instar habere, ac quovis luto viliores existimare. An patriæ ac domus amissione? At tu amplas etiam ac frequentes urbes non secus ac solitudines incolere nosti: ut quæ in otio ac quiete omne vitæ tempus transegeris, atque hujusce vitæ pompas semper protriveris. At mortem minitantur? Tu vero antevertens nullum tempus omisisti, quin de ea cogitares: atque, si ad necem te traxerint, cadaver duntaxat ad eam trahent. Quid pluribus verbis opus est? Nemo te tanto ullo malo afficere poterit, quod non inveniat jampridem a te magna patientia toleratum. Nam cum per arctam et angustam viam semper iter feceris, his omnibus diuturna exercitatione assuevisti. Ac proinde cum pulcherrimam hanc scientiam in palæstris colueris, nunc in certaminibus clariorem te præbuisti: quippe quæ ob ea quæ contingunt, non modo non conturberis, verum etiam velut alis instructa exilias, ac tripudies. Nam quarum rerum exercitia occupasti, harum certamina mira cum facilitate in muliebri et araneis imbecilliore corpore nunc obis, valentissimorum, ac dentibus stridentium virorum furorem ingenti cum risu calcans: ut quæ plura perpeti parata sis, quam illi inferre parent. Te vero beatam, ac ter beatam, ob coronas quæ hinc tibi comparantur, imo potius ob ipsa certamina. Ea enim horum certaminum natura est, ut etiam ante præmia in ipsa quoque arena suam mercedem habeant, nimirum voluptatem, qua nunc frueris, animi lætitiam, fortitudinem, patientiam: illudque item, quod expugnari atque opprimi nequeas, quod omnibus rebus sublimior sis, quod sic te ipsam exercueris, ut nihil tibi incommodi a quoquam

inferri possit, quod exorta tam gravi tempestate in petra consistas, quod denique mari furente magna cum tranquillitate secundum cursum teneas. Hæc, etiam ante cœlorum regnum, calamitatis præmia in hac vita sunt. Illud enim mihi exploratissimum est, te nunc animo ita comparatam esse, ut ne corpore quidem indutam te esse existimes, ita te pennatam reddit voluptas : ac si tempus id postulet, promptius illud exutura sis, quam alii vestes, quibus obtecti sunt. Gaude igitur et oblectare, tum tuo nomine, tum eorum qui beatam mortem obierunt, non in lecto, nec domi, sed in carcere et vinculis ac tormentis. Eos autem solos luge ac lacrymis prosequere, qui hæc perpetrant. Nam istud quoque tua philosophia dignum est. Quoniam autem de corporis quoque nostri valetudine certior fieri cupis, nos ex eo morbo, qui nuper nobis molestiam exhibebat, emersimus : nuncque meliore valetudine sumus, modo ne rursus hiems stomachi nostri imbecillitatem adventu suo lædat. Nam de Isauris, omni metu vacui sumus.

EPISTOLA XVIII [1].

Carteriæ.

Sive frequenter, sive raro scribas, nos tamen judicium illud, quod ab initio de tua charitate fecimus, firmum ac stabile retinemus. Id enim exploratum nobis est, te, sive scribas, sive sileas, eodem semper erga nos animo ac studio esse. Velim autem celerrimam tibi sanitatem Deus

[1] Cucuso anno 404.

præbeat, atque omni morbo te liberet. Neque enim vulgari sollicitudine affecti sumus; cum de tuo morbo ad nos allatum est. Ideo te obsecramus, ut quoties licuerit, de tua valetudine nos certiores facias, et num melius aliquando corpus tuum se habeat indices. Nec enim te fugit, quam doleamus, cum te morbo teneri audimus, ac quanta lætitia afficiamur, ac præ voluptate velut pennas induamus, cum te bene valere intelligimus. Hæc igitur cum scias, ornatissima ac nobilissima domina mea, quoties facultas dabitur, ad nos scribere ne graveris, quaque valetudine sis, indicare. Neque enim vulgari beneficio nos afficies, cum ejusmodi ad nos litteras miseris.

EPISTOLA XIX [1].

Marciano et Marcellino.

Illud quidem cuperemus, ut vos, a quibus tantopere amamur, præsentes quoque cerneremus. At quoniam id minime licet; nam et viæ longinquitas, et hiems, et prædonum metus, ad profectionem impediendam sufficiunt; illud saltem optamus, ut eos qui litteras a nobis ad vos ferant, sæpius nanciscamur : quo cupiditatem nostram amplissime explere possimus. Quia autem, tum ob hujus loci solitudinem, tum quod a publica via procul distet, hoc nobis ademptum est, a vobis peto, ut si minus crebro hoc faciamus, nobis veniam tribuatis : atque, sive scribamus, sive sileamus, idem de nostra erga vos benevolentia judicium habeatis, illud vobiscum reputantes, diuturnioris

[1] Anno 404 vel 405.

plerumque silentii nostri causam, loci potius solitudinem esse, quam negligentiam.

EPISTOLA XX [1].

Agapeto.

Sincerum atque ardentem, fucique expertem, ac purum amorem tuum perspectum habeo : quodque nec negotiorum turba, nec temporis diuturnitate, nec itineris longinquitate debilitari possit; scio item quam cupias oculis nos cernere, congressuque nostro frui. Quoniam autem nunc, tum ob itineris longitudinem, tum ob anni tempus, tum ob Isaurorum metum, id vix fieri potest, da operam, ut eam quam litteræ afferre solent oblectationem nobis præbeas, subinde de tua totiusque domus tuæ valetudine certiores nos faciens. Nam si hujusmodi litteras a te crebro acceperimus, non vulgarem, etiam in solitudine degentes, consolationem capiemus. Neque enim ignoras, domine mi, summopere venerande atque admirande, quanto nobis studio atque curæ sit valetudo tua.

[1] Scripta cucuso anno 404.

EPISTOLA XXI[1].

Alphio.

Te beatum ac ter beatum, atque etiam sæpius beatum, qui ejusmodi res efficis, atque ejusmodi negotiis animum adjicis, quæ ingentem in cœlis thesaurum tibi recondunt. Neque enim vulgariter animum nostrum erexisti, cum de domino nostro Joanne presbytero nobis illud exposuisti, te multum operæ adhibuisse, ut eum excitares, atque in Phœniciam mitteres. Quod autem aurum quoque ipsi dedisti, quanquam tu pro cætera tua pietate hoc reticuisti, minime tamen id nobis obscurum fuit: nam id etiam compertum habuimus, ac liberalitatem eam qua usus es. Ob eamque causam te admirari ac laudibus in cœlum ferre non desinimus, quod in his rebus dives sis in quibus divitem esse convenit, teque obsecramus, ut crebro ad nos litteras des. Nam si fieri posset, ut oculis te cerneremus, magno id sane emeremus. Quoniam autem id nondum licet, fac, quæso, subinde ad nos scribas, ac de tua totiusque domus tuæ valetudine certiores nos facias. Neque enim leve solatium capiemus, hæc audientes. Cum igitur, quam nobis gratum facturus sis, minime ignores, ne committas, ut tanta lætitia careamus.

[1] Anno forte 405.

EPISTOLA XXII[1].

Casto, Valerio, Diaphanto, Cyriaco, Antiochiæ presbyteris.

Quod longam nostram epistolam brevem dixeritis, haud equidem miror. Ea enim amantium natura est, ut satietatem nesciant, nec unquam expleri possint : verum quo plura ab iis quos amant, acceperint, eo plura concupiscant. Ob eamque causam etiamsi decuplo major, quam prior, ad vos epistola venisset, ne illa quidem brevitatis vocabulum effugisset : verum ipsa quoque parva vocata fuisset, imo non vocata duntaxat, sed etiam parva habita fuisset. Quod etiam mihi usu venit : nam ad quemcumque amoris erga nos gradum perveneritis, eo minime contenti sumus : verum amoris incrementa semper expetimus, charitatisque debitum, quod etiamsi semper solvatur, semper tamen debetur : «Nemini» enim, inquit ille, «quidquam debeatis, » nisi ut invicem diligatis[2], » quotidie a vobis efflagitamus, semper quidem illud affatim accipientes, nec tamen nos illud unquam omni ex parte accepisse arbitrantes. Ne, quæso, præclarum hoc debitum, duplicemque voluptatem habens, nobis persolvere desinatis. Nam et qui persolvunt, et qui accipiunt, parem voluptatem consequuntur : quippe cum utrique per hujusmodi solutionem æque locupletentur. Quod quidem in pecuniis fieri nequit : nam qui persolvit, egentior hinc efficitur : is contra, qui accepit, copiosior. At in charitatis contractu hoc usu venire minime

[1] Cucuso anno 405 — [2] Rom. XIII, 1.

solet. Neque enim eum qui persolvit inanem ac vacuum relinquit; id quod pecunia efficit, cum ad accipientem migrat; quin potius ipsum tum demum locupletiorem reddit, cum eam persolvit. Hæc igitur cum sciatis, præstantissimi ac piissimi domini mei, ne unquam florentem erga me benevolentiam exhibere intermittite. Nam etsi, ut id faciatis, nihil nostra cohortatione indigetis : tamen quoniam vos apprime amamus, propterea vos, etiamsi nihil necesse sit, admonemus, ut sæpe ad nos scribatis, atque quo statu valetudo vestra sit, significetis. Quamvis enim nihil ad eam rem monitore vobis opus sit, at nos tamen id quoque, quia vehementer expetimus, a vobis postulare nunquam desinemus. Et quidem quoniam tum propter anni tempus, tum propter itineris difficultatem, haud multi viatores sunt, qui vobis ad hanc rem operam navare possint, istud jam difficile esse non ignoramus, saltem ut licet, atque in tanta difficultate fieri potest, vos obsecramus, ut quam sæpissime scribatis, atque hanc a vestra charitate gratiam postulamus. Quin religiosissimo quoque domino meo presbytero Romano, ut jussistis, scripsimus; eoque nomine ingentem etiam vobis gratiam habemus. Quandoquidem hoc quoque ab ingenti ac singulari quodam nostri amore proficiscitur, quod, ut tantis viris arctius nos copuletis, per litteras operam datis, summumque ad id studium adhibetis. Velim itaque, ut cum nostram ad eum epistolam acceperitis, eam ipsi reddatis, atque eum licet epistola non accepta meo nomine salutetis. Jampridem enim est, quod eum vehementer amare cœpimus : idque ut ex ore vestro intelligat cupio, nos eamdem erga eum benevolentiam retinere, eaque in re de nobis ipsis optime mereri. Illudque præterea, nos non negligentia et socordia nihi ad eum litterarum dedisse, sed quod ab ipsius pietate litteras expectaremus. Quoniam autem, ut

priores scriberemus, postulavit, et hoc quoque facimus : et idem ut ipse facere ad nos non intermittat, obsecramus.

EPISTOLA XXIII [1].

Romano Presbytero.

Scis tu quoque profecto, domine mi, reverendissime ac religiosissime, quem semper erga te animum habuerimus; et quo pacto semper charitatis lege tecum astricti fuerimus morum tuorum suavitatem admirantes, virtutisque tuæ, per quam omnes eos qui ad te accedunt, tuos reddis, pulchritudinem suspicientes. Quo etiam fit, ut quamvis longo a te intervallo dissiti, animo tamen et cogitatione te circumferamus, atque in quamcumque solitudinem avehamur, tuæ tamen charitatis oblivisci minime possimus : verum ut præsentem ac propinquum intueamur, charitatisque oculis perpetuo repræsentemus, imo ut rectius loquar, assidue te cernamus, atque apud omnes pietatem tuam prædicemus. Quamobrem abs te quoque petimus, ut nostri memoriam nunquam intermittas, eamque benevolentiam, quam semper nobis præstitisti, nunc quoque vigentem conserves : ac pro nostra vilitate obnixas ad Deum preces adhibeas, ad nosque, cum licuerit, litteras des, ac de tua valetudine certiores nos facias : quo, etiam in solitudine sedentes, ingentem consolationem capiamus, tuarum videlicet precum subsidio e tanto locorum intervallo fruentes.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA XXIV [1].

Hesychio.

Petis ut illud tibi ignoscam, quod ad me non veneris, morbi excusatione utens. Ego autem voluntatis nomine te laudo ac prædico, per quam etiam venisti, atque quantum ad charitatem attinet, nihilo inferiore apud nos loco es, quam qui venerunt. Potest autem Deus ex eo morbo, quo teneris, te eximere; atque integræ sanitati restituere, ut conspectu quoque tuo atque congressu fruamur. Siquidem te videre atque complecti, carumque istud nobis caput exosculari, majorem in modum avemus. Quamdiu autem id, tum per morbum tuum, tum per anni tempus minime licebit, litteras ad te dare, eamque, quæ hinc ad nos redit, voluptatem nobis ipsis comparare minime intermittemus.

EPISTOLA XXV [2].

Elpidio Episcopo.

Illud quidem vellemus, nobis ad te quam sæpissime litteras dare liceret: idque ipse scis, domine reverendissime. Quod quoniam nobis adimitur, propterea quod nemo ad nos crebro accedat; nam et oppidi hujusce solitudo, et latronum metus eam augens, ac denique anni tempus iti-

[1] Cucuso anno 404. — [2] Cucuso anno 404.

nera intercludens, Cucusum omni ex parte inviam reddit; quoties tabellarium nanciscimur, cupiditati nostræ satisfacimus, in hoc scilicet nobis ipsi quam gratissimum facientes. Quod quidem nunc etiam per religiosissimos dominos meos presbyteros facimus, nimirum et debitum pietati tuæ salutationis munus persolventes, et te rogantes, ut, quoties facultas dabitur, tu quoque ad nos scribas, ac quo statu valetudo tua sit, exponas. Neque enim te fugit, reverendissime ac religiosissime domine, quanto semper nobis studio atque curæ sit de ea aliquid intelligere. Quamvis enim ad extremos usque orbis nostri fines remoti simus, tamen veræ et ardentis, ac sinceræ, atque ab omni fuco alienæ charitatis tuæ oblivisci minime possumus, verum quascumque in terras abscedamus, eam nobiscum circum ferimus, maximumque hinc solatium percipimus.

EPISTOLA XXVI[1].

Magno Episcopo.

Etsi nullas abs te litteras accepimus, idque cum domini mei Presbyteri huc venissent, nos tamen, veteris amicitiæ memores, tum morum tuorum suavitatem animique fortitudinem admirantes, ac præterea eum erga nos amorem, quem semper præ te tulisti, perspectum habentes, priores ad te scribimus, ut et tibi ob eam benevolentiam, quam erga nos ostendisti; neque enim nos, tanto licet abs te intervallo disjunctos, hoc fugit; gratias agamus et te oremus, ut quoties occasio dabitur, frequenter ad nos scribas, deque valetudinis tuæ statu certiores

[1] Cucuso anno 404.

nos facias. Nam cum eos, a quibus vehementer amamur, quique strenuo atque attento ac vigilanti animo in Ecclesiarum curam incumbunt, sanos et incolumes esse audimus, non parvam ex ea re consolationem capimus. Hæc igitur cum scias, domine mi reverendissime ac religiosissime, ne te, quæso, hæc nobis quam sæpissime per litteras significare pigeat. Sic enim fiet, ut etiamsi ad ultimas usque terras avehamur, dum tamen hujusmodi consolatio nobis continenter suppetat, ingentem mœroris levationem sentiamus.

EPISTOLA XXVII[1].

Domno Episcopo.

Magnas pietati tuæ, reverendissime domine, gratias habeo, tum quod venerabilem Presbyterum visendi nostri causa miseris, tum quod ad nos scripseris. Nam utrumque sinceræ charitatis, atque ardentis benevolentiæ argumentum est. Ideo etiam in solitudine degentes, ingentem hinc consolationem hausimus. Siquidem a tantis viris tam impense amari, non levem iis, qui amantur, consolationem affert. Ac cuperem quidem tuo quoque aspectu congressuque suavissimaque benevolentia tua animum saturare. Quoniam autem id minime licet, nam neque id nobis conceditur, nec tibi item ob Ecclesiæ istius curam, cui præes, facile est; ad secundam navigationem necessario venimus, nempe ut consolationem eam, quam epistolæ afferunt, nobis ipsis adhibeamus. Neque enim ad eorum animos, qui corporibus disjuncti sunt, consolandos parum mo-

[1] Cucuso anno 404.

menti habet epistola, sincera charitate perfusa. Quamobrem ut hac consolatione quam sæpissime fruamur, quoties licebit, ac fieri poterit, de valetudinis tuæ statu ad nos scribere ne graveris. Siquidem amicitiam tuam amplissimum thesaurum, et bonorum congeriem omni sermonis facultate sublimiorem ducimus. Ac si ejusmodi litteras subinde accipiamus, tantum ex his voluptatis capiemus, ut ne solitudinem quidem istam sentiamus.

EPISTOLA XXVIII[1].

Basilio Presbytero.

Etsi nobis conspectu tuo atque congressu frui minime contigit, tamen cum de tua virtute ad nos affertur, ac zelo eo, quo adversus Gentiles flagras, ipsorum errorem evertens, eosque velut porrecta manu ad veritatem ducens, non secus ac si adesses, tecumque diuturnum usum ac vitæ consuetudinem habuissemus, honore ac veneratione te complectimur. Eaque de causa priores ad te scripsimus, ob ea, quæ cum laude geris, beatum te prædicantes, atque admirantes, ac postulantes, ut ipse quoque ad nos, cum licebit, scribas. Nam etsi corpore a te disjuncti sumus: charitatis tamen vinculis tecum astringimur, pietatem tuam nobiscum reputantes. Hæc igitur cum scias, velim ad nos subinde scribere et gesta tua referre ne graveris: quo, etiam in solitudine commorantes, ingentem hinc consolationem capiamus.

[1] Anno circiter 405.

EPISTOLA XXIX [1].

Chalcidiæ et Asyncritiæ.

Nihil ex his molestiis, quas evenire perspicitis, vos perturbet : nec densi negotiorum fluctus animis vestris tumultum afferant. Ejusmodi enim est arcta illa et angusta via, complures difficultates ac multos sudores et labores habens. Verum hæc fluunt, atque una cum hac vita extinguntur. Nam etiamsi arcta via est; via tamen est : ut præmia illa, quæ ii qui placido ac forti animo hæc ferunt adipiscuntur, perpetua et immortalia sunt, sudoribusque longe majora. Quamobrem tum calamitatis fragilitatem ac brevitatem, tum præmiorum perpetuitatem atque immortalitatem animadvertentes, date operam, ut omnia generoso animo feratis, nec committatis, ut ullo rerum adversarum eventu perturbemini. Una enim res momolesta peccatum est : cætera omnia, hoc est, exilia, bonorum proscriptiones, relegationes, insidiæ, cunctaque id genus alia, umbra quædam, et fumus et araneæ tela sunt, et si quid aliud his vilius esse potest. Quocirca, ut antehac quoque multis tentationibus perferendis assuetæ, nunc quoque, quam par est, patientiam præstate. Si quidem ea hanc vim habitura est, ut vos in magna securitate ac tranquillitate constituat, præstantioresque efficiat. Ac si quos nanciscamini, qui ob sua negotia huc veniant, de vestra valetudine ad nos crebro litteras date. Scitis enim quantopere ejus studiosi simus, quamque crebro de ea aliquid audire cupiamus.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA XXX [1].

Heortio Episcopo.

Equidem ipse litteras etiam, quibus me de tua valetudine certiorem faceres, accipere cupiebam. Scis enim, reverendissime domine, quo semper animo erga te fuerim. Verum quoniam hoc tabellariorum penuria vobis fortassis eripuit, idcirco ipse homines, qui ad te proficiscantur, nactus, litteris te lacesso, teque rogo et obsecro, ut quoties facultas dabitur, ipse quoque ad nos quam sæpissime scribas, quaque valetudine sis, exponas. Quanquam enim in desertissimo orbis loco habitamus, ac prædonum metu obsidemur, multasque, ut in externa regione, tamque vasta solitudine, calamitates perpetimur : tamen si frequentes a te, cui charissimi sumus, litteras accipiamus, quæ nos de tua valetudine certiores faciant, ingentem hinc, tot licet calamitatibus oppressi, consolationem capiemus. Quanta enim charitatis vis sit exploratum habes : quodque non amicorum duntaxat præsentia, sed etiam litteræ ingens solatium afferant. Quæ cum ita sint, fac, quæso, hanc nobis voluptatem frequentius impertias, de valetudine tua de qua potissimum aliquid audire cupimus, certiores nos faciens.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA XXXI[1].

Marcellino.

Etsi diuturno silentio inter nos uterque usi sumus: tamen veteris illius ac sinceræ tuæ charitatis memoriam minime abjecimus: verum florentem eam et integram retinemus, eamque quocumque proficiscimur, nobiscum circumferimus, maximoque hinc solatio afficimur. Eaque de causa homines nunc nacti, qui ad te se conferant, debitum salutationis munus tibi persolvimus, illudque significamus, nos etiamsi ad extremos usque orbis terrarum fines abducamur, sic tamen abire, ut te in animo nostro penitus insculptum teneamus. Quoniam autem iis qui hoc animo præditi sunt, non tantum scribere, sed etiam ab iis, quos ita ament, litteras accipere perjucundum est, hanc nobis voluptatem, domine cumprimis venerande, velim duplices: atque, quoties facultas erit, subinde ad nos scribas, et qua valetudine sis exponas. Scis enim quam nobis curæ sit hæc ediscere, quantamque, etiam in extera regione degentes, consolationem ex hac re capiamus.

EPISTOLA XXXII[2].

Euthaliæ.

Quamvis pauciores abs te epistolas accipiam, quam ad

[1] Anno forte 405. — [2] Cucuso anno 404.

te mittam, non tamen propterea scribere desinam. Mihi enim ipse gratum facio, dum ad animam tam sincera erga me benevolentia præditam frequenter scribo. At quoniam, qui rerum tuarum status sit intelligere vehementer expeto, idcirco Epistolas etiam subinde accipere aveo, quo id quod cupio, subinde intelligam, nempe te in magna animi tranquillitate ac securitate versari. Nam si hæc tibi adsint, quin tu summa cura et studio animæ tuæ consulas, contemptisque hujusce vitæ rebus iter cœleste teneas, nullo modo dubitandum puto. Siquidem de animæ tuæ nobilitate atque ingenuitate mihi est exploratum, quamque a negotiorum tumultibus atque hujus vitæ curis immunis ac libera sis. Cum igitur, quantam a nobis, quando id facis, gratiam ineas, animadvertas, quoties facultas continget ac fieri poterit, quemadmodum jam dixi, quæso ad nos scribas : quo nos hinc quoque solitudinis hujus, in qua degimus, levationem capiamus. Etenim litteræ vestræ, hoc est eorum quibus cordi sumus, cum crebro ad nos afferuntur, ac de vestra valetudine certiores nos faciunt, non vulgarem nobis voluptatem afferunt ; verum tanto nos gaudio perfundunt, ut solitudinem hanc, in qua commoramur, ne tantulum quidem sentiamus.

EPISTOLA XXXIII[1].

Adoliæ.

Tu hinc quoque sinceræ istius et ardentis tuæ charitatis documentum dedisti, quod cum adversa valetudine sis,

[1] Cucuso anno 404 vel 405.

litteras tamen ad nos dare non intermittas. Nos vero te morbo liberari, atque huc, cum licuerit, venientem videre cupimus. Idque ipsa scis, ornatissima mea ac religiosissima domina. Quoniam igitur, ut etiam antehac scripsi, nunc in majore cura et sollicitudine sumus; siquidem ex litteris tuis ingentem morbi tui magnitudinem esse conjecimus: idcirco, cum meliore corporis valetudine fueris, velim celeriter id nobis significes, quo nos gravissima cura leves. Nam quod nunc ob morbum tuum haud levi mœstitia afficiamur, ne ipsa quidem ignoras. Quapropter, cum curam eam, qua nunc premimur, exploratam habeas, id quod abs te petimus, facere stude. Quanquam ad hoc præsertim nihil est cur te cohorter: neque enim dubito, quin quoties tabellarios nacta fueris, toties ad nos scriptura sis.

EPISTOLA XXXIV[1].

Carteriæ.

Istud quoque pro tua charitate animique sollicitudine, atque ingenti erga nos benevolentia abs te factum est, quod non solum polyarchium misisti (9), verum etiam illud spectasti, quonam pacto nobis usui esse possit: atque ipsi tum nardinum, tum musteum oleum addidisti, quo ipsius siccitati ex longo itinere contractæ medereris. Quin hoc quoque nomine tuam erga nos benevolentiam summopere admirati sumus, quod ipsamet hoc effecisti, ac non aliis id efficiendum mandasti, atque ut probe potius ac scite, quam ut festinanter fieret, operam dedisti.

[1] Cucuso anno 404.

Ideo gratias tibi agimus, in hoc solum te accusantes, quod id quod maxime optabamus per litteras minime misisti, hoc est jucundum de tua sanitate nuntium. Ut autem idcirco anxio animo sumus, quod morbi tui statum nesciamus : eodem modo, si primo quoque tempore nobis litteras miseris, quibus eum profligatum et extinctum esse intelligamus, maximo nos beneficio devinxeris. Cum igitur scias, quam vehementer intelligere cupiamus, te ex hac adversa valetudine jam emersisse, hanc, quæso, voluptatem nobis largire : quæ in hac molestissima solitudine et obsidione non parvam nobis consolationem allatura est.

EPISTOLA XXXV [1].

Alphio.

Velim tibi Deus sinceræ atque ardentis ac puræ et ab omni simulatione alienæ, firmæque et constantis erga nos charitatis, tum in hac præsenti vita, tum in futuro ævo, præmium tribuat. Nec enim parva tuæ erga nos benevolentiæ documenta, idque tanto a nobis locorum intervallo disjunctus, exhibuisti, domine mi honoratissime ac generosissime, verum et multa et præclara. Eoque nomine gratias tibi habemus, et sæpe ad te scribere cupimus : verum quoties volumus non licet, sed quoties possumus scribimus. Scis enim quanta ex hyeme ac prædonum impetu itinerum difficultas oriatur. Quapropter cum diuturno tempore silemus, ne id negligentia nostra fieri existimes, verum tabellariorum inopiæ istud, non socor-

[1] Cucuso anno 405.

diæ nostræ ascribas. Nam si sæpius ad te scribendi facultas offerretur, frequentius ad te litteras dare minime nos piguisset. Siquidem nobismet gratissimum facimus, cum debito tibi salutationis munere sæpius perfungimur. Hæc cum scias, tu quoque de tua valetudine ad nos scribere ne intermitte. Quod autem te nobis misisse scribis, hoc nemo huc attulit; verum qui id afferebat, prædonum metu perterritus pedem retulit. Cæterum si me amas, ne hoc facias, ne difficultates atque negotia tibi ipsi exhibeas. Nam ingentium donorum loco sinceram atque ardentem tuam benevolentiam duco: quam cum semper obtineamus, ex charitatis tuæ recordatione semper voluptatem capimus.

EPISTOLA XXXVI[1].

Maroni presbytero monacho.

Nos charitatis quidem ac benevolentiæ vinculis tecum astringimur, ac te, ut hîc præsentem intuemur. Ejusmodi quippe charitatis oculi sunt, ut nec ullis viarum spatiis interrumpantur, nec temporis diuturnitate debilitentur. Cuperemus autem crebrius quoque ad te litteras dare; verum quoniam id tum ob itineris difficultatem, tum ob eorum qui iter faciunt raritatem haud facile est; quoties licet te salutamus tibique illud significamus, nos tui nunquam non meminisse, teque in animo nostro, quocumque tandem in loco simus, circumferre. Cura igitur tu quoque, ut de tua valetudine quam sæpissime certiores fiamus, quo, licet corpore semoti, de tua valetudine subinde aliquid audientes, alacriore animo simus,

[1] Ab anno 404 ad 407.

ingentemque, etiam in solitudine sedentes, consolationem capiamus. Nec enim parva voluptate afficimur, cum te optime valere audimus : ante omnia autem illud te oro, ut pro nobis preces ad Deum adhibeas.

EPISTOLA XXXVII[1].

Tranquillino Episcopo.

Reverendissimum dominum meum Episcopum Seleucum, ut relicta domo huc se conferret, nostri desiderium excitavit : ut autem hinc rursus domum rediret, tui amor. Nam hic eum induxit, ut et hyemem, et itineris difficultatem, et gravissimum morbum contemneret. Collaudato itaque ipsius amore ac studio, domine mi præstantissime, diuturnæ hujus ærumnæ præmium ipsi repende, hanc nimirum, quam soles, charitatem erga eum ostendens. Nos enim eum ad tuas manus, velut ad tranquillum quemdam portum, transmisimus, quippe qui tuam comitatem, ac sinceram, ferventem, firmam atque constantem charitatem compertam habeamus. Ac si quispiam istinc veniat, idque facile sit, de tua valetudine velim ad nos scribas. Eupsychius enim ad nos non nunc accessit : ideo nihil ex iis quæ, cum nuper ad nos scriberes, dicturum illum aiebas, scire potuimus, quod videlicet ipse nusquam appareat. Hæc igitur cum tibi minime ignota sint, tum ea quæ per eum nuper nobis significanda curaveras, tum si quid aliud amplius nos scire necesse sit, nunc saltem fac sciamus, ac de tua valetudine, quæ

[1] Cucuso anno ut putatur 404 vel 405.

nobis summæ curæ est, et de qua, cum perpetua sollicitudine laboremus, perpetuo quoque audire cupimus, aliquid nobis significa.

EPISTOLA XXXVIII [1].

Hymnetio Archiatro (10).

Etsi non crebro ad te litteras dedimus, at perpetuo tamen memoria te gestamus, ut qui ferventis tui ac probi et sinceri amoris ingens paucis diebus documentum ceperimus. Eoque nomine reverendissimum dominum meum Episcopum Seleucum ad tuas manus, non secus atque in portum, transmittimus. Nam ipse gravissima tussi vexatur, quam etiam infestius anni tempus auget, gravioremque reddit. Cum igitur morbi naturam perspectam habeas, domine mi cumprimis venerande, da operam, ut eum ex hac tempestate eripias, morbi incommodo artis tuæ vim opponens, cujus ope atque adjumento multos sæpe, cum in idem periculum venissent, ne ejusmodi fluctibus obruerentur, e naufragio statim exemisti.

EPISTOLA XXXIX [2].

Chalcidiæ.

Charitatem eam, quam jam inde ab initio erga nos habes, novi: quodque vigentem eam retineas, ac cu-

[1] Cucuso anno ut putatur 405. — [2] Cucuso anno 404 vel 405.

mulatiorem subinde reddas, eamque ob disjunctionem nostram, tantumque temporis spatium, non modo obscurari non sinas, sed etiam magis inflammes. Illud quoque scio, te litteras nostras magna cum animi voluptate accipere; teque sive scribas, sive taceas, eodem tamen semper animo erga nos esse: id enim et multis in rebus, et sæpe sum expertus. Quamobrem te oro, ut eumdem erga nos animum retinere pergas: siquidem sinceri tui amoris multa pignora, multa monimenta habemus. Idcirco te tanquam in animo nostro insculptam perpetuo circumferimus, tuique memoriam ita tenemus, ut nulla oblivione deleri possit, etiamsi non sæpe scribamus ob tabellariorum inopiam. Hæc igitur cum non te fugiant, ornatissima et religiosissima domina mea, subinde quoque ipsa de tua valetudine ad nos scribe. Quanquam enim nos, cum nullæ nobis abs te litteræ redduntur, eos qui istinc veniunt, de hac re semper sciscitamur: tamen a te quoque litteras, quæ de tuæ valetudinis statu læta nobis nuntient, perpetuo accipere avemus.

EPISTOLA XL[1].

Asyncritiæ.

Te in magna calamitate nunc versari scio. At quemadmodum hoc scio, sic et illud etiam, ingentem te pro his calamitatibus mercedem atque amplum præmium et remunerationem manere. Mœror etenim animæ utilitatem affert, eique præmia multa conciliat. Hæc igitur sciens atque considerans, maximam hinc consolationem accipe: nec

[1] Cucuso anno 404.

calamitatum duntaxat acerbitas tibi ob oculos versetur, verum etiam emolumentum quod ex iis colligitur; ac subinde ad nos de tua valetudine scribe. Neque enim levi dolore affecti sumus, cum te adversa valetudine esse accepimus. Ideo magna cum celeritate scire vehementer cupimus, num de gravitate aliquid remiserit: quo ea cura, quam hinc concepimus, levemur.

EPISTOLA XLI[1].

Valentino. (8).

Tertiam hanc epistolam mitto, cum ipse a te nullam acceperim. Verum quod magna cum animi voluptate litteras nostras acceperis, eumque qui eas reddidit, quo decebat honore affeceris, atque item id omne quod tuarum partium erat in iis rebus quæ tuam opem requirebant, præstiteris, intelleximus, nec quidquam horum nobis latuit. Interim tamen nullam epistolam accepimus. Ac si quidem alius ex iis qui minus generoso animo sunt, hujusmodi silentio usus fuisset, ita existimavissemus, eum excusationis causa negotiorum molem prætendere. Cum autem mentis tuæ sublimitatem charitatisque fervorem, sinceritatem, puritatem atque constantiam exploratam habeamus, adduci non possumus, ut hac excusatione contenti simus. Ne item dixeris, te illic non commorari: nam illud nobis compertum est. Verum hac una duntaxat re diuturni silentii tui consolationem capiemus; si id quod antehac abs re neglectum est, compensare volueris, quamplurimasque ab ista lingua, ex qua mel manat, fusas litte-

[1] Cucuso anno 404.

ras mittere, quæ nobis valetudinis tuæ statum certo exponant. Quanquam enim in solitudine sedemus, gravique obsidione, atque innumeris acerbitatibus undique cincti sumus : de te tamen in cura et sollicitudine esse non desinimus, singulisque diebus, ut se res tuæ habeant, percontamur. Quamobrem ne ab aliis, verum abs te, cujus nobis dulcis ac perquam suavis benevolentia est, hæc intelligamus, subinde, quæso, de tua valetudine ad nos scribe. Nihil enim erit, quod non a te accepisse existimemus, si epistolas, quæ lætum hunc nobis nuntium ferant, acceperimus.

EPISTOLA XLII [1].

Candidiano.

Ingens itineris intervallum nos dirimit, nec parvum tempus est, cum abs te sejuncti fuimus. Quin negotiorum quoque magna nos turba circumstat, gravissima loci solitudo, intoleranda obsidio, insidiæ, latronum incursiones, aliaque præterea angustia, nimirum corporis morbus. Nec tamen quidquam horum nos in tui amore segniores effecit : quin potius vigentem eum ac florentem conservamus, ac te, quocumque tandem in loco simus, animo et cogitatione circumferimus, tuique memoriam oblivionis omnis expertem tenemus, animique tui nobilitatem et ingenuitatem, sinceræque charitatis firmitatem atque constantiam, benevolentiæque fervorem incisum in animis nostris habemus. Ad hunc scilicet modum hic degimus, summum tantæ solitudinis solatium in earum rerum quæ abs te

[1] Cucuso anno 404.

recte geruntur, recordatione positum habentes. Tu vero ad nos quoque subinde scribe, domine mi summopere admirande ac magnifice, de tua valetudine nobis læta nuntians. Scis enim quantopere ipsam complectamur; quippe de ea aliquid audire magnæ nobis curæ est; quodque duplicem voluptatem capiemus, si et ipse scribas, et litteræ abs te hoc argumento ad nos afferantur.

EPISTOLA XLIII [1].

Bassianæ.

Tu quidem perdiu siluisti, idque, cum reverendissimum ac religiosissimum diaconum Theodotum præsto haberes, per quem facile nancisci posses, qui istinc ad nos venirent. Nos autem ne hinc quidem te in amore erga nos segniorem redditam esse suspicamur; quippe qui persæpe ac multis in rebus ipsius periculum fecerimus, ejusque splendorem, puritatem, sinceritatem atque constantiam exploratam habeamus. Quamobrem, sive scribas, sive taceas, eodem erga te animo sumus, deque tua integra et pura benevolentia minime dubitamus. Quanquam autem eo animo sumus, crebras tamen litteras, quæ nobis de tua totiusque tuæ domus valetudine, quæ volumus nuntient, accipere vehementer cupimus. Quandoquidem nosti ipsam quoque nobis admodum curæ esse. Hæc igitur cum tibi perspecta sint, ornatissima ac nobilissima domina mea, hanc nobis gratiam velim concedas, quæ et levis, facilis et æqua est, et nobis, qui in hac solitudine hæremus, ingentem consolationem affert.

[1] Cucuso anno 405.

EPISTOLA XLIV[1].

Theodoto Diacono.

Scio utique te per litteras nos minime conventurum fuisse, si coram id licuisset: verum omnibus rebus omissis ad nos te conferres, nisi et anni tempus, et negotiorum difficultas, et hujus loci solitudo quotidie ingravescens, maximum impedimentum afferret. Nec opus est, ut ex te hoc ediscam. Nam cum illud semel mihi compertum sit, me abs te vehementer amari: hoc quoque optime novi. Quanquam autem, etiamsi minime admonuisses, nihilominus ad omnes scripturus eram, tamen hoc etiam nomine tuum erga nos amorem admirati sumus, quod extrema tua epistola me quoque de hac re cohortandum duxisti. Nam hoc animi est vehementer solliciti, ac rerum nostrarum cura laborantis, et qui sincere amare norit. Quamobrem excepta domina mea Carteria, ad quam nuper litteras dedi, omnibus scripsi: eam autem illic non commorari accepi, verum longam peregrinationem iniisse. Quocirca si litteræ nostræ illuc perferri queant, hoc quoque, si tibi videbitur, fiat: sin id fieri minime possit, velim saltem carissimos ac nobilissimos viros Marcellianum et socium convenias, atque cum iis agas, ut si quando ad eam scribant, ei me purgent, ut qui non per negligentiam tantisper tacuerim, verum longa ipsius absentia, quominus ad eam crebro scriberem, impeditus sim.

[1] Cucuso anno 405.

EPISTOLA XLV[1].

Symmacho Presbytero.

Minime novum ac præposterum videri debet[1], si is qui angustum iter tenet, premitur. Nam hæc virtutis natura est, ut laboribus et sudoribus atque insidiis et periculis scateat. Verum iter quidem est ejusmodi: post autem sequuntur coronæ, præmia, et arcana bona, quibus finis nullus est constitutus. Hac igitur cogitatione te ipsum consolare: nam præsentis vitæ et voluptas, et calamitas, una cum hac vita fluunt, simulque cum ea intereunt. Ne igitur quidquam illorum animum tuum inflet, nec rursum quidquam horum te deprimat atque contrahat. Siquidem optimus gubernator nec tranquillo tempore remissius agit, nec grassante tempestate perturbatur. Hæc igitur cum tibi perspecta sint, te ipsum solare, maximamque hinc mœroris levationem capias: ac de tua valetudine fac nos subinde certiores. Nam etsi longo itineris intervallo a te disjungimur, diuque a tua suavitate abfuimus, at non item a tua charitate: verum eam omnis oblivionis expertem ac recentem, ubicumque simus, semper circumferimus: nam hæc quoque sinceri amoris natura est.

EPISTOLA XLVI[2].

Ruffino.

Cupiebam quidem sæpius ad te litteras dare, domine

[1] Ab anno 404 ad 407. — [2] Ab anno 404 ad 407.

mi cumprimis venerande ac religiose, quia te amo, ac vehementer amo; atque utrumque hoc ipse quoque nosti. Quoniam autem alterum quidem nostri arbitrii est, alterum autem non in nobis situm est: ut enim te amemus, in arbitrio nostro consistit, ut autem ad te sæpe scribamus, non item, tum ob itineris difficultatem, tum ob anni tempus: illud quidem perpetuo facimus, hoc autem cum licet; imo etiam perpetuo facimus. Nam etsi atramento atque charta non semper scribimus: at voluntate tamen atque animo scribimus: ea quippe sinceri amoris natura est.

EPISTOLA XLVII [1].

Namææ.

Quid huc illucque te versas, dum ob eam rem excusationem quæris, ac veniam petis, ob quam te corona donamus ac prædicamus: quippe qui, quod ad nos scripseris, gratum habeamus, quod autem sero ac tarde, idcirco tibi succensere possimus? Quapropter si magnæ audaciæ id fuisse existimas, quod ad nos litteras dederis, hoc omisso ad tarditatis crimen defensionem meditare atque compara. Nam quo magis dixeris, te tum præsentes, tum absentes sincere dilexisse, eo magis accusationem auxeris. Etenim si ex eorum numero esses, quorum vulgaris erga nos amor esset, minime mirum mihi fuisset te diu siluisse; cum autem te tam sinceram ac ferventem erga nos charitatem præ te tulisse asseras, ut ne iter quidem usque adeo molestum, totque prædonum metu obsessum suscipere recusatura fueris, nisi morbus obstitisset, una jam ratio,

[1] Cucuso anno 404.

qua nobis satisfacias, tibi reliqua est, nimirum ut sexcentas litteras ad nos mittas, quæ diuturni silentii culpam deprecari possint. Hoc igitur fac : et quidvis a te perceperimus. Nam et hæc tam sera epistola ad nos veniens, quoniam ardentem quamdam charitatem spirabat, superioris quoque temporis debitum dissolvit. Cæterum id vide, ne reliquæ hujus tarditatem imitentur. Sic enim hæc etiam illud planum facere poterit, se non ob pigritiam, verum ob inanem metum, quemadmodum abs te quoque dictum est, serius venisse, si reliquæ, et plurimæ, et celeriter ad nos veniant.

EPISTOLA XLVIII.

Arabio.

Charitatem erga me tuam atque ardentem tuum ac verum, sincerum et constantem amorem exploratum habeo : illudque item perspectum, nec negotiorum difficultatem, nec curarum agmen, nec rerum adversarum magnitudinem, nec temporis diuturnitatem, nec itineris longinquitatem, tuo erga me amori obscuritatem afferre posse. Eoque fit, ut perpetuo abs te litteras, quæ nobis ea de tua veletudine quæ volumus nuntient, accipere vehementer expetamus. Quod si te accusamus, non ut negligentem accusamus, sed quia plures ejusmodi epistolas appetimus. Quæ cum minime ignores, honoratissime ac nobilissime domine, hoc nobis beneficium velim præbeas, quod et tibi leve ac facile est, et magnam nobis, etiam in solitudine hærentibus, voluptatem affert.

EPISTOLA XLIX[1].

Alphio.

Equidem frequentius litteras ad te dare cuperem, verum tabellariorum penuria me hanc cupiditatem exequi minime sinit. Nam nec hujus loci solitudo, nec Isaurorum metus, nec hiemis asperitas aliquos ad nos crebro commeare sinunt. Nihilominus tamen, sive scribamus, sive taceamus, eamdem semper erga te benevolentiam retinemus, studium scilicet atque curam intelligentes, qua animæ tuæ commodis prospicis, dum eos qui cum pietate vivunt, recreare ac reficere studes, atque in hoc præclaro munere versaris. Quæ cum tibi explorata sint, reverendissime ac religiosissime domine, de tua totiusque tuæ domus valetudine certiores nos facere ne intermittas. Sic enim in hac quoque solitudine magnam voluptatem capiemus, si ejusmodi abs te litteras acceperimus.

EPISTOLA L[2].

Diogeni.

Quanquam de tuæ erga nos charitatis sinceritate antehac nobis exploratum erat : tamen multo magis eamdem nunc perspeximus, cum tanta coorta tempestate, non modo nihilo segniorem, sed etiam multo studiosiorem ami-

[1] Anno ut putatur 405. — [2] Cucuso anno 404.

cum te nobis præbuisti. Eoque nomine te admiramur, quotidieque prædicare non desinimus. Nam tu quidem a benigno Deo, qui eos, a quibus boni aliquid efficitur, aut dicitur, præmiis longe semper superat, mercedem omni sermone præstantiorem accepturus es. Nos autem, quibus rebus possumus, gratiam tibi rependimus, nec te admirari, laudare, beatum prædicare, amare, vereri, colere animoque te quoquo gentium circumferre intermittimus, charitatis videlicet lege tibi copulati atque adstricti. Nam quod ex eorum numero semper fuerimus, qui te apprime diligant, plane quoque ipse scis, domine mi summopere venerande atque admirande. Quapropter eorum munerum causa quæ ad nos misisti, ne nobis succenseas. Posteaquam enim honorem eum, qui ab ipsis manabat, tanquam e vindemia quadam uvam expressimus ac percepimus, munera ipsa remisimus, non quod te aspernaremur, aut animi tui nobilitati minime confideremus, sed quod iis non indigeremus, quod etiam in multis aliis fecimus. Nam alii quoque quamplurimi tibique nobilitate pares, ac nos ardentissime amantes, ut amplitudo tua poterit ediscere, idem istud fecerunt : atque apud eos nobis eadem hæc excusatio suffecit, quam tu quoque admittas velim. Nam si in penuria versemur, majori cum animi fiducia, tanquam si nostra essent, exposcemus : idque tu reipsa perspicies. Quamobrem ea accipe, ac diligenter serva : ut si quando tempus postularit, fidenti ac libero animo ea abs te deposcamus.

EPISTOLA LI[1].

Eidem.

Cum superiorem epistolam scripsissem, atque reverendissimum ac religiosissimum virum Aphraatem ita nobis affixum esse conspicerem, ut nec hinc abire vellet, nec litteras quidem a nobis accepturum se esse minaretur, nisi munera ea, quæ ad nos misisses, accepissem, typum, qui tuæ nobilitati maxime gratus futurus, animumque tuum recreaturus sit, huic rei imposui: quem tu cum ex ipso intellexeris, eum præclari hujusce consilii administrum fieri jube. Nec enim te fugit, quanta hujus rei utilitas futura sit, tum ob ipsius in Phœnicia adventum, tum ob tuam liberalitatem ac munificentiam. Atque utriusque hujus rei mercedem ipse capies: ut qui erga eos, qui in Phœnicia Gentiles Christianæ fidei rudimentis imbuunt, atque Ecclesiarum constructioni operam impendunt, liberalitatis tuæ specimen edideris, ac præterea ejusmodi virum excitaris, ad eosque consolandos miseris: nunc præsertim cum in tanta difficultate versantur, atque a multis oppugnantur. Quamobrem considerata præclari hujusce negotii magnitudine, ne eum vel tantillum cunctari patere: verum hoc effice, ut nulla interposita mora hoc iter suscipiat: sic enim tibi, domine mi summopere admirande, per egregiam hujusmodi operam, amplam apud benignum Deum mercedem recondes.

[1] Cucuso anno 405.

EPISTOLA LII[1].

Adoliæ.

Quod in morbum incideris, didicimus[1], et quidem ita gravem et acerbum, ut ad ipsas quoque mortis portas accesseris. Scimus etiam te e morbo convaluisse, ac periculo jam liberatam ad sanitatem progredi. At ex tuis litteris nihil horum intellexi; ideoque admodum dolui; verum aliunde, atque ab aliis. Cæterum illud nobis ad consolationem abunde est, quod e morbo emerseris. Etsi autem id nobis sufficiat, non propterea tamen longum hoc tuum silentium placido animo ferimus. Vellemus enim, ut ipsa quoque nosti, te huc venientem cernere. Ac sane, nisi morbus accidisset, nihil erat quod impediret. Nam et hujus regionis hyems amœnissimi veris speciem hactenus imitatur, et Armenia Isauris liberata est. Attamen, ut huc venias, invitam ac repugnantem minime cogimus. Quod autem nec Isaurorum metus nec hyemis acrimonia, nec itineris ærumna, nec aliud quidquam impedit, hoc petimus, nimirum ut a te, cujus ardens erga nos ac sincera benevolentia est, crebro litteras accipiamus. Nam si eas, de tua valetudine animique tui hilaritate nos certiores facientes sæpe obtineamus, non mediocrem hinc quoque consolationem capiemus. Cum igitur, quanto nos beneficio affectura sis, animadvertas, id facere ne graveris. Scis enim quam te complectamur, quantamque semper erga te charitatem præ nobis tulerimus.

[1] Cucuso anno ut putatur 404.

EPISTOLA LIII.

Nicolao Presbytero.

Magnopere nos erexisti, atque ingenti voluptate perfudisti, cum illud significasti, permagnam tibi Phœniciæ curam esse, teque tanto licet intervallo dissitum, eos qui illic degunt, per litteras ad pietatis studium acuere atque hortari : qua in re zelum Apostolicum præstas. Eaque causa te admirari ac beatum prædicare minime intermittimus, quod et monachos antea misisti, et nunc in tanta negotiorum difficultate non modo eos non abduxisti, sed etiam manere coëgisti, optimi videlicet gubernatoris atque egregii medici munere perfungens. Ut enim ille, cum fluctus excitari videt, tum plus studii ac diligentiæ adhibet, atque hic item, cum febrim in majorem flammam exarsisse perspicit, tum majori arte atque industria utitur : ad eumdem modum tu quoque, nobilissime ac religiosissime domine, rem virtute tua dignam fecisti, quod cum ægras res esse ac seditione laborare conspexisti, tum potissimum operam dedisti, ut ne ii, qui illic degunt, aciem desererent, verum remanerent, ac partes suas explerent. Quamobrem tuis ipse vestigiis hærens, reverendissimum dominum meum Gerontium presbyterum, si convaluerit, atque ad integram sanitatem redierit, confestim, quæso, urge, ut iter illud ineat. Quanquam enim nos quoque eum huc venire ac videre cupimus : tamen, quoniam regionis illius negotia celeritatem, ingentemque vigilantiam desiderant ; ne in via longum tempus teratur, hyemsque interveniens iter ipsi intercludat, abs te vehementer petimus, ut et eum, si ex morbo recreatus

sit, ad suscipiendum iter urgeas: illudque cures, ut vir suavissimus, ac mihi charissimus Joannes Presbyter itineris comitem se ipsi adjungat. Scis enim regionis illius negotia nunc eo pluribus correctoribus indigere, quo longius serpserunt mala. Hæc igitur cum animo tuo reputans, ac quanti animæ salus momenti sit, perspiciens, quantasque res jam antehac studio tuo ac diligentia sis consecutus, velim tam per te ipse, quam aliorum, quos nancisci potueris, opera atque industria cures, ut quæ correcta et sanata sunt, firma maneant, atque etiam multo majore accessione cumulentur. Tu certe nihilo minorem, quam ii, qui huc venerunt, voluptatem nobis attulisti: siquidem animo ac voluntate venisti; atque charitatis oculis, corpore licet absentem, te quotidie cernimus, animoque passim circumferimus. Fortasse quoque nobis mutuo conspectu frui dabitur, cum tempus id permittet. Nam, ut nunc res sunt, etsi alioqui tui videndi atque amplectendi magna cupiditate tenemur, te tamen istic manere necessarium esse ducimus. Nec enim dubitamus, quin tu omnia facturus curaturusque sis, quo strenuis viris Phœniciam impleas, atque eos, qui illic remanserunt, magis ac magis fulcias et corrobores, ut ne relictis regionis illius negotiis pedem referant: et eos, qui vicini ac propinqui sunt, exquiras, atque cum ingenti animi alacritate ac studio emittas, cunctisque tam propinquis quam remotis amplissimam utilitatem afferas: atque unguentorum naturam imiteris, quæ non modo locum eum, quo excipiuntur, sed etiam longius remotum aërem magna suavitate perfundunt.

EPISTOLA LIV[1].

Gerontio Presbytero.

Et jam ad pietatem tuam litteras dedi, existimans te in Phœnicia esse: et nunc item eadem, quæ prius, scribo, nempe vobis nunc maxime quidvis agendum ac perferendum esse, ut ne segetem vestram vacuam et inanem deseratis, nec quidquam eorum, quæ recte et cum laude gesta sunt, labefactari atque interire sinatis. Nam et pastores, cum ingentem labem ad oves undique grassantem conspexerint, tunc potissimum excitantur, ac vigilant, fundamque sumunt, cæterisque artibus utuntur, quo incommodum omne a grege propulsent. Et quidem cum Jacob pecudum rationis expertium curam gerens, totos decem et quatuor annos servi munus obierit, æstuque ac frigore et vigiliis multis conflictatus, vilissimique mercenarii officio functus sit, perpende animo, quidnam ii, quorum fidei oves ratione præditæ commissæ sunt, agere ac perpeti debeant, ne qua ex ipsis pereat. Quocirca te obsecro, ut quo major est tempestas, est plura mala, et majora impedimenta objiciuntur, pluresque sunt qui insidias struant, eo etiam magis ipse te excites, aliosque item horteris, ut præclaram hanc curam tecum suscipiant, illucque quam celerrime pervenire maturent. Nam hujusce quoque profectionis, non parvam mercedem es habiturus: quod si profectionis, multo magis si res ipsas tractes, multumque studium adhibeas. Siquidem hujusmodi peregrinationes suscipere, longe præstantius atque

[1] Cucuso anno 405.

conducibilius est, quam domi desidere. Illic enim degens, hæc etiam habere potes, quæ nunc habes, hoc est jejunium, vigilias, cæteraque Christianæ philosophiæ genera. Domi autem desidens, ea lucrari non potes, quæ si in illa regione commoreris, adipisci potes, nimirum tot animarum salutem, periculorum mercedem, tantæque animi promptitudinis præmium : nam ne ipsa quidem animi promptitudo præmio caret. Quamobrem, quales tibi ipsi coronas in futurum condas, tecum reputans, ne, quæso, cuncteris aut differas : verum ubi e morbo convalueris, mox ad iter te accinge, de rebus ad usum tuum necessariis nihil curans. Siquidem reverendissimo ac religiosissimo Presbytero Constantio negotium dedi, ut sive ad ædium extructiones, sive ad sublevandam fratrum inopiam impensis opus sit, large vobis ac prolixe omnia suppeditet, atque adeo nunc etiam largius ac profusius, quam ante. Cum igitur et pronos ac faciles inde sumptus habeas, et quod caput est, rem Deo gratam facturus sis, depulsa omni cunctatione confestim iter matures, quæso, atque ex ipsa Phœnicia hoc nobis significes : ut licet in gravi ac molesta solitudine hæreamus, ingens tamen hinc solatium consequamur. Nam si te animo ac voluntate ita comparatum illuc abiisse intellexerimus, ut pro animarum illius regionis salute nihil facere ac pati recuses, tanta voluptate perfundemur, ut ne solitudinem quidem incolere nos existimemus. Quamvis enim te quoque huc venire, ac tuo conspectu frui cupiamus : tamen, quia hoc quod dixi, magis necessarium est, periculumque est, ne hiems iter illud tibi præcludat, propterea te urgemus, atque, ut proficisci matures, obsecramus.

EPISTOLA LV[1].

Symeoni et Mari presbyteris, atque in Apamiensi regione monasticam vitam profitentibus.

Etsi magno itineris spatio a vobis disjungimur, atque in asperrima solitudine commoramur : tamen cognita animi vestri virtute ingentique philosophia, per quam omnibus, qui istic sunt, lucem ac splendorem affertis, magnum vestri amorem concepimus. Ac quoniam, tum ob hiemis asperitatem, tum ob itineris longitudinem, vestro interim congressu frui minime licet, per litteras vos convenire studuimus, vos orantes atque obsecrantes, ut et pro malorum eorum, quæ universum terrarum orbem invaserunt, depulsione prolixas ad Deum preces adhibeatis, et omnes magna cum alacritate ad hoc excitetis : nosque cum facultas dabitur, de vestra valetudine per litteras quam sæpissime certiores faciatis : ut licet etiam procul a vobis dissiti, atque ad ultimos quoque terræ angulos relegati, magnam tamen hinc consolationem capiamus, de vestræ valetudinis statu persæpe aliquid audientes. Nos quidem certe permagna voluptate affecit vir charissimus et suavissimus Joannes presbyter, quod in tanta temporum difficultate domo excedere, atque in Phœniciam proficisci animum induxerit. Quapropter a vobis peto, ut præclari hujusce operis magnitudine animo perpensa, si quos præstantes ac generosos viros nanciscamini, qui ad egregiarum harum rerum magnitudinem auxiliarem manum

[1] Cucuso anno 405.

afferre possint; eos magna cum animi alacritate una cum eo mittatis, quantam hinc mercedem laturi sitis, cogitantes.

EPISTOLA LVI[1].

Romulo et Byzo monachis.

Vos quidem huc quoque venire, atque oculis perspicere vellem; vestræ enim pietatis fama commotus, ingenti vestri amore afficior, atque charitatis oculis vos intueor; quoniam autem, tum ob itineris longinquitatem, tum ob hiemis tempus, tum ob Isaurorum metum id nunc minime licet, vos per litteras convenire studui, meam erga vos benevolentiam perspicuam vobis faciens : licet enim eos amare qui procul positi nec unquam visi sunt. Nam ejusmodi charitatis natura est, ut nec viæ longitudine dirimatur, nec temporis diuturnitate debilitetur, nec illatis tentationibus infringatur, verum hæc omnia vincat, ac supra omnia assurgat, atque in sublimitatem inenarrabilem attollatur. Ob eamque causam nos etiam, quandoquidem apprime vos amamus, nihil horum segniores effecit. Quin potius, et ipsi scribimus, et vicissim, ut de vestra salute certiores nos faciatis, vos rogamus. Sic enim, etiam in solitudine degentes, magno solatio afficiemur, cum eos qui ita vivunt, arctumque atque angustum iter ingrediuntur, incolumi ac firma valetudine esse intellexerimus.

[1] Cucuso anno 405.

EPISTOLA LVII [1].

Adoliæ.

Quamvis ipsa raro ad nos scribas, nos tamen quoties homines nanciscemur, qui hinc istuc proficiscantur, litteras ad te dare minime desinemus. Ac quidem te huc venire, ac cernere vellemus, idque in primis optamus. Verum quoniam hoc arduum fortasse ac difficile tibi visum est; nam alioqui Isaurorum periculum penitus sublatum est; nos certe consolationem eam, quam, dum crebro ad te scribimus, capere solemus, nobis ipsis præbere minime intermittemus. Etenim quoties tabellarii, qui istuc iter faciat, nobis copia est, non vulgarem voluptatem capimus, cum ad te litteras damus. Hæc igitur cum tibi explorata sint, ornatissima et religiosissima domina mea, velim quoque ipsa des operam, ut de tua valetudine animique hilaritate quam sæpissime ad nos scribas. Quemadmodum enim de profectione nihil te accusamus, quod res ea difficultatem habere tibi visa sit: eodem modo de longo silentio tibi succensere minime desinemus, quoniam de tua totiusque domus tuæ valetudine assidue aliquid audire vehementer desideramus.

[1] Cucuso anno ut putatur 404.

EPISTOLA LVIII[1].

Theodosio ex ducibus (11).

Multo melle litteras tuas condiisti, vel, ut rectius loquar, melle dulciores eas effecisti. Mel quippe iis qui ipsius dulcedine assidue fruuntur, non jam æque dulce esse videtur, saturitate nimirum voluptatis vim opprimente : at litteræ tuæ lætum nobis de tua prospera valetudine nuncium afferentes, tantum ab eo absunt, ut hoc efficiant, ut tum præteritam voluptatem nobis augeant, cum frequentius mittuntur. Ac tu quidem epistolam meam exosculatus es : ego vero te ipsum epistolæ patrem utraque manu complexus sum, colloque tuo circumfusus, carumque mihi caput exosculatus, ingentem consolationem percepi. Sic enim affectus eram, ut non epistolam duntaxat tuam legere arbitrarer, sed etiam te ipsum adesse, ac nobiscum versari. Tanta epistolæ vis fuit. Ejusmodi quippe sinceræ charitatis natura est, ut etiamsi latices suos per litteras profundat, id efficiat, ut ipse litterarum fons oculis obversari videatur : quod etiam nobis usu venit. Ac neque temporis diuturnitas, neque itineris longitudo, neque negotiorum difficultates ac molestiæ, nec denique aliud quidquam, quo minus id nobis contingeret, impedimento esse potuit. Hæc igitur cum scias, domine mi cumprimis admirande, ne te, quæso, de tua totiusque domus tuæ valetudine, animique hilaritate nos per litteras certiores facere pigeat. Nec enim te fugit, quantæ nobis curæ sit hæc scire.

[1] Ab anno 404 ad 407.

EPISTOLA LIX[1].

Theodoto Diacono.

Cito nostri oblitus es, ad ingentem eam molestiam, quam ex digressu tuo accepimus, alium ex diuturno tuo silentio mœrorem adjungens. Nec vero ad temporis angustiam tibi perfugium patet : nam dierum multitudo ingentem ad reditum facilitatem viatori præbere potest. Quin ne Isauricos quidem metus causari te patiemur, quandoquidem te magnopere amamus. Multi quippe sunt, qui post discessum tuum illinc huc venerint. Quænam igitur silentii causa est? negligentia nimirum, ac pigritia. Sed tamen prioris negligentiæ culpam tibi remittimus, si modo animum in posterum induxeris prætermissum abs te officii munus frequentibus litteris sarcire. Scis enim quantam a nobis gratiam initurus sis, de tua prospera valetudine crebro ad nos scribens.

EPISTOLA LX[2].

Chalcidiæ et Asyncritiæ.

Non me fugit crebras eas tentationes, quæ domino meo reverendissimo et religiosissimo presbytero illatæ sunt, magnam vobis perturbationem attulisse. Verum nihil est quamobrem hoc nomine animi vestri commoveantur. Nam

1 Cucuso anno 405. — 2 Cucuso anno 404.

qui Dei causa hæc perpetitur, quo graviora pertulerit, eo quoque majores coronas referet. Cum igitur hanc satis amplam consolationem habeatis, strenuo animo, et cum gratiarum actione, ea quæ accidunt ferte, Dei gloriam ob omnes rerum eventus prædicantes. Sic enim vos quoque in præmiorum et coronarum, quæ illum manent, societatem venietis, si ea quæ acciderunt forti et placido animo tuleritis. Scitis enim viam esse præsentem hanc vitam, ejusque tam res lætas ac jucundas, quam graves et molestas præterire : illudque item nobis faciendum esse, ut per multas tribulationes in Dei regnum introeamus : arctamque atque angustam portam esse quæ ad vitam ducit. Quæ cum ita sint, tum per hæc, tum per ipsius præsentiam, solatio accepto, nubem omnem mœroris discutietis, ob ipsius calamitates lætitiam ac voluptatem animo concipientes. Nam fructus hinc inenarrabilis et corruptionis expers ipsi recondetur.

EPISTOLA LXI[1].

Theodoto ex Consularibus (12).

Hoc est patrem esse, non modo illud non moleste ferre, quod filius veram sapientiam profiteatur, verum etiam ipsi idcirco gratulari, nihilque non agere, quo ad ipsius arcem perveniat : ac ne hoc quidem, quod ille, tum a patria, tum a domo, tum ab oculis tuis procul sit, iniquo animo ferre, verum nunc potius eo esse animo, ut ipsum tecum versari existimes, cum ipsius virtus augetur. Ob eamque causam ingentes tibi gratias habemus : atque

[1] Anno 406.

admirati sumus quo pacto, cum a te tantum munus, hoc est filium, habuerimus, tu tamen duxeris nos aliis quoque muneribus ornandos esse. Nos vero honorem quidem illum qui ex muneribus missis oritur, decerpsimus, munera autem ipsa remisimus : non quod te despiciamus, quî enim, istud, cum a te valde amemur? verum quod supervacaneum esse censeremus earum rerum fructum consectari, quibus minime indigemus. Sane bellum lectorem Theodotum apud nos retinere, ac fingere et erudire nobis cordi erat; verum quoniam omnia hic cædibus, tumultibus, cruore, atque incendiis plena sunt, Isauris nimirum cuncta ferro atque igne populantibus, nosque sedes quotidie mutamus, necessarium proinde esse duximus eum hinc emittere, domino meo religiosissimo diacono Theodoto etiam atque etiam mandantes, ut ipsius curam assidue gerat, in idque magno studio ac diligentia incumbat. Quod ipsum ut filius tuus consequatur, tu quoque labores velim : atque omnino consilium nostrum laudabis, nobisque admonitionis hujus nomine ingentem gratiam habebis.

EPISTOLA LXII[1].

Casto, Valerio, Diophantæ, Cyriaco, Antiochiæ Presbyteris.

Quod reverendissimus ac religiosissimus presbyter Constantius nos reliquerit, doleo : quod autem ad vos se contulerit, lætor : ac magis hinc lætor, quam illinc doleo. Neque enim mihi dubium est, quin ad tranquillum portum, hoc est ad vestram caritatem, appellat. Nam quamvis sex-

[1] Cucuso anno 405.

centi tumultus vos undique circumstent, magnosque fluctus excitent : tamen ejusmodi statu res vestræ sunt, ut ob eam, qua præditi estis, fortitudinem, et constantem charitatem animique affectionem, etiam in mediis procellis magna tranquillitate fruamini. Quamobrem cum ad vestrum aspectum venerit, ipsi, ut par est, omnia suppeditate. Scitis enim quanta vos hinc merces maneat, si eum inique vexatum fovere studeatis. Neque enim aliud quidquam a vobis postulamus, quam ut ne ipse per injuriam vexetur, temereque huc atque illuc circumagatur, ac per judicum tribunalia eam ob causam distrahatur, atque laceretur, ob quam eum corona ornari, ac publico præconio celebrari par erat. Ac pro eo quidem hæc postulamus : pro nobis autem ut sæpe ad nos scribatis, ac de vestra valetudine certiores nos faciatis. Nam etsi longo itineris intervallo a vobis divellimur ; vos tamen animo circumferre minime desinimus, ac vobiscum esse, quotidieque versari. Ejusmodi enim charitatis oculi sunt in iis, qui sincere amare norunt. Idque ipsi perspicue nostis, quandoquidem sincere quoque amare nostis.

EPISTOLA LXIII [1].

Tranquillino.

Cætera quidem omnia tempori cedunt, ac vetustatem et senium contrahunt, hoc est florentia corpora, alta ædificia, prata, et horti, ac denique omnia quæ ex terra oriuntur : sola autem charitas ab ejusmodi detrimento immunis est : ac non modo temporis diuturnitate non

[1] Ab anno 404 ad 407.

marcescit, sed ne morte quidem ipsa interrumpitur. Eoque nomine nos quoque, tametsi diuturno tempore a suavitate tua abfuerimus, vigentem tamen tui amorem retinemus : ac nunc quidem lingua, semper autem animo. Eaque de causa quam sæpissime ad pietatem tuam litteras dedimus. Quoniam autem, quo statu valetudo tua sit, intelligere valde expetimus ; scis enim ipse quam te valere cupiamus ; si fieri possit, facileque aliquem nancisci queas, qui litteras ad nos ferat, velim ut quemadmodum officii tui ratio postulat, de eo nos certiores facias. Nam res nostras atque ea quæ in Armenia et Thracia geruntur, sinceræ atque ardenti charitati tuæ narrabit is qui tibi has litteras reddet.

EPISTOLA LXIV.

Cyriaco Episcopo.

Dominus meus Sopater, Armeniæ hujusce præfectus, in qua nunc inclusi tenemur, Armeniæ quidem præfuit ut pater : plus autem officii erga nos exhibuit, quam a patre postulandum videretur. Huic itaque hujusce benevolentiæ vicem cum rependere cuperem et exquirerem, optimam viam mihi invenisse videor, nimirum sollicitum tuum ac vigilantem animum, cujus opera gratiam ipsi referre potero. Quî tandem istud, et quonam pacto? Ipsius filius jam diu istic litterarum causa commoratur. Hunc si læto atque alacri animo, ut charitati tuæ convenit, videre studueris, beneficiique aliquid in eum contuleris, omnia a nobis debita officia rependeris. Quamobrem hoc effice : ac, tum eorum qui magistratu funguntur, tum tuorum familiarium, quique ipsi externam regionem patria jucundiorem red-

dere queunt, notitiam ipsi concilia. Sic enim, et ab eo, et a me, atque adeo a te ipso gratiam inibis, probum scilicet ac benignum virum, communemque pauperum portum per filium juvans.

EPISTOLA LXV[1].

Marciano et Marcellino.

Satis amplum mœroris illius, quem, ut ex litteris vestris accepi, sustinetis, solatium, vobis est philosophica hæc vestra mens, ac sublimis et firma constansque affectio. Ut enim molli ac dissoluto homini ne tranquillitas quidem ac secundus cursus magnam ullam utilitatem afferre potest : sic firmum et solidum et vigilantem virum ne gravis quidem tempestas unquam commovet, verum clariorem et illustriorem reddit. Ea enim tentationum natura est, ut iis qui forti animo eas ferunt, multa præmia splendidasque coronas accersat. Hæc igitur cum vobis perspecta sint, reverendissimi ac nobilissimi domini mei, cumque hanc satis amplam in rebus acerbis consolationem habeatis; nihil horum, quæ fiunt, animos vestros perturbet, atque quam sæpissime ad nos velim scribatis. Etenim id quidem maxime vellemus, præsentes vos intueri atque complecti. Quoniam autem, quominus id nunc fieri possit, multa impedimento sunt, sine intermissione ad nos scribere, ac de vestra valetudine certiores nos facere ne gravemini. Scitis enim, quantam, si hoc faciatis, a nobis gratiam inituri, quantaque nos voluptate cumulaturi sitis.

[1] Cucuso anno, ut putatur, 404.

EPISTOLA LXVI.

Casto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, Antiochiæ presbyteris.

Lingua quidem raro ad vos scripsi; animo autem crebro ac frequenter. Quare ne totidem duntaxat epistolas nostras esse existimetis, quot per chartam et atramentum accepistis, verum quot ad vos mittere cupivimus. Nam si rem ita reputare volueritis, sexcentæ profecto litteræ ad vos a nobis missæ sunt. Sin autem nemo est qui perferat, non nostræ socordiæ, sed rerum difficultati silentium nostrum ascribi debet. Hæc autem dixi, ut sive scribamus, sive taceamus, eamdem de nostra erga vos charitate sententiam feratis. Nos enim, quocumque in loco simus, incisam in animo nostro vestri memoriam circumferimus. Ac nunc quidem ingentem vobis gratiam habemus, quod probum monachum cum ea, quæ a vobis postulabatur, benevolentia suscepistis, eosque qui importune adversus eum rixari cupiebant, mitiores reddidistis. Quare non frustra, nec adulandi studio illud dicebam, vos etiamsi innumeri undique fluctus excitentur, in tranquillitate tamen esse. Nam cum ab aliis naufragia fracile propulsetis, non est dubium quin ipsi procul a tempestate remoti sitis. Vos vero quam sæpissime, quæso, de vestra bona valetudine ad nos litteras date. Neque enim ignari estis, quanto nobis studio sit id scire. Tanta enim vestrarum litterarum, cum firmam vestram valetudinem nobis nunciant, vis ac facultas est, ut quamvis tot ærumnis, bellis, tumultibus, perturbationibus, quotidianisque mortibus undique cingamur, tamen

cum tot ejusmodi a vobis epistolas accipimus, præ gaudio volitemus, maximamque hinc consolationem sentiamus. Hujusmodi quippe est sincerus amor, ut etiam per litteras lætum hunc nuntium afferentes, eos qui corpore disjuncti sunt, perfacile recreare ac reficere possit.

EPISTOLA LXVII[1].

Theodoto diacono.

Ipse quidem, reverendissime ac religiosissime mi domine, iis saltem malis, quibus Armenia laborat, defunctus es: nos autem præter eos tumultus, imo quotidianas mortes quæ hic vigent, illud non vulgariter discruciat, quod a tua quoque suavitate, ac vera et sincera benevolentia divulsi sumus. Accessit etiam ad hujus mœroris cumulum diuturnum tuum silentium. Nam ex quo die hinc discessisti, secundam hanc duntaxat epistolam accepimus. Nec vero hæc accusandi tui causa commemoro, sed dolore commotus. Nam quod iter istud ad nos viatoribus clausum sit, neminem fugit: verum ut hoc tibi excusationem affert, ita nos non perinde consolatur; quin potius hoc ipso quoque nomine potissimum angimur, quod ea quoque digressus tui atque absentiæ consolatione, quæ unica nobis erat, caremus. Quoniam igitur hæc difficultas in præsentia discuti non potest, verum pericula quotidie ingravescunt, velim alia ratione mœstitiam eam, quam ex longo tuo silentio contraximus, minuendam cures, nimirum ut nostri memoriam nunquam intermittas, et cum ad nos scribes, longiores epistolas facias, atque in exponendo valetudinis

[1] Arabisso ut putatur anno 406.

tuæ statu, animique tranquillitate et securitate moram trahas. Sic enim, quod nobis ex tempore deficit, ex epistolarum longitudine sarcire poteris.

EPISTOLA LXVIII[1].

Eidem.

Id quoque tuum est, hoc est hominis acriter atque ardenter nos amantis. Lecta enim priore epistola, secundam insuper accepi, eodem utramque die : magnaque lætitia sum affectus. Habebat enim posterior quiddam amplius : quippe non verba duntaxat tua, sed etiam scriptum tuum nobis indicabat; quod quidem voluptatem etiam nobis auxit. Nec enim ferventis duntaxat ac sinceræ animæ tuæ, sed etiam insuper manus imaginem conspeximus. Quare quam sæpissime id facias, quæso, ac solatium illud quod nobis hac quoque ratione excogitasti, prolixe impertias. Huc enim te trahere minime jam audemus : tot Armeniæ mala sunt, ac tempestas altera omnia excepit. Nam quocumque tandem quispiam venerit, cruentos torrentes, cadaverum agmina, domos solo æquatas, urbes eversas perspiciet. Nos autem, tametsi periculo vacui esse videamur, in hoc præsidio, tamquam gravi quodam carcere conclusi; tamen ob quotidianos metus, ob rumores cædibus plenos, ob perpetuas Isauricarum excursionum expectationes, ob corporis denique imbecillitatem, cum qua ad hunc usque diem luctamur, tranquillitate ac securitate frui minime possumus. Sed tamen etiam inter tot mala non parvum solatium capimus, cum litteras lætum de tua firma valetudine nuntium afferentes accipimus.

[1] Arabisso anno 406.

EPISTOLA LXIX [1].

Nicolao presbytero.

Istud quoque sinceræ tuæ ac ferventis charitatis est, quod cum tanto a nobis intervallo dissitus sis, tamen de salute nostra sis sollicitus. Nuper quidem asperrima hyeme loca subinde commutantes, nunc in urbibus, nunc in terræ faucibus et sylvis commorati sumus, ab Isaurorum incursibus undecumque expulsi. Tandem autem aliquando his malis nonnihil sedatis, loca deserta relinquentes, Arabissum confugimus, quod videlicet illius oppidi arcem reliquis locis tutiorem invenissemus. Neque enim in oppido degimus; quia ne id quidem tutum est. Est autem nobis hæc sedes quovis carcere deterior. Præter id enim quod singulos in dies, ut ita dicam, pro foribus nostris mors est, Isauris omnia invadentibus, atque igni et ferro tum corpora, tum ædificia delentibus, famem etiam, quam loci angustia, et eorum qui huc confugiunt, multitudo minatur, pertimescimus. Ac præterea diuturno morbo, quem nobis hyems et perpetua fuga peperit, conflictati, etsi vim ipsius et acerbitatem nunc effugimus, nonnullas tamen adhuc ipsius reliquias circumferimus. Sed quanquam in tot malis ac tantis molestiis versamur, magnam tamen ex ferventi vestra et sincera atque constanti charitate consolationem capimus. Quæ cum sciatis, ne, quæso, de vestra sanitate quam sæpissime ad nos scribere gravemini. Quamvis enim tanto a vobis spatio divellamur: arctissimo tamen Charitatis vinculo vobiscum devincti

[1] Arabisso anno 406.

sumus. Tibi vero ingentem gratiam habemus, quod cum in tot tantisque perturbationibus verseris, non parvam tamen negotiorum Phœniciæ curam geris. Quapropter si quid novi illinc afferatur, ne nobis id significare pigreris. Vix enim ulla ex parte quisquam ad nos commeare audet, quod omnes viæ, quæ huc ferunt, undique clausæ sint. Attamen etsi crebro ad nos litteras mittere difficile sit, quoties poteris hoc velim facias, atque et quid illic rerum geratur, exponas, et de vestra valetudine de qua vehementer solliciti sumus, certiores nos facias.

EPISTOLA LXX [1].

Aphthonio, Theodoto, Chæreæ, presbyteris ac monachis.

Equidem ipse quoque vos huc venire, ac videre cuperem : quoniam autem multa sunt quæ impediant, hoc quidem nunc exposcere minime audeo : illud autem a vobis peto, ut quamvis procul sitis, precum tamen vestrarum, quæ multum valent, auxilium nobis afferatis. Nam hoc subsidium nec vetustate debilitatur, nec itineris longitudine dirimitur : verum quocumque in loco quispiam fiducia erga Deum, instar vestri, præditus, versetur, iis etiam qui procul dissiti sunt, hac ratione magnopere prodesse potest. Simul autem cum precibus litteras quoque velim ad nos detis, quæ de vestra valetudine nos sæpe certiores faciant. Quanquam enim multi fluctus undecumque nos cingunt, nimirum et loci solitudo, et obsidio, et Isaurorum impetus, et quotidiana mors; nam perpetuo cum morte vivimus, in

[1] Arabisso anno 406.

hac arce, non secus ac in carcere quodam inclusi, atque cum gravi corporis ægritudine colluctantes : nihilominus tamen etiamsi multæ sint nostræ calamitates, haud parvum hujusmodi malorum solatium in charitate vestra positum habemus. Quamvis enim haud diuturnam vobiscum consuetudinem habuerimus : tamen sinceræ ac ferventis melleque dulcioris et firmæ atque constantis benevolentiæ, quam et coram, et absentes ostenditis, periculum sæpe fecimus. Quapropter licet a vobis procul remoti, ac tot tantisque rerum acerbitatibus constricti, tamen in virtutis vestræ recordatione, non secus atque in portu quodam quiescimus, amplissimi thesauri instar vestram charitatem nobis esse existimantes. Ac quidem exacta hyeme, atque exorto vere, gravi morbo liberati sumus : verum ipsius reliquias adhuc circumferimus, quas augent etiam Isaurici tumultus, qui nunquam intermittunt. Hæc igitur scientes, etiamsi procul a nobis abestis, nostri tamen, quæso, semper meminisse, atque, cum licebit, crebras litteras, lætum nobis de vestra valetudine nuncium afferentes, ad nos mittere ne gravemini.

EPISTOLA LXXI [1].

Malcho.

Nec animum dejice, nec præclarissimum beatæ filiæ tuæ discessum peccatis tuis ascribe. Etenim ad tranquillum portum appulit, atque in eam vitam, quæ nullum jam finem habitura est, pervenit, ac præsentis vitæ fluctibus erepta, in petra stat, ea omnia bona quæ collegit,

[1] Ab anno 404 ad 405.

tanquam in tutissimo thesauro deinceps habens. Eoque nomine gaudere et exultare ac lætitia perfundi convenit, quod ipsius animam, velut optimus agricola maturum fructum, communi omnium Domino exhibuisti. Hæc aliaque ex hujusmodi rationibus confecta medicamenta, tum tibi, tum ornatissimæ dominæ meæ ipsius matri adhibens, mercedem pro his rebus vobis reconditam amplifica : ut non tantum optimæ educationis nomine, verum etiam quod placido et grato animo pulcherrimum ipsius e vita discessum tuleritis, ingentem a benigno Deo mercedem accipiatis.

EPISTOLA LXXII[1].

Alphio.

Etsi procul a te sejuncti sumus : tamen ea quæ cum laude geris, atque ingentem eam liberalitatem, qua in egentes uteris, audientes, gaudio et lætitia exultamus. Ac nobis quidem in votis esset, te quoque convenire, magnasque præsenti gratias agere. Quoniam autem id minime licet, Isaurica enim mala ingravescunt, atque omnes viæ interclusæ sunt; nec enim dubito, quin alioqui huc ipse accessisses, magnumque studium adhibuisses, ut ad nos usque accurreres : verum id nunc fieri nequit; idcirco per litteras te salutamus, atque oramus, ut cum licebit, quam creberrime ad nos scribas, deque tua totiusque domus tuæ valetudine certiores nos facias. Nec enim vulgarem, hic quoque degentes, ex ejusmodi tuis litteris consolationem percipiemus.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA LXXIII [1].

Agapeto.

Etsi jam longum tempus effluxit, cum abs te sejuncti sumus, atque etiam magno itineris intervallo a te dirimimur : charitate tamen tecum astringimur, atque in propinquo commoramur. imo, ut rectius loquar, in ipsa mente, quocumque tandem in loco simus, te circumferimus. Usqueadeo ferventem illam et sinceram ac vehementem et constantem amicitiam, quæ tibi jampridem atque ab initio nobiscum intercessit, intimo pectore impressam habemus. Quin ipsi quoque, domine mi præstantissime ac summopere admirande, vividam erga te benevolentiam retinemus, nec eam vel ob temporis magnitudinem, vel ob itineris longinquitatem debilitari atque extingui sinimus. Quamobrem a te petimus, ut cum licebit, de tua valetudine crebro ad nos scribere ne graveris. Scis enim quantum ejus studiosi simus, quantamque a nobis gratiam initurus sis, hujusmodi ad nos litteras mittens.

EPISTOLA LXXIV [2].

Hesychio.

Equidem ipse te videre cuperem, meque nec Isaurorum metus, nec corporis imbecillitas prohibere posset,

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

si mihi licitum esset, quo vellem, proficisci. Te autem, cum alioqui id arbitrii tui sit, ne sic quidem traho, nec ut domo migres, atque ad nos accurras, te rogo. Sed quamvis id per anni tempus liceat, tuque istud iter brevi exequi possis; neque enim magno intervallo disjuncti sumus; tamen ob Isaurorum metum huc te trahere minime velim. Verum hoc demum abs te peto, ut de tua valetudine crebro ad nos scribas. Neque enim, quominus id facere possis, prædonum incursus impedimento erit. Quamobrem hoc nos beneficio, quæso, affice, quod et tibi facile ac pronum est et ingentem nobis voluptatem affert. Nec enim te fugit, quam gratam nobis rem facturus sis, hac benignitate ac munificentia erga nos utens.

EPISTOLA LXXV[1].

Harmatio.

Quid hoc esse dicam, quod ut hominibus tuis, in iis rebus, in quibus eorum opera nobis opus fuerit, arbitratu nostro imperemus, nobis concessisti: id autem quod magnopere expetebamus, nobis eripuisti, hoc est, litteras tuas, quæ nos de tua valetudine certiores facerent? An nescis hoc iis qui sincerissime amant, summæ curæ atque cupiditati esse, ut nunc quoque nobis est? Quamobrem si nobis gratificari est animus, reverendissime mi domine, desine, quæso, tuis hominibus imperare, ut nobis in iis rebus, quibus corpus eget, inserviant: neque enim his rebus ullo modo indigemus: quippe cum omnia nobis

[1] Cucuso anno 404.

perinde atque a fonte affluant; verum ipse maximum nobis beneficium, quodque consequi summoprere cupimus, per exiguam chartam et atramentum præbe. Id porro est, ut de tua totiusque tuæ domus valetudine nos quam sæpissime certiores facias. Nam si fieri posset ut nos quoque mutuo congressu frueremur, etiam te ipsum e domo excitassem, atque amplissimi beneficii loco abs te petivissem, ut te tanto nostri amore flagrantem oculis quoque cernere mihi liceret. Quoniam autem Isaurorum metus hoc prohibuit, eam saltem consolationem, quam litteræ afferunt, copiose nobis præbe : idque nobis instar omnium erit.

EPISTOLA LXXVI [1].

Chalcidiæ.

Equidem dominum meum reverendissimum presbyterum nobiscum esse vehementer cupio. Sin autem ipsum istuc proficisci commodum esse censes, eum periculi metu carere, atque urgente tumultu liberari, quam hic esse malo. Quamobrem, ne illud existimes, ipsum a nobis prohiberi, si proficisci velit. Nobis enim cum adhuc retinendi causa ea fuit, quod negotii natura ipsius præsentiam non admodum requireret : atque item ea, quod ne in Isaurorum manus forte caderet, metueremus. Quod si eum istuc proficisci tam valde necesse est, eum et monemus et hortamur, ut iter suscipiat. Quamvis enim corpore sejungamur, tamen charitatis vinculis semper cum eo devincti sumus. Te autem oro, ne quid earum molestia-

[1] Cucuso anno 404.

rum, quæ eveniunt, animum tuum commoveat. Nam quo plures res adversæ sunt, eo quoque major tibi quæstus atque uberior merces a benigno Deo rependetur, si ea quæ accidunt, grato ac generoso animo feras. Hac enim ratione, et hæc facilius superari poterunt, et fructus is qui ex horum perpessione ac tolerantia tibi in cœlis comparatur, amplior et copiosior erit, multoque major quam calamitates et cruciatus, quos subiisti.

EPISTOLA LXXVII.

Asyncritiæ.

Etiam antehac illud tibi per litteras significavimus, nos te, quantum ad charitatem attinet, in eorum qui ad nos venerunt, numero reponere : et nunc rursus istud ipsum dicimus, nimirum te animo ac voluntate venisse. Quod si corporis imbecillitate, ac tumultibus iis qui Armeniam invaserunt, prohibita es : nos tamen ex tua voluntate animique sententia idem de tua benevolentia judicium habemus, quod prius habuimus. Quare ne quam sæpissime ad nos scribere negligas, nosque, morbumne depuleris, et qua valetudine sis, certiores facere. Quandoquidem nunc magnum animo dolorem accepimus, cum te ægram esse intelleximus. Quamobrem, ne de hac re laboremus, fac velim quam citissime sciamus, num e morbo ad sanitatem redieris.

EPISTOLA LXXVIII[1].

Romano Presbytero.

Non in Armeniam duntaxat et Cappadociam, sed etiam longius charitatis tuæ atque benevolentiæ, quam semper erga nos præstitisti, quavis tuba luculentior fama pervasit. Quamobrem nos quoque ob tuam istam benevolentiam magnopere gloriamur, nec te laudare intermittimus. Tu vero de tua valetudine quam sæpissime, quæso, ad nos scribas. Nam licet in solitudine, ac procul a vobis remoti simus, at charitatis tamen catena tecum devincti sumus, eamdem videlicet, quam olim atque ab initio erga te benevolentiam præ nobis tulimus, imo etiam majorem ac ferventiorem nunc habentes. Nec enim aut temporis diuturnitas, aut viæ longitudo, segniores ad eam rem nos reddidit, imo etiam acriores ac diligentiores. Hæc igitur cum minime ignores, domine mi reverendissime ac religiosissime, quantam crebrioribus tuis litteris gratiam a nobis initurus sis, tecum reputans, de tua valetudine ad nos scribas velim, ac præsertim in tuis sanctis precibus memoriam nostri ne intermittas : quo, licet tanto intervallo abs te disjuncti, ingentem tamen hinc opem et auxilium accipiamus.

[1] Circa annum 405.

EPISTOLA LXXIX[1].

Gemello.

Quidnam hoc est, ut cum tanta tamque præclara civitas luculentum festum agat; sic enim magistratum tuum atque imperium voco; tum tu diuturno tuo silentio majorem nobis mœstitiam attuleris? Ac si quidem alius quispiam e vulgo esset, cui hoc accidisset, causam quoque nullo negotio invenissem. Quam tandem istam? Solent plerique mortalium, cum ad majorem dignitatem pervenerint, animos quoque simul attollere, ac majores spiritus sumere : at in te qui philosophari scis, ac caducarum harum et fragilium rerum naturam apprime nosti, nec fucis ac pigmentis deciperis, verum res ipsas larvis vacuas perspicis atque animadvertis, silentii causam reperire queo. Et quidem illud pro certo habeo, me æque ac prius imo etiam magis quam ante abs te amari. Quid autem sit, quamobrem, cum hoc erga me animo sis, tandiu tacueris, dicere nequeo : imo hoc quoque ipso præsertim nomine hæreo. Quare istud ænigma, nisi grave ac molestum est, nobis velim per litteras explices. Atque etiam ante ipsas litteras, eos qui hanc epistolam ad te perferunt, hoc est, dominum meum reverendissimum et religiosissimum presbyterum, ipsiusque comites doce, id quod nobis ipsis persuasum est, nempe hoc tuum silentium a negligentia non fluxisse. Nam si hoc dixeris, satis id erit, ut ipsi comiter ac benigne a te excipiantur.

[1] Cucuso anno 404 vel 405.

EPISTOLA LXXX.

Firmino.

Ad congressum tuum magno nobis damno morbus tuus fuit : ad charitatem autem ne tantillum quidem detrimenti attulit. Nam vel semel te convenisse, satis superque fuit ad vehementem tui amorem in animis nostris ciendum. Hujus autem rei causa ipse fuisti, qui ab ipsis initiis ingentem ac pene insanum nostri amorem præ te tulisti, nec nos, ut diutius tui periculum faceremus, expectare passus es, verum ad primum aspectum nos cepisti, arctissimisque vinculis tecum astrinxisti. Ideo ad te scribimus, eaque quæ audire cupis, exponimus. Quænam autem hæc sunt? Bona valetudine sumus; iter tuto confecimus; quiete atque otio gaudemus; magnam omnium benevolentiam obtinemus; inenarrabilem denique consolationem percipimus. Nemo hic est qui nos exagitet, aut nobis negotium facessat. Quid autem nobis hoc in urbe usu venisse miraris, cum etiam iter ipsum tutissime confecerimus? Tu vero de tuis quoque rebus nos fac certiores : ut quemadmodum ex hac commemoratione voluptatem cepisti, sic etiam de tua valetudine certiores facti, magnam lætitiam capiamus. Nec enim te fugit, quantam iis qui sincere amare norunt, voluptatem hoc injiciat, cum læti aliquid de iis, quos amant, accipiunt.

EPISTOLA LXXXI[1].

Hymnetio Archiatro.

Nunquam te apud omnes mirificis laudibus efferre desinemus, tum ut probum virum, tum ut præstantissimum medicum, tum ut eum qui sincere amare novit. Nam cum hic de morbo nostro sermones excitantur, in ejusmodi commemorationes tu quoque subeas necesse est : cumque ipsi eximiæ tuæ peritiæ ac benevolentiæ periculum fecerimus, beneficia abs te accepta silere non possumus, verum apud omnes ea prædicamus, maximam a nobis hac in re gratiam ineuntes. Tantum enim tui amorem animis nostris injecisti, ut etiamsi belle valeamus, magno tamen emptum velimus, ut te huc trahere queamus, ut vel tuo conspectu frui liceat. Verum quoniam hoc, partim ob itineris difficultatem, partim ob Isaurorum metum difficile est, nunc quidem hoc minime aggredimur : at illud petimus, ut quam sæpissime litteras ad nos mittas. Eam enim, quæ præsentia ipsa parit, voluptatem frequentibus litteris nobis afferre poteris, morum tuorum melle eas illinens.

EPISTOLA LXXXII[2].

Cytherio

Brevis quidem nobis vobiscum istic fuit consuetudo :

[1] Cucuso anno 404. — [2] Scripta Cucusi anno 404.

at amor, qui hinc ortus est, magnus et sublimis ac præclarus. Nam iis qui sincere amare sciunt, ad eam rem diuturno tempore minime opus est : verum brevi totum id perfici potest. Quod etiam nobis usu venit : quippe qui vestri amore perinde flagremus, ac si jampridem mutuam inter nos consuetudinem habuissemus. Ideo ad vos etiam scribimus, rerumque nostrarum statum exponimus, nempe nos commoda valetudine esse, atque in quiete et otio degere. Nec enim nobis dubium est, quin hæc nuntiantes, rem vobis gratam facturi sumus. Vestras etiam litteras vicissim petimus, quæ lætum eumdem nobis nuntium afferant. Igitur sæpe ad nos scribere ne gravemini, deque valetudinis vestræ statu læta nuntiare. Sic enim nobis, etiam in externa regione degentibus, gratissimum facturi estis, ea scribentes, quæ frequenter audire cupimus.

EPISTOLA LXXXIII[1].

Leontio.

Civitate quidem vestra pulsi sumus : a charitate vero tua non item pulsi. Illud enim, hoc est ut istic maneremus, aut ejiceremur, in aliorum potestate situm erat : hoc autem in nostra. Quocirca nemo id nobis unquam eripere poterit : verum quocumque proficiscamur, charitatis tuæ mel semper circumferimus, magnamque ex tui recordatione voluptatem capimus, tuum erga nos amorem, studium, prudentiam, comitatem, hospitalitatem, alia denique omnia in unum cogentes, tuæque virtutis imaginem effingentes. Quoniam igitur nos ita demeruisti,

[1] Cucuso anno 404.

ac tibi conciliasti, ut etiam præsentiam tuam imprimis appetamus, id autem nunc minime licet, consolationem eam, quæ ex litteris percipitur, velim nobis præbeas. Nam cum tanta prudentia sis, per frequentes litteras id assequi poteris ut voluptatem eam, quam præsentia tua secum accersit, nobis effingas.

EPISTOLA LXXXIV [1].

Faustino.

Cucusum incolumes venimus : hinc enim ordiemur, unde nos initium scribendi facere cupis. Ac locum tumultibus vacuum reperimus, quietisque atque otii plenissimum, nec quemquam habentem qui nobis molestiam exhibeat, atque infestus sit. Quid autem mirum, si hoc nobis in urbe contingat, cum etiam desertissimum ac periculosum et suspectum iter, quod illinc ut ducit, sine metu ac negotio exegerimus, tutioraque omnia habuerimus, quam in urbibus quæ bonis legibus gubernantur? Læti igitur hujus nuntii mercedem nobis hanc pende, ut de tua valetudine quam creberrime ad nos scribas. Siquidem in magna quiete hic degentes, animi tui nobilitatem, ingenuitatem, improborum odium, loquendi libertatem, universum denique virtutum tuarum pratum sine ulla intermissione cogitatione nobis effingimus, tuique memoria delectamur, quemcumque in locum abscedamus, te circumferentes atque incredibili quodam tui amore flagantes. Eaque de causa te quoque huc venire, ac cernere cupimus. Quoniam autem id difficile est, ad secundum

[1] Cucuso anno 404

navigationis cursum venimus, eamque, quam litteræ pariunt, consolationem abs te postulamus. Maximum quippe solatium nobis erit, frequentes epistolas accipere, quæ nos de tua valetudine certiores faciant.

EPISTOLA LXXXV[1].

Lucio episcopo.

Etsi magno itineris intervallo a te sejuncti sumus, tamen illud improborum odium, quo animus tuus præditus est, minime nobis obscurum fuit, dolorque ille, quem propter eos qui tanta flagitia perpetrarunt, totque scandalis orbem impleverunt, animo concepisti. Propterea tibi gratias agimus, mirificisque laudibus sine ulla intermissione te celebramus, quod in tanta malorum colluvie, totque hominibus in præcipitia et scopulos ruentibus, tu rectum iter tenere minime destitisti, ea quæ facta sunt, reprehendens, eosque, a quibus facta sunt, aversans, ut etiam te facere par est. Eaque de causa te hortamur, ut in egregia hac animi alacritate perstes, majoremque etiam zelum præ te feras. Scis enim quæ vobis merces futura sit, quæ præmia, quæ coronæ, si tot aliis perturbantibus, contrarium tamen iter tenueritis, maximam præsentibus malis medicinam hinc afferentes. Nam quod, etiamsi alioqui exiguo numero sitis, tamen si strenuo ac forti animo in procinctu stare volueritis, majores copias ob improbitatem gloriantes superaturi sitis, nemo inficias ierit. Nihil enim fortius est virtute earumque rerum perquisitione, quibus præsidium Ecclesiis comparatur. Cum igitur ani-

[1] Scripta anno 404.

mum ad ingentem Dei opem accersendam idoneum habeatis, quæ vestrarum partium sunt, velim expleatis, vosque per hujusmodi mentem ac voluntatem firmissimi cujusdam muri instar omnibus orbis Ecclesiis præbeatis.

EPISTOLA LXXXVI[1].

Mari episcopo.

Et, cum tempestas ea, qua Ecclesia turbata est, exoriretur, animi tui integritatem atque constantiam perspeximus : et nunc item ingravescentibus malis pietatem tuam in iisdem rursus institutis perseverare cognovimus. Eoque nomine, tam longe licet a te dissiti, debitum tibi salutationis munus persolvimus, teque mirificis laudibus extollimus, quod cum plurimi per ea scelera quæ adversus Ecclesias designarunt, sese in exitium præcipites dederint, ipse tamen viam aliorum viæ adversam tenueris, nimirum et eorum quæ hæc ausi sunt, congressum defugiens, et eam quæ te digna erat, libertatem retinens. Cogitans itaque, quanta præclari hujusce tui facti magnitudo sit, quantæque laudis, improbis minime obsecundasse, atque illud præterea constantem hanc vestram firmamque sententiam depellendorum malorum viam ac præludium fore, fac, quæso, ut quemadmodum a te postulatur, strenuo animo in procinctu stes, atque alios pro virili tua cohorteris. Sic enim ad auxilium nostrum hæc occasio suffecerit, Deo nempe mentem vestram, quæ in tanta rerum perturbatione recta eligit, comprobante, suamque opem afferente.

[1] Scripta anno 404.

EPISTOLA LXXXVII[1].

Eulogio episcopo.

Quamvis ad extremos usque orbis recessus venerimus, tamen tuæ charitatis oblivisci minime possumus, verum eam passim circumferimus. Usque adeo nos, reverendissime ac religiosissime mi domine, tibi devinxisti, ac subegisti. Siquidem nunc quoque Cucusi manentes, hoc est in desertissimo nostri orbis loco, benignitatem tuam, suavitatem, morum facilitatem, sinceram animi propensionem, acrimoniam, zelum quovis igne ferventiorem, cæteras denique omnes tuas virtutes cum animis nostris reputare, atque ejusmodi cogitationum memoriam summa cum voluptate usurpare, mentisque tuæ firmitatem atque constantiam, quam adversus eos qui veritati bellum intulerunt, orbemque tot scandalis impleverunt, apud omnes prædicare minime desinimus; etiamsi alioqui hoc linguæ nostræ officium minime requiras, cum tu, quavis tuba clarius, apud omnes Orientales, et quam longissime dissitos homines, per res ipsas id promulgaris. Quo quidem nomine gratias tibi agimus, teque beatum prædicamus ac suspicimus, atque hortamur, ut eumdem zelum præ te ferre pergas. Neque enim paris laudis est, rebus ex animi sententia fluentibus, integritatis specimen exhibere, et cum multi sint qui Ecclesias evertere conentur, non tamen decipi ac circumscribi, sed firmum manere, eos, qua decet, animi magnitudine aversantem. Neque enim parva, verum perquam ingens malorum medicina hæc est. Quod

[1] Scripta anno 404.

autem, pietate tua ad hunc modum se gerente, omnes domini mei reverendissimi et religiosissimi Palæstinæ episcopi vestigiis tuis hæsuri sint, minime tibi dubium esse credo. Illud enim mihi exploratissimum est fore, ut in præclaris hujusmodi factis, sicut corpus capiti adjunctum est, sic eos ipse cum charitatis tuæ suavitate connectas ac velut catenis astringas; quod quidem maximum quoque tuæ virtutis argumentum est.

EPISTOLA LXXXVIII[1].

Joanni episcopo Hierosolymitano.

Cucusum relegati sumus : nec tamen a vestra charitate semoti. Illud etenim in aliorum potestate situm erat : hoc autem in nostra. Quamobrem hic degentes, ac tanto intervallo dissiti, venerationi vestræ scribimus ; vosque hortamur, ut fortitudinem eam quam ab initio præstitistis, ab eorum nimirum cœtu qui Ecclesias tot tumultibus impleverunt, vos removentes, nunc quoque retineatis, paremque præludiis, imo etiam longe splendidiorem finem imponatis. Neque enim parva hinc vobis merces constituta erit, si eos qui tantam tempestatem invexerunt, universumque pene terrarum orbem tot scandalis impleverunt, ut par est, aversemini, nec quidquam cum illis commune habeatis. Hoc Ecclesiarum præsidium est, hoc murus, hoc coronæ vestræ atque præmia. Hæc igitur cum tibi perspecta sint, domine mi reverendissime ac religiosissime, da operam, ut Ecclesias hoc modo communias, amplissimam hinc mercedem expectans : nostrique, qui pietatem

[1] Scripta Cucusi anno 404.

tuam valde amamus, atque ex tua benevolentia pendemus, fac perpetuo memineris. Nam ipsis operibus didicimus, quantam erga nos charitatem præ te tuleris.

EPISTOLA LXXXIX[1].

Theodosio Scythopolis episcopo.

Nos quidem, si loci ratio habeatur, procul a vobis distamus: si autem charitatis, prope sumus, atque animo ipso constringimur. Nam ea amoris natura est, ut nec loco prohibeatur, nec viæ longinquitate coerceatur, verum per universum terrarum orbem facile provolet, atque cum iis, qui amantur, consuetudinem habeat. Quod etiam nunc facimus, qui vos in animo circumferimus. Ac rogamus, ut quemadmodum ante hac vos ipsi vobis ornamentum, atque Ecclesiis præsidium attulistis, sic etiam nunc faciatis: eosque qui tot tumultus in terrarum orbem injecerunt, atque Ecclesias perturbarunt, ea quam muneris vestri ratio postulat, animi magnitudine aversemini. Hoc enim depellendæ tempestatis initium est, hoc Ecclesiarum securitas, hoc malorum medicina, cum nimirum vos qui sani estis, eorum qui hujusmodi scelera perpetrant, aspectum defugitis, nihilque cum eis commercii habetis. Quæ cum ita sint, rei hujusce mercedem, et coronas ob eam causam constitutas, animo et cogitatione complectens, ad hoc ipsum, quæso, eam, quam par est, animi magnitudinem præsta: nostrique, qui te amamus, meminisse ne intermittas. Quod si feceris, rem nobis gratissimam feceris.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA XC[1].

Moysi episcopo.

Etsi, ut eam, quam convenit, animi magnitudinem præstes, eosque qui tot malis Ecclesias affecerunt, ac terrarum orbem tumultibus impleverunt, averseris, te litteris nostris indigere minime existimo; nam id rebus ipsis declarasti: tamen quoniam te quam sæpissime, et quavis oblata occasione, salutare, antiquissimo mihi studio est, nunc quoque idem a te peto, ut ad eorum cœtus fugiendos, eam, quam par est, animi fortitudinem adhibeas, aliosque etiam ad hoc ipsum cohorteris. Neque enim hinc parva vobis merces constituta erit, si eos qui tantam tempestatem excitarunt, atque innumeris scandalis totum orbem impleverunt, quemadmodum decet, averseris. Nam hac ratione res vel maxime sanabuntur. Nostri etiam, qui te carissimum habemus, perpetuo memineris velim. Scis enim quo animo erga te hactenus fuerimus, et semper simus.

EPISTOLA XCI[2].

Romano presbytero.

Id quoque tuum est, magnique tui et sublimis ac philosophici animi, ne in tanta quidem tempestate nostræ chari-

[1] Scripta anno 404. — [2] Cucuso anno 404.

tatis oblivisci, verum firmum atque immotum permanere, amoremque erga nos tuum vigentem retinere. Nam hoc ex iis quoque qui istinc veniunt, aperte cognovimus, ac prius etiam, quam id ab aliis acciperem, exploratum habebam. Notam enim habeo animi tui firmitatem atque constantiam, fixamque et immotam tuam sententiam. Eoque etiam nomine ingentes pietati tuæ gratias habeo: teque oro, ac summi beneficii loco id abs te peto, ut cum licuerit ad nos scribas. Scis enim quanta, etiam in aliena regione degentes, consolatione afficiamur, cum litteras quæ nos de tua valetudine certiores faciant accipimus. Te quippe integra atque incolumi valetudine esse vehementer cupimus: quandoquidem sanitas quoque tua multis subsidium et portus ac bacillum est, atque innumerorum successuum materia.

EPISTOLA XCIII[1].

Moysi presbytero.

Laudum earum, quas nobis litteris tuis tribuis, magnitudo tenuitatem nostram longe superat. Quamobrem his omissis, velim, tum pro publicis Ecclesiarum commodis, tum pro me vili homunculo preces ad Deum adhibere ne desinas, ejusque benignitatem implorare atque obtestari, ut ea mala quæ orbem terrarum invaserunt, depellat. Nam præsentia negotia preces duntaxat requirunt, ac tuas præsertim, qui magnam apud Deum fiduciam es consecutus. Quamobrem obnixe istud ac prolixe facere ne intermittas: nobisque etiam, quoties facultas dabitur;

[1] Ab anno 404 ad 407.

neque enim magna itineris longitudo est; quam sæpissime scribere ne graveris. Siquidem de tua valetudine magnopere aliquid scire cupimus: quandoquidem valetudo tua multos fulcit, et consolatur. Nam vita tua semper necessaria est, nunc vero maxime in tanta tempestate et caligine, ut puri sideris instar splendens iis, qui tempestate ac fluctibus jactantur, præluceas. Quamobrem, ut nos quoque læto atque alacri animo simus, crebras ad nos de tua valetudine litteras mitte: nec enim parvam hinc consolationem capiemus, si id de vobis quam sæpissime discamus.

EPISTOLA XCIII[1].

Aphthonio, Theodoto, Chæreæ, presbyteris et monachis universoque vestro sodalitio.

Apud eos qui amant, corporea eorum quos amant præsentia plus ad levandum dolorem momenti habet. Nam et beatus Paulus qui subinde, vel perpetuo potius, universum fidelium orbem animo circumferebat, ac ne inter vincula quidem et compedes et in defensione eos deponere sustinebat, id quod indicans dicebat; « Eo quod habeam » vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione et in » confirmatione Evangelii[2]: » corporis quoque præsentiam cupidissime requirebat, his verbis utens: « Nos vero ab» sentes facti a vobis ad horæ tempus, aspectu, non corde, » abundantius studuimus faciem vestram videre[3]. » Quod etiam nobis nunc usu venit, qui tum eorum qui jam nos viderunt, tum eorum quibus nondum de facie noti sumus,

[1] Cucuso anno 405. — [2] Philip. I, 7. — [3] I Thess. II, 17.

præsentiam avide requirimus. Quoniam autem id nunc minime licet: nam et viæ longitudo, et tempus, et prædonum metus impedimento sunt, ac præterea ne nobis quidem domo excedere, ac longas peregrinationes inire facile est, quod secundum est, debitam vobis salutationem persolvimus: atque ante ipsam etiam vos rogamus et obsecramus, atque a vobis amplissimi beneficii loco petimus, ut in vestris precibus perpetuo nostri memores sitis, obnixeque, et cum lacrymis, ad benigni Dei pedes vilitatis nostræ causa vos ipsos provolvatis. Nam cum negotiorum hujus vitæ euripum effugeritis, fumoque ac tempestate malorum eorum quæ in medio versantur, liberati sitis, animasque vestras in præclarissimum hujusce philosophiæ littus, non secus atque in tranquillum quemdam fluctibusque vacuum portum appuleritis, noctesque per sacras excubias in dies mutaveritis, in iisque splendidius, quam alii interdiu, cernatis, æquum sane fuerit vos precum vestrarum auxilium nobis impertire. Nobis enim etiam e tanto intervallo his frui licet: nec locus ullus est, aut tempus ullum, quod hujusmodi opem interrumpere queat. Quamobrem suppetias nobis ferte, ac per vestras preces manum porrigite. Nam hoc maximum charitatis genus est. Ac præter orationes, de vestra quoque valetudine certiores nos facere ne gravemini, quo hinc quoque maxima consolatione afficiamur, quamdam ex vestra charitate voluptatem capientes, absentes que vos, non secus ac præsentes, ob oculos nostros proponentes: siquidem ea sinceri amoris vis est, ut etiam hujus modi simulacra pingat. Ita fiet, ut etiam si in solitudine longe hac acerbiore nobis versari contingat, magnam tamen consolationem capiamus.

EPISTOLA XCIV[1].

Pentadiæ diaconissæ.

Quanquam mihi tua erga me charitas antehac jam explorata erat, quippe qui re ipsa ejus documentum cepissem: tamen eam apertius ex tuis ad me litteris cognovi. Ac propterea summopere te laudo atque admiror, non eo duntaxat nomine, quod ad me scripseris, sed etiam quod ea omnia quæ contigerunt, exposueris. Hoc enim fœminæ est, et de meo erga se animo minime dubitantis, et de rerum mearum statu laborantis. Proinde gaudeo et exulto, maximamque, etiam in tam deserto loco degens, consolationem mihi positam esse duco in ea quam in omnibus rebus adhibes, fortitudine, constanti sententia, ingenti prudentia, linguæ libertate, ac sublimi fiducia, per quam et adversarios ignominia perfudisti et mortiferam diabolo plagam inflixisti, et eos qui pro veritate decertabant ad dimicandum acuisti, ac fortissimi militis instar præclarum in bello tropæum erexisti, luculentamque victoriam adepta es; meque etiam tanta voluptate complevisti, ut ne in aliena quidem et peregrina regione, nec in solitudine, verum istic vobiscum me esse existimem, summamque ex animi tui virtute voluptatem capiam. Quamobrem gaude et lætare, quod hujusmodi victoriam assecuta sis, atque hujusmodi belluarum ora facili negotio compresseris, impudentesque eorum linguas et rabida ora obstruxeris. Veritas enim, cum qua pugnasti, et pro qua jugulata es, hanc vim habet, ut paucis sæpe verbis de sycophantis

[1] Anno 404 vel 405.

triumphet : ut e contrario mendacium, etiamsi infinitis sermonum artificiis obvolvatur, facile tamen diffluit et collabitur, araneæque telam imbecillitate superat. Gaude igitur et lætare : neque enim hæc verba subinde repetere desinam; viriliter age et confortare, omnesque ab ipsis tibi comparatas insidias irride. Nam quo atrocius sæviunt, eo profundiores plagas sibi ipsis inferunt, in eaque causa sunt, ut, cum ne te tantulum quidem lædant, quemadmodum nec fluctus rupem ; se ipsos infringant, imbecillioresque reddant, atque horribilia sibi ipsis supplicia coacervent. Quæ cum ita sint, cave quidquam eorum, quæ minantur, pertimescas, quamlibet dentibus strideant, quamlibet iracundiæ temulentia æstuent, quamlibet truculentum quemdam vultum præ se ferant, ac præ improbitate in ferarum immanitatem proruerint. Nam qui te ex multis et variis eorum insidiis ad hunc usque diem eripuit, idem te posthac, si fortem animum præstiteris, in majore securitate constituet : ipsaque etiam dictura es : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ » eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum[1]. » Quod quidem et jam contigit, et rursum continget : adeo ut, et tu majorem mercedem referas, illustrioresque coronas accipias, et illi morbo pœnitentiæ expertæ laborantes majori supplicio addicantur. Ecquod enim insidiarum genus prætermiserunt? ecquod machinarum genus non moverunt, dum solidæ tuæ, ac Deo fideli, generosæque et fortissimæ animæ insidias struere conantur? in forum te, quæ præter Ecclesiam et cubiculum nihil noras, pertraxerunt, a foro ad tribunalia, a tribunalibus ad carcerem. Falsorum testium linguas acuerunt, impudentem calumniam concinnarunt, cædes perpetrarunt, cruoris torrentes profuderunt, igni ac ferro juvenum corpora con-

[1] Psal. LXIII, 8.

sumpserunt, multis ac præclaris viris innumeras plagas et cruciatus intulerunt, nullum denique lapidem non moverunt, quo te metu perterritam huc adigerent, ut iis, quæ videras, contraria diceres. At tu instar aquæ sublime volantis, eorum retibus fractis ad libertatis fastigium virtuti tuæ consentaneum ascendisti : sic te comparans, ut ab ipsis minime circumscribereris, imo etiam, quantum ad hujus incendii crimen attinebat, cujus nomine miseri atque infelices homines præsertim gloriari videbantur, eos calumniæ convinceres. Quæ igitur præterierunt tecum reputans; nempe quot fluctus orti sint, qui tamen tempestatem tibi non invexerunt; quot procellæ, quæ tamen naufragium minime pepererunt, ita ut furente mari tranquilla navigaveris; portum etiam una cum plurimis coronis propediem expecta. Quoniam autem de nobis quoque aliquid audire cupis, vivimus, valemus, morbo omni liberati sumus. Quod si etiam ægrotamus, idoneum nobis ad recuperandam sanitatem remedium est sincera et fervens, ac firma et constans tua erga me charitas. Quoniam igitur non vulgari voluptate afficimur, cum de tua valetudine ac plena securitate quam sæpissime aliquid audimus, te, id quod etiam non rogata facere soles, rogamus, ut de tua, domesticorumque tuorum omnium ac necessariorum valetudine sæpius ad nos scribas: non enim ignoras, quanta tui, totiusque tuæ benedictæ domus cura teneamur.

EPISTOLA XCV.

Pæanio.

Gravia sunt ea quæ contigerunt: at non ob eos qui passi sunt, fortiterque in acie steterunt, verum ob eos qui ea perpetrarunt, lugendum est. Quemadmodum enim quæ difficilius enecantur, feræ, magno cum furore in hastarum cuspides irruentes, in intima viscera gladios protrudunt: eodem modo ii quoque qui hæc scelera designare non dubitant, gravem et acerbum gehennæ ignem adversus capita sua colligunt. Quod si etiam ob ea quæ faciunt, gloriantur, hoc ipso nomine potissimum miseri sunt, pluribusque lacrymis digni, quod hac quoque ratione graviores sibi ipsis pœnas accersant. Quamobrem hos perpetuo fletu prosequi par est: iis contra qui ab ipsis adeo crudeliter mactantur, ob præmia coronasque in cœlis reconditas gratulari convenit, atque hoc maximum et luculentissimum lethalis plagæ diabolo inflictæ argumentum existimare. Nam nisi ille lethale vulnus accepisset, haudquaquam per eos qui ipsi obtemperant, tantos flatus edidisset. Hæc igitur omnia tecum reputans, domine mi summopere admirande, maximam hinc consolationem cape, deque tua valetudine quam sæpissime ad nos scribe. Etenim te quidem cernere, atque istud nobis carum caput complecti cupimus: quoniam autem id minime licet, te oro atque obsecro, ut et ipse de tua valetudine nos crebro certiores facias, et iis qui valde nos amant, magnam ad eamdem rem facultatem afferas.

EPISTOLA XCVI [1].

Ampruclæ diaconissæ atque illis quæ cum ipsa sunt.

Fluctus rupibus illisi, eas quidem nec tantillum commovere possunt: ipsi autem sese potius ob vehementem impetum frangunt ac de medio tollunt. Quod etiam nunc in vobis, et in iis qui vobis insidias frustra moliuntur, perspici potest. Etenim hinc vobis et major apud deum fiducia, et major apud homines gloria comparatur: illis contra condemnatio et ignominia et probrum. Quandoquidem ea quoque virtutis et improbitatis natura est, ut illa tum magis floreat, cum bello vexatur: hæc contra, etiam cum bellum infert, imbecillior reddatur, atque hac maxime ratione opprimatur. Cum igitur ex iis quæ fiunt ingentem consolationis ansam habeatis, gaudete ac lætamini, fortiterque agite. Neque enim vos fugit, quibusnam propositis præmiis ad tam grave certamen vos accinxistis, et quænam vos, si ea quæ accidunt fortiter et cum gratiarum actione tuleritis, bona maneant, ea scilicet, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Atque molestiæ quidem illæ fluunt, ac simul cum præsenti vita extinguuntur: præmia vero ea quæ hinc comparantur, a morte aliena sunt. Quin etiam ante ea præmia, non parvam hinc quoque voluptatem percipitis, quippe quas bonæ conscientiæ spes, ac coronarum illarum expectatio pascat. Hæc porro tibi ante litteras nostras nota esse, non me fugit: verum, ut longiorem epistolam efficerem, cohortationem produxi. Illud enim plane scio, te ingenti quodam litterarum nos-

[1] Cucuso anno 404.

trarum desiderio teneri; idque causæ esse puto, cur nobis eo nomine crebro succenseas, quod minus sæpe ad te scripserimus. Neque enim cupiditatem tuam explere possumus, quamvis etiam quotidie litteras demus: quia ex epistolis nostris pendere videris. Deus tibi tum in hac vita, tum in futuro ævo hujusce erga nos charitatis mercedem rependat. Nos quidem certe, quoties quibus demus occurrunt, ad te scribere minime intermittimus: ac sane nos ipsos summo beneficio afficimus, cum id facimus, teque quam creberrime per litteras salutamus. Siquidem charitatem eam, quam nobis primum injecisti, perpetuo vigentem retinemus; ut etiamsi nobis diutius adhuc a vobis abesse contingat, ne sic quidem tamen ipsa imbecillior effici queat. Etenim ubique vos animo circumferimus, mentis vestræ constantiam ingentemque fortitudinem ad stuporem usque mirantes. Quamobrem ipsa crebro ad nos de tua domesticorumque tuorum omnium valetudine, scribe, quo hinc quoque magnam consolationem capiamus.

EPISTOLA XCVII[1].

Hypatio presbytero.

Nosti, domine mi reverendissime, quantam vobis calamitates eæ, quæ Dei causa subeuntur, mercedem, quantaque præmia et quantas coronas ferant: quamobrem nihil eorum quæ fiunt te conturbet, siquidem eos demum, qui scelerate aliquid faciunt, lugere convenit. Nam ii certe sunt qui sexcentas adversus caput suum pœnas congerunt.

[1] Cucuso anno 405.

Tu igitur, ut te dignum est, eam quam convenit, fortitudinem præsta: atque illorum technas et insidias facilius, quam araneæ telam discerpe: deque tua valetudine quam sæpissime ad nos scribe. Magna enim, in aliena licet regione degentes ac commorantes, consolationem capiemus, si hujusmodi abs te litteras accipiamus.

EPISTOLA XCVIII[1].

Chalcidiæ.

Non vulgari dolore affecti sumus, cum te tam gravi morbo teneri accepimus. Scis enim, ornatissima mea ac religiosissima domina, quanto valetudinis tuæ studio teneamur. Quamobrem ne cura et sollicitudine cruciemur, per quemdam, qui primus istinc huc veniat, hoc ipsum ut sciamus velim cures, hoc est num prorsus morbus sublatus sit, ac tu integræ sanitati restituta sis. Nec enim exiguam, etiam in tam deserto loco positi, voluptatem capimus, cum de tua, hoc est fœminæ nos amantis, valetudine animique hilaritate aliquid audimus. Cum igitur, quantam a nobis, epistolam hujusmodi mittens, gratiam ineas, tibi sit exploratum, abjecta omni mora et cunctatione velim confestim operam des, ut quemadmodum nunc nuntiato tuo morbo, ingenti mœstitia nos perturbasti: sic rursum nuntiata sanitate, ingenti nos voluptate compleas.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA XCIX[1].

Asyncritiæ.

Nihil quidem est quod malim, quam crebro ad vos scribere. Neque enim benevolentiæ vestræ, et honoris ac reverentiæ, quam semper nobis præstitistis, quemcumque in locum proficiscamur, oblivisci possumus : verum memoriam vestri perpetuam tenemus, eamque recentem semper ac florentem ubique circumferimus. Quod si non quoties voluimus, sed raro ad vos litteras dedimus, hoc non negligentia nostra, sed rerum necessitate factum est, et quia viatoribus clausum iter nunc sit. Hæc igitur cum tibi, ornatissima mea et nobilissima domina, perspecta sint, sive scribamus, sive sileamus, de ea benevolentia, quam semper vobis præstitimus, eodem modo existimes velim.

EPISTOLA C[2].

Marciano et Marcellino.

Eadem nobis perdiuturni silentii nostri causa est, quæ etiam vobis : verum hujusmodi silentii, quod non in animo, sed in lingua positum sit. Nam animo ac voluntate nobilissimas ac suavissimas animas vestras crebro, imo perpetuo salutamus, vosque in pectore nostro insculptos

[1] Cucuso anno ut putatur anno 405. — [2] Id. 404.

passim circumferimus. Nam ea veri ac sinceri amoris natura est. Hæc igitur cum vobis explorata sint, domini mei carissimi ac reverendissimi, scribite quidem, quoties facultas dabitur, ac de vestra valetudine certiores nos facite. Illud autem vobis persuadete, nos, etiamsi taceatis, idem tamen de vestra charitate judicium habituros esse, quod habebimus, si scribatis : ab animo scilicet vestro hæc perpendentes.

EPISTOLA CI[1].

Severo presbytero.

Nos, etsi desertissimum locum incolentes, sæpe tamen ad te scripsimus, eosque qui istinc veniunt, de tua valetudine sciscitari minime desinimus. Tibi vero quid causæ sit nescio, quamobrem cum tam insano nostri amore flagres, atque perfacile nancisci possis, quibus litteras des, perdiuturno tamen tempore sileas. At cum nos benevolentiæ illius, quam erga nos semper præ te tulisti, fervorem ac sinceritatem animo complectimur, etiam in longo silentio permagnam consolationem capimus. Cæterum litteris quoque tuis persæpe frui cupimus, quibus de tua valetudine certiores fiamus : eaque, quæ aliorum sermone accipimus, ex tua lingua, tuaque manu audire studemus. Quamobrem, domine mi reverendissime, nunc saltem hoc facias, quæso : scis enim quam nobis hac in re gratum facturus sis. Nam quod ad nos attinet, sive scribamus, sive taceamus, nunquam tui meminisse desinimus,

[1] Ab anno 404 ad 407.

eamque charitatem, cujus tibi specimen præbuimus, quocumque in loco simus, conservare. Id enim cum facimus, de nobis etiam ipsimet quam optime meremur.

EPISTOLA CII[1].

Theodoto lectori.

Quid ais? Plures in te nunc quam expectabas, fluctus excitati sunt, ob idque discruciaris? Imovero ideo gaudere et exultare convenit. Nam etiam beatus Paulus ad hunc modum faciebat, nunc quidem his verbis utens: « Non solum autem, sed etiam gloriamur in tribulationi- » bus[2]: » nunc autem his, « Gaudeo in passionibus meis[3]. » Nam quo major et atrocior tempestas fuerit, eo quoque major quæstus erit, et illustriores patientiæ coronæ, præmiaque ampliora. Siquidem ipse quoque de te bono animo sum, ut qui animi tui firmitatem atque constantiam exploratam habeam: at eorum causa, qui tibi insidias struunt, doleo et collacrymo, nimirum quod ii hostilem in te animum gerant, a quibus te coli oportebat. Unum est quod mœrore me afficit, nempe oculorum tuorum invaletudo, quorum velim summam rationem habeas, medicosque consulas, atque ea quæ muneris tui sunt, simul præstes. Nam de iis calamitatibus quæ tibi inferuntur, tum te, ut prius jam dixi, gaudere cupio, tum tibi ipse gratulor. Scio enim quantus hinc tibi patientiæ fructus oriantur. Quamobrem da operam, ne quid ex iis quæ accidunt, te commoveat ac perturbet. Una enim duntaxat res molesta est, nimirum peccatum. Nam cæ-

[1] Anno forte 406. — [2] Rom. v, 3. — [3] Coloss. I, 24.

tera omnia, si modo vigilantem ac sobrium animum præbeas, lucri quoque amplissimam materiam suppeditabunt, atque arcana illa bona, quæ in cœlis recondita sunt, copiosissime tibi accersent. Ideo cum in ejusmodi quæstu quotidie verseris, gaude ac lætare : atque ad nos sæpe scribere ne graveris. Certe nobiscum esse te cupimus, quia tamen non hiems duntaxat, sed etiam æstas æque tibi gravis ac molesta est, illud veriti sumus, ne te, ob oculorum præsertim morbum, in aeris intemperiem conjiceremus. Quæ cum ita sint, ad eorum curam velim operam omnem adhibeas : de eoque, cum facultas erit, crebro ad nos scribas, atque num meliuscule sese habeant, significes, quo, licet alioqui tanto abs te locorum intervallo dissiti, magnam tamen hinc voluptatem capiamus.

EPISTOLA CIII[1].

Ampruclæ diaconissæ ipsiusque comitibus.

Etsi longo itineris intervallo a vobis disjunctus sum : tamen præclara et fortia vestra facinora, non minus quam qui adsunt, cognita et explorata habeo : vehementerque vobis de hac fortitudine, patientia, constantia, atque adamantina quadam animi firmitate, loquendique libertate ac fiducia gratulor. Eoque nomine beatas vos prædicare non desino, tum ob præsentia, tum ob ea bona quæ vos in futuro ævo exceptura sunt, arcana illa, et omnem mentis captum ac sermonis facultatem excedentia. Magno autem nos, qui tam longe a te sejuncti sumus, mœrore affecisti, quod ne scribere quidem ad nos dignata sis.

[1] Cucuso anno 404.

Quanquam illud scio, istud negligentia tua minime contigisse; nam sive scribas, sive taceas, ardentem et sinceram fucique expertem, ac firmam et solidam tuam erga me charitatem novi; verum quod, cui dictares, nemo tibi præsto esset. Quanquam sic quoque patria lingua scribendum fuit, ac tua manu. Magnopere enim, ut ipsa quoque nosti, crebras a te litteras accipere studemus: quo de tua valetudine quotidie certiores fiamus. Hincque, tam vastæ hujusce solitudinis, ac rerum adversarum, cum quibus hic luctamur, haud exiguam consolationem capimus. Cum igitur, reverendissima et religiosissima domina, quanta rei hujusce cupiditate tenear, minime te fugiat, hanc nobis gratiam impertire, quæso, ne intermittas. Siquidem multi istinc variis e locis ad nos venerunt. Verum ea de causa minime tecum expostulo, quod litteras abs te nobis non attulerunt: virisimile enim est eos tibi ignotos esse. Nunc autem, cum summa facultas datur, scribas velim: ac præsertim cum res hujusmodi istic contigissent, litteras abs te accipere in primis expetebam. Cura igitur ut quod antehac abs te per incuriam prætermissum est sarcias, pristinique silentii diuturnitatem litterarum frequentia et assiduitate compenses.

EPISTOLA CIV[1].

Pentadiæ diaconissæ.

Coronarum nomine, quas tibi conciliasti, beatam te duco; ac nunc quoque, cum per animi magnitudinem quidvis pro veritate perferre in animum induxeris. Merito

[1] Anno 404 vel 405.

proinde Deum habes, qui tuas partes acerrime tueatur. Usque ad mortem enim, inquit Scriptura, pro veritate certa : et Dominus pugnabit pro te. Quod etiam evenit. Nam cum eo usque præclarum hoc certamen obieris, multa divinitus præmia retulisti : ideo magna voluptate afficior. Quia autem intellexi te de discessu cogitare, atque istinc migrare velle accepi, peto abs te, ne quidquam hujusmodi cogites, aut in animo habeas. Primum ob hoc ipsum, quod civibus tuis subsidium es, amplissimusque portus, et adminiculum, ac tutus murus iis qui laboribus et ærumnis conficiuntur. Quare noli committere, ut tantum quæstum de manibus ejicias; noli, inquam, committere, ut tantum lucrum abjicias, cum tantos quotidie thesauros ex tua præsentia colligas. Nam qui præclara tua facinora cernunt, vel audiunt, non parum hinc lucri consequuntur. Scis porro quantam istud mercedem tibi conciliet. Primum itaque, ut dixi, hac de causa te rogo istic maneas, neque enim exiguum utilitatis illius, quam istic permanendo attulisti, documentum abs te datum est. Deinde, ne anni quidem tempus hoc te facere patitur. Neque enim, qua corporis imbecillitate sis, ignoras, neque tibi facile esse in tanta vi frigoris atque hiemis pedem movere. Huc accedit quod, ut rumor est, Isaurorum res nunc vigent. Hæc itaque omnia, ut prudens mulier tecum reputans, ne, quæso, hoc tempore ullo pacto pedem istinc movere sustineas : deque hac re velim nos quam primum certiores facias, ac de tua valetudine sæpe scribas. Nam nunc quoque nos nullas abs te litteras accepisse moleste tulimus : ac, ne forte morbus hoc impediverit, laboramus. Ut hanc igitur sollicitudinem nobis eximas, cito ad nos litteras, quæ hæc indicent, mitte.

EPISTOLA CV[1].

Chalcidiæ.

Deus tibi pro tua erga nos reverentia, honore, ac sincera charitate, tum hic, tum in futuro ævo mercedem pendat. Nec enim nunc duntaxat, sed primum etiam atque ab initio, quo erga nos animo ac studio fueris, perspectum habeo. Ac propterea quamvis longo itineris spatio abs te dissitus sim, atque hic, tum ob hujus loci solitudinem, tum ob perpetua pericula, crebrosque prædonum impetus, tum ob medicorum penuriam, in multis calamitatibus verser; nihil tamen horum omnium impedit, quominus tuæ suavitatis perpetuo recorder: quin potius eam charitatem, quam a principio tum erga te, tum erga tuam domum habui, vigentem retineo: neque eam vel ob temporis diuturnitatem, vel ob itineris longinquitatem consenescere patiar. Nam ea demum sinceræ charitatis natura est. Te vero pro tua prudentia et pietate oro atque obsecro, ut ea omnia quæ accidunt, strenuo animo feras. Scis enim te ab ineunte ætate usque ad hoc tempus per varias atque omnis fere generis tentationes incessisse; atque patientiæ certamen facili negotio obire potes, quemadmodum etiam sæpe obiisti, et illustres inde coronas tibi ipsi in futurum condidisti. Quod si hæc tentatio superiores excedit, at etiam corona præstantior futura est. Quæ cum ita sint, nihil ex iis acerbitatibus quæ tibi inferuntur, te perturbet: verum quo magis fluctus crescunt, tempestasque magis ingravescit, eo etiam majorem quæs-

[1] Scripta anno ut putatur 406.

tum, ac præmia sudoribus longe copiosiora et ampliora et luculentiora expecta. Neque enim « Condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis[1]. » Viæ enim instar sunt præsentes hujus vitæ jucunditates, et molestiæ, ambæque eodem modo effluunt, nec quidquam in iis certum ac stabile est, verum * umbræ naturam imitantur, ut quæ simul atque sese ostenderint, statim prætereant. Quemadmodum igitur viatores, sive per prata, sive per salebrosa et abrupta loca iter faciant, nec ullam illinc voluptatem percipiunt, nec ullam hinc mœstitiam sentiunt; viatores enim sunt, non cives, utraque prætereuntes, atque ad patriam suam contendentes; eodem modo te rogo atque obsecro, ut nec præsentis vitæ jucunditatibus inhies, nec rursum molestarum rerum pondere deprimaris, verum hoc unum spectes, quonam pacto ad communem patriam nostram cum ingenti fiducia pervenias. Quandoquidem hoc demum fixum et constans atque immortale bonum est: cætera autem omnia, flos fœni et fumus, et si quid his vilius fingi potest.

EPISTOLA CVI [2].

Asyncritiæ ipsiusque sodalibus.

Qua erga nos charitate ac benevolentia sitis, mihi exploratum est. Ac litteras quidem assidue ad vos dare cuperem: verum Isaurorum metus viis omnibus interclusis non me nancisci sinit, qui ad eam rem nobis administram operam præbeant. Quoties autem nancisci possumus, de-

[1] Rom VIII, 18. — [2] Scripta Cucusi anno 404.

bitam vobis salutationem pendimus, vos pro nostro more admonentes, ne ob crebras has et continuas tentationes animi vestri commoveantur ac perturbentur. Nam cum mercatores et nautæ exiguarum mercium causa tam longa maria trajiciant, ac tot fluctus intrepido animo adeant, militesque exigui stipendii causa vitam ipsam pro nihilo ducant, ac dum lucis hujus usura fruuntur, persæpe et fame conflictentur, et magnis itineribus vexentur, perpe tuoque in exteris regionibus degant, post etiam nullum hinc vel exiguum vel magnum fructum consecuti, magna ex parte præmaturam ac violentam mortem oppetant : cum cœleste præmium proponitur, ac post mortem major multoque sublimior remuneratio; quam tandem veniam obtinebunt, qui mollitie atque ignavia torpent, ac non ipsam quoque vitam contemnunt ac pro nihilo putant? Hæc igitur omnia tecum considerans, illudque item, res præsentes nihil a fumo et insomniis differre, florentemque hominum statum vernis foliis, quæ simul atque oriuntur statim exarescunt, nihilo præstantiorem esse, da operam, ut omnibus hujusmodi telis superiorem te præbeas. Licet enim, si modo velis, ipsam quoque vitæ pompam contemnere ac proculcare. Unum id specta, quonam pacto magno cum studio ac diligentia viam arctam quæ ad cœlum vehit, conficere queas.

EPISTOLA CVII[1].

Casto, Valerio, Diophanto, et Cyriaco presbyteris.

Quod auro, cum igni sæpe probatur, accidit, hoc etiam

[1] Cucuso anno 405.

aureis animis a tentationibus evenire solet. Ut enim flammæ natura materiam illam, cum quamdiu artis lex permittit, cum ea versatur, longe splendidiorem ac puriorem reddit : eodem modo frequentium tentationum fornax homines eos, qui mente ad auri similitudinem accedunt, auro quovis splendidiores ac longe præstantiores efficit. Ob eamque causam, quamvis tam longe a vobis sejuncti simus, vos tamen beatos prædicare nunquam desinimus. Scitis enim, scitis, inquam, perspicue, quantum hujusmodi insidiarum lucrum sit, atque hujus vitæ prosperitatem nudum duntaxat et inane vocabulum ac re vacuum esse, futura autem bona, firma, stabilia, certa, immortalia. Nec vero hoc duntaxat admirandi virtus habet, quod hæc nobis præmia conciliat, verum etiam quod ante præmiorum tempus ipsius certamina præmiorum rationem habent, atque ipsa non modo soluto theatro victoribus palmam affert, sed etiam in media arena præclaras athletis coronas nectit. At proinde Paulus quoque non ob calamitatum præmia duntaxat gaudet ac lætatur, verum etiam ob ipsas quoque calamitates gloriatur, his verbis utens : «Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus[1].» Ac deinde præmiorum eorum, quæ ex calamitate ortum trahunt, seriem enumerans, ait : Tribulatio patientiam parit, hanc, inquam, bonorum matrem, portum fluctibus vacuum, tranquillam vitam, rupe fortiorem, adamante firmiorem, quibusvis armis valentiorem, ac mœnibus tutiorem. Hæc autem omnibus numeris perfecta et absoluta alumnos suos probatos et generosos atque incredibilem quemdam in modum invictos reddit. Nullis enim molestiis, quæ subinde illis accidunt, ipsos perturbari ac dejici sinit : verum quemadmodum rupes, quo pluribus fluctibus verberatur, ipsa quidem purior efficitur, ac ne tantillum qui-

[1] Rom. v, 3.

dem emovetur, aquarum autem quæ ipsi alliduntur, tumorem nullo negotio dissipat ac delet, non jam percutiens, sed percussa : eodem scilicet modo is quoque qui patientia exploratus est, insidias omnes superat : quodque mirandum est, plus roboris hinc colligit, non inferendis, sed perpetiendis malis, eos qui inferunt mira facilitate frangens ac dissolvens. Hæc non eo scripsi, quod hac in re me magistro opus haberetis; mihi enim prudentia vestra explorata est, quippe quam rebus ipsis testatam feceritis. Nam quæ nos sermone nunc docuimus, hæc ipsi perferendis calamitatibus prædicastis. Quamobrem non quod me magistro opus haberetis, hæc scripsi, verum quoniam diuturno tempore siluistis, vel, ut rectius dicam, utrique diuturno silentio usi sumus, idcirco longiore hac epistola uti libuit. Porro cum ad tam fortes ac strenuos patientiæ pugiles scriberem, de qua tandem alia re verba facere oportebat, quam de his, ob quas tantopere clari ac celebres exstitistis? Ac ne hic quidem dimicationis fructus subsistit; verum longius progreditur ac scaturit. «Probatio» enim, inquit, «spem parit[1];» et quidem spem reipsa omnino eventuram, non autem huic humanæ similem, quæ sæpenumero postquam laboribus divexarit eos qui ipsi inhiant, laborum fructus eis reddere nequit; verum præter detrimentum, eos etiam in ignominiam et periculum conjicit. At hæc non ejusmodi est : quandoquidem nec ipsa humana est. Id quod uno verbo declarans Paulus, his verbis utebatur : «Spes autem non confundit[2].» Neque enim duntaxat eum qui hujusmodi certaminibus fungitur, detrimento ac pudore non afficit, verum etiam laboribus ac sudoribus longe ampliores opes et gloriam ipsi affert. Nam ea manus illius, quæ horum laborum mercedem præbet, natura est. Epistolæ modum forsan excessimus : at non apud vos, a

[1] Rom. v, 4. — [2] Ibid.

quibus tam impense amamur. Nam cum, non epistolarum, sed amicitiæ lege res hujusmodi ponderetis, minime sane mihi dubium est, quin exiguam quoque hanc epistolam existimaturi sitis. Sed quanquam brevis vobis esse videatur, hujus quoque tamen mercedem a vobis efflagitare minime desinam. Quam tandem? non ut a vobis amer : neque enim flagitatore ad eam rem vobis opus est, cum hoc sponte copiosissime semper et persolvatis et debeatis : nec item ut nobis rescribatis : illud enim mihi persuasissimum est, vos ne ad hoc quidem monitore opus habere. Quænam igitur hæc merces est? nimirum ut illud ex vobis intelligam, vos læto atque hilari animo esse, atque ex illatis vobis acerbitatibus non modo nulla mœstitia affici, verum insidias quæ vobis fiunt, majoris etiam voluptatis materiam afferre. Nam si epistolam hujusmodi nuntium ferentem acceperimus, ea nobis, et solitudinis, et famis et pestis, et Isauricorum bellorum, et morborum omnium, quibus omnibus malis nunc vexamur, solatium et remedium ac sanatio futura est. Cogitantes igitur, quantam a nobis gratiam inituri sitis, ad nos, quæso, scribite, et res ejusmodi scribite, quo tanto licet intervallo a vobis sejunctos ingenti lætitia perfundatis.

EPISTOLA CVIII[1].

Urbicio Episcopo.

Etsi consuetudinem tecum jamdiu minime habui, nihilo propterea segnior in amore factus sum. Ejusmodi enim veræ charitatis natura est, ut nec temporis diuturni-

[1] Cucuso anno 404.

tate languescat, nec rerum difficultatibus obscuretur, sed perpetuum florem ac vigorem retineat. Quamobrem nos quoque, quamvis multis incommodis premamur, ac nunc in extremam orbis solitudinem avecti simus, atque in perpetuo prædonum metu novoque obsidionis genere vivamus : circumsidetur enim quotidie Cucusus, omnibus nimirum viis a latronibus interclusis; nihil tamen horum efficere potuit, ut mea erga te officia minus constarent. Quin potius et scribimus ipsi, ac debitum salutationis munus tibi persolvimus, et te vicissim rogamus, ut nisi grave ac molestum est, ipse quoque ad nos scribas. Sic enim ingenti quoque voluptate afficiemur, cum a vobis, a quibus tam sincere amamur, litteras accipiemus, ac per eas præsentiam vestram nobis animo et cogitatione fingemus.

EPISTOLA CIX[1].

Rufino Episcopo.

Scio quam firma charitate sis. Quamvis enim exigua mihi tecum aliquando Antiochiæ consuetudo fuerit, reverendissime ac religiosissime mi domine, tamen ingens pietatis tuæ ac prudentiæ documentum cepi. Quo quidem ex tempore, tametsi longo, ardentem semper erga te charitatem retinui, ac perinde atque si heri duntaxat et nudiustertius te vidissem, ita præsentiam tuam imaginor. Proindeque et scribo, et te item rogo, ut nostri memoriam minime intermittas. In Cucusum, hoc est in locum totius nostri orbis desertissimum abducti sumus, ac singulis pene

[1] Cucuso anno 404.

diebus Isaurorum incursionibus obsidemur. Et tamen, tot licet incommodis laborantes, si de charitate vestra minime dubio animo simus, nosque sinceram vestram benevolentiam obtinere perspicue sciamus, non vulgarem in his quoque calamitatibus consolationem capiemus.

EPISTOLA CX[1].

Basso Episcopo.

Quid causæ est, quamobrem, cum tantam erga nos, et superiori tempore, et nuper Constantinopoli, charitatem præ te tuleris, tamen posteaquam nos tibi vicinos esse audiisti, ne litteras quidem ad nos dare dignatus es? An nescis quo erga pietatem tuam animo simus, et quibus amicitiæ vinculis tecum devincti? Equidem ipse spem habebam fore, ut et ipse huc venires, et nobis in tanta solitudine positis solatium adhiberes. Quid enim Cucuso desertius esse queat, quæ præter solitudinem, Isaurorum etiam incursionibus obsidetur? Quod si hoc tum propter latronum metum, tum propter viæ difficultatem, laboriosum tibi ac molestum esse videtur, saltem ad nos scribere, ac de tua valetudine certiores nos facere ne graveris; quo, licet in externa terra degentes, ingentem hinc consolationem capiamus.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CXI[1].

Anatolio episcopo Adanæ.

Cum ardentem tuum erga me amorem, idque de facie minime notum, ex multorum sermone accepissem, equidem tecum quoque congredi cuperem. Quoniam autem nulla spes affulget fore ut nobis id liceat, negatum congressum litterarum colloquio compenso, mihi amplissimum beneficium præbens. Quanquam enim Cucusus, quo nunc abducti sumus, desertissimus locus est, ac multorum periculorum plenus, perpetuaque latronum incursione circumsessus : nihil tamen horum est quod nobis tumultum ac perturbationem afferat, dum vestram benevolentiam obtineamus : verum etiamsi corpore disjuncti simus, arctissimis tamen animi vinculis vobiscum astricti, tranquillam ac bellis vacuam regionem vestram potius quam Cucusum, incolere nobis videmur, ut qui animo vobiscum semper versemur, atque ubicumque simus, mente et cogitatione vos circumferamus.

EPISTOLA CXII[2].

Theodoro episcopo (13).

Si fieri potuisset, ut ad te proficiscerer, coramque maxima cum voluptate charitate tua fruerer, fecissem id

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

quidem diligenter, magnaque cum celeritate: quoniam autem id nunc arbitrii nostri minime est, per litteras hoc ipsum præstamus. Quamvis enim ad ipsos quoque orbis terræ fines relegati simus: sinceræ tamen ac germanæ minimeque fucatæ charitatis tuæ, quam et jam pridem, atque ab initio, et nunc etiam ostendisti, memoriam abjicere minime possumus. Nec vero clam me est, reverendissime ac religiosissime domine, quot quantaque nostri causa, et dicere et facere studuisti. Quod si nihil hinc profectum est, at Deum tamen hujusce studii promptitudinisque animi debitorem habes, mercedemque perfectam ac numeris omnibus cumulatam. Ac nos etiam tuæ sanctitati gratiam habere, tuamque pietatem apud omnes prædicare minime desinimus: teque hortari atque obsecrare, ut eamdem charitatem perpetuo vigentem retineas. Neque enim, in hac licet solitudine affixi, vulgarem consolationem capimus, cum tantum in corde thesaurum, tantasque opes reconditas habemus, hoc est vigilantis ac generosi animi tui charitatem.

EPISTOLA CXIII[1].

Palladio episcopo.

Pro eo quidem statu, quo res nostræ sunt, consolatione nihil opus habemus. Siquidem ad consolationem nobis abunde est rerum quæ contigerunt, argumentum. At vero communem Ecclesiarum tempestatem, ac naufragium illud, quod terrarum orbem invasit, luctu lacrymisque prosequimur: vosque omnes obsecramus, ut precibus

[1] Ab anno 404 ad 407.

juvetis, quo hæc internecio tandem aliquando depellatur, cunctaque ad summam tranquillitatem redeant. Hoc, quæso, facere ne intermittatis. Nam cum in occulto delitescatis, spatium habetis cum mente contrita precibus inhærendi. Porro minime parvum hoc existimandum est, nimirum benigno Deo ad pedes accidere. Quare sine intermissione hæc facite: et quam sæpissime licuerit, ad nos litteras date. Nam etsi longo itineris intervallo a vobis semoti simus, nullum tamen diem prætermittimus, quin rerum vestrarum cura tangamur, eosque qui istinc veniunt, etiam si id raro contingat; interrogemus, curiosique sciscitemur. Ut igitur apertius omnia sciamus, hanc nobis, cum occasio se offeret, gratiam concedite, ut de vestra valetudine nos certiores faciatis, quo licet in solitudine degentes, ingenti solatio afficiamur.

EPISTOLA CXIV[1].

Elpidio episcopo[2].

Hoc quoque tuum est, hoc prudentis ac vigilantis naucleri, nempe ne in tantam quidem altitudinem assurgente tempestate, animum dejicere, verum constanter adhuc in cura et sollicitudine versari, ac pro virili parte omnia præstare, atque quoquo gentium per litteras cursitare, ac tum propinquos tum remotos inter se conciliare, excitare, acuere, unumquemque admonere, ne fluctibus ac procellis se abripi sinat, verum stet ac vigilet, etiam si alioqui innumeri alii fluctus his atrociores instent, ac etsi uno in loco positum, per consilia et cohortationes passim pervo-

[1] Cucuso anno 404. — [2] Hic Elpidius erat episc. Laodicenus.

lare. Nihil quippe nobis, licet tanto spatio dissitis, latet eorum quæ ad te spectant. Ideo pietatem tuam, vigilem animum, constantem sententiam, vigentemque in tanta senectute animi alacritatem, mirificis laudibus in cœlum ferimus: neque id mirum videri debet. Nam cum ea quæ proponuntur, corporis robur desiderant, impedimentum hic affert senectus: at cum animi sapientiam duntaxat requirunt, tum canities rebus præclare gerendis nihil officere consuevit, ut etiam nec offecit: nihil enim fuit, quod pietas tua non præstiterit. Quod autem, quem par est, fructum tantus hic labor tantæque vigiliæ allaturæ sint, minime dubitandum esse arbitror. Quoniam porro pro ingenti tua et ardenti charitate universi orbis et nostri curam suscipiendam duxisti, atque, ubinam degamus, scire aves, quidque agamus, et qui nobiscum consuetudinem habeant, idque non frustra, verum ut ipsis quoque gratias habeas; nos quidem pro tanta charitate apud eos omnes qui nobiscum versantur, te summis laudibus afficere, tibique gratias agere nunquam desinemus. Tu vero amplissima præmia, et laboribus majora a benigno Deo expecta, qui eos, qui boni aliquid efficere aut loqui studuerunt, præmiis longe antecellit. Ut autem aliunde quoque, hoc est rerum nostrarum statu cognito, habeas unde oblecteris, sic habeto, nos Cucusum quidem, hoc est in desertissimum locum relegatos esse, cæterum nullo solitudinis sensu affici; tanta scilicet quiete, tanta securitate fruimur; tantis omnium officiis gaudemus. Nam et morbi reliquiis precum tuarum ope atque auxilio depulsis, bene nunc valemus, et Isaurorum metu liberati sumus, atque in securitate versamur, ingentique otio nosmet oblectamus. Adsunt autem nobis reverendissimi presbyteri Constantius et Evethius, spesque est alios item brevi affuturos esse, quos scilicet hactenus vincula detinuerunt: nunc

autem omnes iisdem soluti sunt; nec dubito quin ad nos advolaturi sint. Tu vero, domine summe venerande ac religiosissime, pro nobis, quibus es carissimus, preces ad Deum fundere, atque quam sæpissime, si facultas detur, ad nos scribere, deque tua valetudine nos certiores facere ne intermitte. Nec enim te fugit, quantæ nobis curæ sit, singulis etiam diebus, si fieri possit, de ea aliquid audire. Reverendissimo ac religiosissimo domino meo presbytero Asyncritio, suavissimisque ipsius filiis, atque universo tuo clero, velim meo nomine multam salutem dicas.

EPISTOLA CXV[1].

Theophilo presbytero.

Hoc quoque tui candoris, gratique animi est, quod cum ab his, quibus a me commendatus fueras, nihil acceperis, tamen ex nostro studio animique promptitudine rem æstimans, omnia te accepisse existimes. At nos hoc minime satis esse ducemus: verum et cum domino meo Theodoro prætoriano, qui Cucusum nos avexit, multum de hac re sermonem habuimus: et cum ad multos scriberemus, hoc quoque ipsis per litteras mandavimus. Quamobrem sive fructus aliquis ex nostris litteris oriatur, sive litteræ duntaxat litteræ maneant, nec apud eos, a quibus accipiuntur, quidquam proficiant, cura, ut id quamprimum intelligam. Etenim in hoc quoque tuum erga nos amorem imprimis admiramur, teque item de nostro erga te amore minime dubitare, maximo argumento id esse ducimus, quod de his rebus ad nos verba facias. Quare sive quid

[1] Scripta postquam Cucusum advenerat anno 404.

hinc commodi promanet, sive nihil fructus proficiscatur, fac sciam: ut si quid profectum sit, iis gratias habeam qui de se ipsis bene meriti fuerint, sibi enim magis quam tibi, cum hoc faciunt, largiuntur; sin secus, compendiariam quamdam ac procliviorem viam et rationem excogitemus, qua consolationem omnino percipias, nec jam in ulla angustia deinceps verseris. Nam de nobis optime merebimur, cum generosæ atque ingenuæ animæ tuæ curam ita susceperimus. Velim ad nos quam sæpissime scribas: nosque de tua valetudine nominisque tui celebritate certiores facias.

EPISTOLA CXVI [1].

Valentino.

Quidnam hoc est? Siccine cum quantam ex tuis bonis voluptatem capiamus, quamque tuis laudibus et gloria exultemus, probe scires, cumque etiam ante omnia ex tuo officio esset, honoris illius, ad quem nunc evectus es, magnitudinem nobis per litteras significare, tu tamen, ut id prius ab aliis intelligeremus, sustinuisti, neque longa tibi ad eam rem purgatione opus esse putas, quod quantum quidem in te fuit, tanta lætitiæ magnitudine tandiu nos carere passus es? Nam vera quidem tua dignitas et maximum imperium animi virtus est: verum quoniam his quoque mundi honoribus ad illius utilitatem uti didicisti, quoque potentior evadis, eo etiam latior portus egentibus efficeris, ob eam causam nunc quoque gaudemus et exilimus, nec tamen silentii culpam tibi remittimus. Quanam

[1] Cucuso anno 404.

porro ratione belle nobis satisfacies? Nimirum si sæpe scribas, atque de tua totiusque tuæ domus valetudine nos frequenter certiores facias. Quoniam igitur rationem, qua te nobis purges, a nobis accepisti, jam quæ tuarum sunt partium adjunge. Nam si hac epistola accepta in silentio perstes, ingentis negligentiæ dicam tibi impingemus, ægreque id feremus. Nec vero dubito, quin acerbissimæ pœnæ loco id habiturus sis, nos hoc nomine in dolore versari : quandoquidem quam sincere atque ardenter nos ames, haud mihi ignotum est.

EPISTOLA CXVII [1].

Theodoræ.

Raro ad te idcirco scribo, quod quibus litteras dem haud facile nanciscar : at non item raro, sed perpetuo tui sum memor. Hoc enim in nostra potestate situm est : illud autem secus. Sed ut tui memoriam perpetuo colamus, in nostro arbitrio consistit, ut autem epistolæ ferantur, non item. Quocirca illud semper fit : hoc autem tum denique, cum facultas datur. Atque aliis quidem epistolis te tantummodo salutabamus, hac autem beneficium quoque postulamus. Quodnam porro hoc beneficium est? Nimirum quod plus tibi, qui dederis, quam mihi, qui accipiam, lucri afferat, dantique prius quam accipienti prosit. Etenim ad nos allatum est, Eustathium animum tuum offendisse, ac domo tua ejectum, atque ab oculis tuis submotum esse. Quonam autem modo se res habeat, et cur tanta in

[1] Cucuso, ut putatur, anno 404 vel 405.

cum iracundia usa sis, dicere nequeo: nam illud tantum scio. At vero quæ te a nobis, qui tuæ salutis studiosissimi sumus, audire convenit, hæc sunt. Non ignoras præsentem vitam nihil esse, verum flores vernos, atque imbecilles umbras imitari, nec aliud esse quam somniorum fallaciam: veras autem et fixas ac stabiles res esse ea, quæ nos post discessum ex hac vita exceptura sunt. Hæc et a nobis persæpe audiisti, et ipsa per te philosophari non desinis: ideo non longam scribo epistolam. Illud autem aio: Si inique ac per calumniam id a quibusdam actum est, ut eum ejiceres, juris natura te moveat, ut quod factum est, corrigas; si autem jure ac merito, humanitatis legibus adducta hoc idem effice: nam hinc quoque plus, quam ille, commodi feres. Quemadmodum enim is qui centum denarios a conservo exigebat, non tam eum læsit, quam sibi lethale vulnus inflixit, ut qui ob eam animi rigiditatem, quam in conservum exercuit, decem millium talentorum condonationem irritam reddiderit: eodem modo, qui proximi peccata præterit, hoc assequitur, ut mitius ab eo in futuro ævo rationes reposcantur: atque quo plura et graviora peccata remiserit, eo quoque majorem ipse veniam obtineat. Neque in hoc tantum discrimen positum est, sed in eo etiam, quod cum servile munus dederit, herile beneficium accipit. Quare ne mihi illud commemores, hoc et hoc ab eo perpetratum esse. Nam quo atrociora ea quæ commissa sunt, esse ostenderis, eo magis necessariam ignoscendi causam esse demonstrabis: quod hac ratione multo majorem humanitatis ac misericodiæ materiam in futurum tibi præconditura sis. Quamobrem iram, etiamsi alioqui justam, depelle, indignationem sapienter comprime: hoc Deo sacrificii loco offer. Nobis etiam, quibus cara es, hoc indulge: et quantam vel brevi epistola apud te auctoritatem habeamus ostende. Tibi

etiam ipsi magna hæc, quæ dixi, præbe, nempe ut motu ac perturbatione vaces, ut tumultum hinc orientem ex animo tuo ejicias, ut denique ob eam causam magna cum animi fiducia ingressum in regnum a benigno Deo postules. Benignitate quippe erga proximum ingentia scelera commodissime expiantur. « Si enim, inquit Christus, re» miseritis hominibus delicta sua, remittet et vobis pater » vester cœlestis[1]. » Hæc igitur omnia cum animo tuo considerans, ad nos epistolam mitte, quæ litteras nostras aliquid profecisse significet. Nam quod officii nostri ratio postulabat, absolvimus, idque quod in nostro arbitrio situm erat, fecimus; monuimus, rogavimus, gratiam petiimus, quæ oportebat suasimus. Tua jam causa prorsus laboramus. Nam nos quidem, sive nostra hæc cohortatio aliquid effecerit, sive nihil utilitatis attulerit, merces manet : licet enim etiam verborum mercedem referre. Nunc autem omnis noster labor eo spectat, ut per rem ipsam te quoque lucremur, ac tu per hujus vitæ recte facta, futura et immortalia bona facillime percipias.

EPISTOLA CXVIII[2].

Episcopis et presbyteris in carcere degentibus.

Carcerem incolitis, et catena vincti estis, et cum squallidis et sordidis inclusi : et quid tandem hoc nomine beatius vobis fingi queat? Quid enim tale habet aurea corona caput cingens, quale catena manum propter Deum circumdans? Quid tale ingentes et splendidæ domus, quale carcer, caliginis, sordium, ingentis fœtoris et calamitatis

[1] Marc. XI, 26. — [2] Sub initium exilii anno 404.

plenus, Dei causa toleratus? Quæ cum ita sint, gaudete, exultate, coronis caput cingite, tripudiate, quod molestiæ, in quas incidistis, magnam vobis commodorum materiam accersant. Hoc nimirum semen est, messem copiosissimam prænuntians : hoc luctæ, victoriam et palmas afferentes : hoc navigatio, amplum et uberem quæstum concilians. Hæc igitur omnia cum animis vestris reputantes, reverendissimi ac religiosissimi domini mei, gaudete ac lætamini, nec tempus ullum intermittite, quin Deum in omnibus rebus laudetis, ac mortiferas diabolo plagas inferatis, ingentemque vobis ipsis in cœlis mercedem recondatis. « Non enim condignæ sunt passiones hujus sæ» culi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in vobis[1]. » Ad nos autem quam sæpissime scribite. A vobis etenim, qui Dei causa vincti estis, litteras, quæ afflictiones vestras exponant, magnopere accipere cupimus : hincque ingentem, etiam in externa terra degentes, consolationem capiemus.

EPISTOLA CXIX[1].

Theophilo presbytero.

Ergo posteaquam tibi a me scribendi janua patefacta est, illud ostende, te superiori tempore non negligentia tacuisse, verum quod illud expectares, ut tibi a me scribendi fiducia præberetur : ac mihi litterarum, quæ me de nominis tui claritate, cui quantopere faveam non ignoras, certiorem faciant, ingentem copiam mitte : nec permitte, ut mœroris tyrannis in silentium te conjiciat, verum eam

[1] Rom. VIII, 18. — [1] Scripta cum Cucusum pergeret anno 404.

quavis araneæ tela facilius dirumpe, atque alacrem te in acie præbe, per ingentem fiduciam ac libertatem adversarios sternens. Nunc adipiscendæ gloriæ, atque ingentis quæstus faciendi tempus est. Neque enim mercator, dum in portu desidet, merces colligit; sed dum ingentia maria trajicit, ac fluctus intrepido animo adit, atque cum fame et feris marinis colluctatur, multasque alias difficultates subit. Hæc igitur ipse quoque animo complectens, nempe periculorum, lucri etiam magnæque gloriæ, ac præmiorum omni sermone præstantiorum tempus esse, fac animi tui pennam excites, atque excusso mœroris pulvere magna cum facilitate universam phalangem obeas, omnesque instruas, acuas, excites, corrobores, promptioresque ac diligentiores reddas. Atque hæc nobis per litteras tuas expone: nec eo quod tuas ipse laudes narraturus sis, metue, verum, ut quod a nobis imperatum est, faciens, hanc nobis voluptatem dona: quo etiam procul dissiti, ingentem lætitiam capiamus, ea quæ scire cupimus abs te audientes.

EPISTOLA CXX [1].

Theodoræ.

Confecti atque consumpti sumus[2]: sexcenta mortis genera oppetiimus, idque accuratius ac certius narrare poterunt, qui has litteras tibi reddent: quamvis alioqui perexiguo temporis puncto mecum fuerint. Quibuscum etiam ne tantillum quidem colloqui potui, continuis nimirum febribus dejectus: quibus cum tenerer, dies noctesque

[1] Cæsareæ in Cappadocia cum iret in exilium anno 404. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, p. 459.

iter facere cogebar, sic videlicet, ut et æstu opprimerer, et vigiliis conficerer, et rerum necessariarum penuria, eorumque qui mei curam gerere possent, inopia, perdite conflictarer. Siquidem iis qui ad metalla damnati sunt, et in vinculis tenentur, graviora et atrociora pertulimus, atque etiamnum perferimus. Tandem autem aliquando et ægre Cæsaream perveni, perinde atque a tempestate ad tranquillitatem et ad portum. Verum ne hic quidem portus eam vim habuit, ut me ex iis malis, quæ ex tempestate contraxeram, recrearet : usque adeo me, ut jam dixi, prius tempus confecerat. Sed tamen Cæsaream ingressus, animum aliquantum resumpsi, quoniam puram aquam bibi, panemque minime fœtidum ac prædurum comedi : quoniam in doliorum fragmentis non ut antea corpus lavi, sed balneum, qualecumque tandem illud, nactus sum : quoniam denique potestas interim mihi lecto decumbendi facta est. Plura dicere licebat : verum ne animum tuum conturbem, hic sermoni finem impono. Illud addam, ut tecum agam, ne eos, a quibus amamur, probris unquam insectari desistas, quod cum tot amicos tantisque opibus et potentia præditos habeamus, haud tamen illud consecuti sumus, quod etiam scelerati homines impetrant, nempe ut in mitiore ac propinquiore aliquo loco collocaremur : verum, corpore etiam nobis jam fracto atque confecto, et Isaurorum terrore omnia obsidente, exigua quoque et vilis hæc gratia nobis negata est. Hoc quoque nomine Dei gloria prædicetur. Neque enim ei propter omnia gloriam exhibere desinimus. « Sit nomen ejus benedictum in sæcula. » De te vero illud vehementer sum miratus, quod, cum quartam jam hanc, aut etiam quintam epistolam ad te miserim, unicam tamen duntaxat accepi. Atqui sæpius scribere minime difficile erat. Hæc porro non accusandi animo dico : charitatis enim officia

voluntatis sunt, non necessitatis. Verum illud me male habet, quod me ex animo tuo confestim ejecisti : ut quæ tam longo tempore unam duntaxat epistolam ad me miseris. Quocirca, si nihil grave ac molestum abs te petimus, hoc nobis præbe, quod tui arbitrii est, tuæque potestatis. Nam de cæteris rebus nihil tibi negotii facesso : ne præterquam quod nihil proficiam, etiam gravis et importunus tibi esse videar.

EPISTOLA CXXI[1].

Arabio.

Mæroris fornacem, quam ob ea, quæ adversum nos perpetrata sunt, animo circumfers, ex tuis litteris apertissime cognovi : et quidem ante jam noveram. Neque enim vim eam lacrymarum, quam cum primum hæc mala texerentur profundebas, unquam oblivisci poterimus. Cæterum epistola quoque tua, non minus quam illæ lacrymæ ac gemitus, mœroris flammam, quæ in cor tuum irrepsit, nobis patefecit. Horum tu mercedem a benigno Deo expecta : est enim etiam mœroris merces magna atque ampla. Nam et eo tempore, quo apud Judæos vitia flagrabant, nonnulli erant, qui cum eorum scelera corrigere non possent, luctu duntaxat et lacrymis ea prosequebantur, atque ejusmodi mercedem consecuti sunt, ut cum cæteri omnes perirent, atque internecione delerentur, ipsi iram effugerent. «Pone signum, inquit Scriptura, super vultus gementium » et dolentium[2]. » Atqui non impediebant quominus hæc fierent; sed quia quod in ipsis erat præstabant, gemebant

[1] Antequam Cucusum advenisset anno 404. — [2] Ezech. IX, 4.

scilicet atque dolebant, maximum hinc sibi præsidium compararunt. Vos quoque, domini mei, sine ulla intermissione hæc lugete, benignumque Deum orate, ut commune orbis naufragium comprimat. Scitis enim, perspicue, inquam, scitis omnia tumultibus ac perturbatione plena esse, nec pro Constantinopolitana tantum urbe, sed pro universo terrarum orbe preces fundendas esse : quandoquidem malum, initio hinc ducto, pestiferi cujusdam profluvii instar effusum, per universum orbem Ecclesias pervastat. Quod autem a nobis postulas, hoc etiam ipse, quandiu corpore inter nos disjuncti erimus; nam animo semper et tecum et cum universa tua familia constricti sumus; ut facias quæso, hoc est sæpe ad nos scribere, nosque de tua valetudine certiores facere, ne graveris. Scis enim quam gratum id nobis futurum sit. Quoniam autem nos in domum tuam divertere jussisti, ut post profectum edidici, scito inimicis nostris non jam placuisse ut Sebastiam abduceremur, verum in desertissimum locum Armeniæ Cucusum, atque ob Isaurorum incursionem periculosissimum. Tibi tamen gratiam habemus, honoremque accepimus, quod etiam cum abessemus, tanta te nostri cura tenuit, ut hospitium quoque nobis parares, atque, ut domi tuæ diversaremur, obsecrares. Verum si quos Cucusi amicos habes, ad eos litteras mittas, velim.

EPISTOLA CXXII[1].

Marciano.

Beatus es, ac ter beatus, idque sæpius, ut qui in tam

[1] Cucusi anni 404 vel 405.

gravi tempestate, tantisque rerum procellis, tantæ erga pauperes liberalitatis specimen edideris. Neque enim nobis ingens tua benignitas incognita fuit: quodque communis omnibus portus extiteris, pupillorum patrocinium suscipiens, viduarum mœrorem omni ratione leniens, earum inopiam sustentans, paupertatem levans, ac ne hujusce quidem angustiæ sensu eos affici sinens, verum quidvis ipsis te præbens, plebemque universam frumento, vino, oleo, aliisque omnibus rebus alens. Deus tibi et hic et in futuro ævo, largitionis hujus, munificentiæ, studii, zeli, amoris erga pauperes, et sinceræ charitatis mercedem pendat, siquidem omnibus his virtutibus abundas ac flores, maxima tibi præmia in futuro ævo recondens. Hæc nos de te audientes, licet in tanta solitudine versemur, ac multis incommodis undique vexemur; nam et Isaurici metus obsidio, et loci solitudo, et hiemis asperitas nos vehementer premit; tamen ne molestiarum quidem sensu afficimur, verum ingentem consolationem accipimus, exultantes et gaudentes ob tantas virtutes, ac divitias omnem orationis facultatem excedentes, quas in cœlo tibi ipsi cumulas. Ut igitur alio quoque nomine lætemur, ne, quæso, quam sæpissime ad nos scribere, deque tua valetudine læta nobis nuntiare graveris. Nam de ea aliquid audire majorem in modum cupimus. Idque ipse etiam nosti: quandoquidem illud quoque tibi compertum est, quanto tui semper amore teneamur.

EPISTOLA CXXIII[1].

Phœniciæ Presbyteris et Monachis, Gentiles in Christiana religione instituentibus.

Gubernatores, cum mare furore percitum et excitatum, atque ingentem tempestatem ac turbinem cernunt, non modo navim non deserunt, sed etiam tunc majore sollicitudine ac studio utuntur, tum ipsi vigilantes, tum alios excitantes. Medicique rursus, cum febrim excitatam vehementer sævire prospiciunt, ægrotum non modo non relinquunt, verum etiam tum denique, et per se, et per aliorum operam ad profligandum morbum plus studii atque operæ adhibent. Quorsum hæc commemoro? Nimirum ut ne quis vos ob exortum tumultum in fraudem impellat, adducatque, ut Phœniciam relinquatis, ex eaque secedatis : quin potius, quo plures difficultates vobis objiciuntur, gravioresque fluctus ac major perturbatio, eo quoque constantius laboretis, excubetis, majorem animi promptitudinem adhibeatis, ut ne præclarissima vestra substructio corruat, nec tantus vester labor fructu careat, susceptaque in animarum cultu opera deleatur. Potest enim Deus, et hunc tumultum sedare, et patientiæ mercedem vobis conferre. Neque enim tanta vobis merces constituta erat, cum negotia sine ulla difficultate ac molestia conficiebantur, quanta nunc est, cum magna difficultas proponitur, ingens perturbatio, multique offendiculo sunt. Quocirca laborem eum, quem pertulistis, et ærumnam quam sustinuistis, et ea, quæ præclare gessistis, vobiscum reputantes, illudque

[1] Cucuso anno 405.

item, Deo favente tantam jam impietatis partem a vobis extinctam esse, Phœniciæque res in melius processisse, ac majorem nunc mercedem ampliorem que remunerationem vobis fore, denique Deum impedimenta quoque brevi sublaturum, et multa vobis patientiæ præmia persoluturum esse, illic, quæso, permanete atque consistite. Nam ne nunc quidem vobis quidquam deesse potest : ego enim, ut omnia, tam in indumentis, quam in calceamentis, ac fratrum alimentis, eadem, qua prius, copia et affluentia vobis suppeditentur, imperavi. Quod si nos, cum in tanta calamitate atque acerbitate versemur, ac Cucusi solitudinem incolamus, tantam operis vestri curam gerimus, multo sane magis vos etiam, cum abunde vobis omnia suppetant, quæ vestrarum partium sunt præstare convenit. Rogo igitur, ne quis vos terreat. Nam et negotia meliorem jam spem ostendunt : idque ipsi ex litterarum, quæ a reverendissimo domino meo presbytero Constantio missæ sunt, exemplis facile intelligetis. Ac si permaneatis, etiamsi sexcenta impedimenta oboriantur, omnia tamen frangetis. Nihil quippe patientiam ac tolerantiam æquare potest : rupi enim similis est : contra motus ii omnes eæque insidiæ, quæ adversus Ecclesiam struuntur, fluctibus non dissimiles sunt, qui rupi illiduntur, atque in spumam abeunt. In mentem vobis veniat, quanta Apostoli, tum a suis, tum ab exteris pertulerunt : et ut omne prædicationis tempus per tentationes, per pericula, per insidias confecerint, nunc carcere et vinculis, nunc exiliis, nunc flagris, nunc fame et nuditate consumpti. Et tamen, etiam cum in carcere degerent, a munere sibi commisso non absistebant : verum beatus Paulus, etiam cum in vincula conjectus ac flagris concisus esset, et cruore diffflueret, et ligno alligatus esset, et tot malis premeretur, tamen in ipso quoque carcere antistitis sacri munere fungebatur, et carceris custodem

baptizabat, eaque omnia, quæ sui muneris erant, exequebatur. Hæc igitur omnia, aliaque id genus animo volventes, ut vos jam hortatus sum, firmi atque immobiles state, et a fraudibus cavete, Dei opem atque auxilium, cui nihil par esse potest, expectantes : ac de omnibus his rebus, ut responsum a vobis feramus, curate. Hac enim de causa etiam Joannem religiosissimum presbyterum misimus, ut vos cohortetur, nec vos a quoquam perturbari sinat. Equidem ipse, quod mei muneris erat, præstiti, tum vos sermonibus cohortans, tum consiliis erigens, tum ea quæ opus erant, prolixe subministrans : quo nihil omnino vobis deesset. Quod si me perferre minime volueritis, verum iis potius, qui vos decipiunt ac velut pennas vobis addunt, fidem habeatis, extra culpam ipse sum. Scitis autem, in cujus caput hæc condemnatio atque jactura cadat. Ne igitur quidquam hujusmodi contingat, vos etiam atque etiam rogo, ut me, qui vos impense amo, perferatis. De rebus vobis necessariis, vel ad nos scribite, vel, si ita lubet, hominem mittite : nec vobis quidquam omnino defuturum est.

EPISTOLA CXXIV[1].

Gemello.

Alii quidem ob magistratum tibi gratulantur : ego autem urbi ac tibi, non ob hunc honorem, quo auctus es : sublimior enim his rebus esse didicisti ; sed quod occasionem nactus sis, qua prudentiæ ac lenitatis tuæ specimen quamplurimis hominibus facile præbeas, lucrumque, quod hinc

[1] Cucuso anno 404 vel 405.

oritur, colligere queas. Neque enim mihi dubium est, quin eos qui terræ nimium affixi sunt, atque his somniis, id est, humanæ gloriæ, inhiant, hoc edocere possis, prætorem non in veste ac cingulo, nec in præconis voce situm esse; verum in hoc demum, ut quæ labefactata sunt in integrum restituat, et quæ malo statu sunt corrigat, atque injustitiam coërceat, nec jus ab opibus et potentia opprimi patiatur. Mihi enim explorata est animi tui fiducia, loquendi libertas, mentis sublimitas, rerum hujus vitæ contemptio, improborum odium, lenitas, humanitas, qua potissimum is, qui aliis præest, opus habet. Ac proinde illud probe novi te facile fore naufragorum portum, baculum ruentium, turrim eorum qui per injuriam a potentibus opprimuntur. Non enim labor, non sudor, non longum tempus ad hæc perficienda requiritur: verum quemadmodum sol simul atque lucet statim caliginem omnem fugat: sic etiam te, simulatque in solio conspectus es, primo etiam die, tum eos qui injuriam aliis inferre conabantur, repressisse, tum eos, quibus injuria fiebat, etiam antequam ad tribunal accederes, omni vexatione liberasse confido. Atque ad hæc perficienda satis est ea opinio quam homines de tua sapientia habebant. Ideo etsi in solitudine degens, ac multis incommodis affectus, ingenti tamen lætitia perfundor, nimirum ex ea, quam iis qui læduntur affers ope, propriam mihi voluptatem fingens.

EPISTOLA CXXV [1].

Cyriaco episcopo exulanti.

Age, mœstitiæ tuæ ulcus rursus leniam, atque cogitationes eas, quæ hanc nubem collegerunt, discutiam. Ecquid enim est, quod mœres atque animum dejicis? An quia gravis est tempestas, ac sævum naufragium, quod Ecclesiam occupavit? Hoc ipse quoque scio, nec ullus est, qui inficias ire possit: imovero, si ita lubet, eorum quæ fiunt imaginem tibi adumbrabo. Mare videmus ab imis usque gurgitibus revulsum, nautas gubernaculorum ac remorum loco manus genibus implicitas habentes, præque tempestatis magnitudine tanta consilii inopia laborantes, ut nec cœlum, nec mare, nec terram cernant, verum flentes ac lamentantes in tabulatis jaceant. Atque in mari quidem ita evenire solet: nunc autem in nostro quoque mari gravior procella gravioresque fluctus excitantur. Verum fac Domino nostro Christo supplex sis, qui non arte tempestatem superat, sed nutu solo eam discutit. Quod si precibus ad eum adhibitis nondum tamen exauditus es, ne elanguescas, animumque despondeas; hujusmodi namque benigni illius numinis mos est. Annon tres illos pueros a periculo subducere poterat, ac ne in ignis fornacem inciderent, prohibere? at postquam captivi abducti, atque in barbarorum regionem abjecti, paternaque hæreditate eversi, atque ab omnibus desperati sunt, nec jam ullum mali genus deerat, tum denique Christus, verus Deus noster, repente miraculum edidit,

[1] Cucuso anno 404.

ignemque dissipavit. Ignis enim justorum virtutem minime ferens, e fornace exiliit, atque Chaldæos, quos circum fornacem nactus est, exussit[1]. Ac tum fornax, Ecclesiæ instar ipsis erat : atque res omnes conditas, tam quæ oculis cernuntur, quam quæ ab oculorum sensu remotæ sunt, hoc est Angelos et Virtutes, accersebant, sicque omnia in unum complectentes, his verbis utebantur : « Benedicite omnia opera Domini Domino[2]. » Vides-ne quomodo justorum patientia ignem in rorem commutavit, tyrannique animum ita inflexit, ut per universum orbem litteras mitteret, ad hunc modum loquens : « Magnus » Deus Sidrach, Misach, et Abdenago[3] ? » Ac vide quam atrox supplicium constituit, si quis adversus ipsos aliquid contumeliose dixisset : nempe ut domus ipsius ac facultates omnes diriperentur. Ne igitur animum demittas, ac desperatione frangaris. Nam nec ego, cum civitate pellerer, quidquam horum curabam, verum mecum ipse ita loquebar : Si Imperatrix me exilio mulctare vult, exulem sane : « Domini est terra, et plenitudo ejus[4]. » Si serra de me supplicium capere cupit, dissecer ; Hesaiam pro exemplo habeo. Si me in mare præcipitem dare vult, Jonæ recordor[5]. Si in fornacem conjicere vult, tres pueros habeo, qui eodem supplicio affecti sunt[6]. Si feris objicere, Danielem, qui leonibus objectus est, mihi animo propono[7]. Si lapidibus obruere vult, obruat : Stephanum habeo primum martyrem[8]. Si caput meum accipere vult, accipiat : Joannem habeo[9]. Si facultates meas sumere, sumat : « Nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus » etiam hinc abscedam[10]. » Monet me his verbis Apostolus : « Deus hominis personam non accipit[11] ; » atque his rur-

[1] Dan. III. — [2] Ibid 57. — [3] Ibid. 95. — [4] Psal. XXIII, 1. — [5] Jonæ. 1. — [6] Dan. III. — [7] Ibid. 6. — [8] Act. VII. — [9] Marc. VI. — [10] Job. 1, 21. — [11] Galat. II, 6.

sum : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non » essem[1]. » Mihi etiam David arma subministrat, cum ait : « Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et » non confundebar[2]. » Multa adversum me struxerunt : aiuntque me post epulas quibusdam communionem impertiisse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine scribatur, quoniam ecce si quidquam ejusmodi perpetravi, Christus e regno suo me abjiciat. Quod si mihi obstinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu dejiciant, qui cœnatus universam domum baptizavit[3]. Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui Apostolis post cœnam communionem dedit. Quin me quoque cum muliere concubuisse criminantur. Exuite corpus meum, et membrorum meorum mortificationem reperietis. Verum ad hæc omnia facienda livore adducti sunt. At idne omnino, Cyriace frater, animum tuum discruciat, quod illi qui me ex urbe expulerunt, in foro libere volitant, ingensque stipatorum grex eos a tergo sequitur? Verum recordare Lazari et divitis illius. Annon ille in hoc ævo calamitosus fuit[4] : hic autem voluptatibus ac luxu diffluxit? Quidnam porro illi paupertas detrimenti attulit? Annon ut pugil ac victor in Abrahæ sinum delatus est? Quidnam rursum huic qui in purpura et bysso requiescebat, opes profuerunt? Ubi lictores? ubi satellites? ubi equi aureis frenis insignes? ubi parasiti, et regia mensa? Annon tanquam latro vinctus in monumentum abducebatur, nudam animam e mundo efferens ; atque inani voce clamabat, « Pater » Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti » sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior » in hac flamma[5]? » Quid patrem Abrahamum vocas, cujus vitam non imitatus es? Ille neminem non domo ex-

1 Galat. I, 10. — 2 Psal. CXVIII, 46. — 3 Act. XVI. — 4 Luc XVI. — 5 Ibid. 24.

cipiebat : tu ne unius quidem pauperis curam gessisti. Nec vero est quod lugeamus ac collacrymemus, quod is, qui tantis opibus præditus erat, aquæ guttam non est consecutus. Quoniam enim micas pauperi minime largitus est, idcirco ne guttam quidem aquæ accipit. Hyemis tempore misericordiæ sementem non fecit ac proinde ne æstate quidem messem fecit. Quin hoc quoque certo consilio a Domino actum est, ut impiorum pœna, et justorum requies, e regione sitæ sint : nimirum ut sese ipsi mutuo prospiciant atque agnoscant. Tunc enim quilibet martyr tyrannum suum agnoscet, atque item quilibet tyrannus martyrem eum, quem cruciatu affecit. Nec vero hæc a me dico. Audi enim quid Sapientia dicat : « Tunc stabit » justus in magna constantia adversus eos, qui se angustia» verunt[1]. » Nam quemadmodum is qui fervente sole iter facit, ac siti flagrat, cum limpidum fontem nactus est, ac bibere prohibetur, magno dolore afficitur ; aut rursum quemadmodum cum quispiam ingenti fame affectus, mensæ omni eduliorum genere confertæ assidet ; cæterum a potentiore quodam impeditur, ne mensam attingat, ac cibis fruatur ; gravem dolorem et cruciatum sentit, quod cum mensæ accumbat, epulis tamen gaudere, vel fonti assidens aqua frui nequeat : eodem modo in judicii die impii sanctos viros lætos atque hilares conspicient, nec tamen ipsis regia mensa frui concedetur. Nam etiam Deus, cum de Adamo supplicium sumere vellet, hoc fecit, ut ipse e paradisi regione terram coleret : quo videlicet in singulos dies ac singulas horas jucundum illum et expetendum locum, unde excesserat, prospiciens, perpetuum animo dolorem hauriret. Quod si hic etiam nobis mutuo congressu frui non licuit, at nemo illic obstabit quin tum una degamus, eosque, a quibus in exilium ejecti sumus,

[1] Sap. v, 1.

videamus, ut Lazarus divitem, et Martyres tyrannos. Ac proinde animum ne desponde, verum hanc Prophetæ vocem in memoriam revoca : « Nolite timere opprobrium » hominum, et contemptum eorum ne metuatis. Sicut » enim lana a tinea rodentur, et sicut vestimentum veterascent[1]. » Illud etiam animadverte, quomodo Dominus hoc est is qui mundum continet, statim ab incunabulis exagitabatur, atque in barbarorum terram ejiciebatur : quo nos scilicet exemplo suo moneret, ne in tentationibus animis frangamur. Salvatoris passio tibi in animo versetur, nempe quot contumeliis ipse nostra causa affectus sit. Alii enim eum Samaritanum vocabant, alii arreptitium, et helluonem, et falsum Prophetam. Aiebant enim : « Ecce » homo vorax et potator vini[2]. » Et : « In principe dæmo- » niorum ejicit dæmonia[3]. » Quid cum eum ducebant ut præcipitio necarent, et cum ipsius faciem conspuebant? Quid cum chlamydem ipsi imponebant, ac spinis ipsum coronabant, atque ad ipsius pedes ludibrii causa se abjiciebant, nec ullum irrisionis genus in eo prætermittebant? Quid cum alapis ipsum cædebant? cum acetum et fel bibendum ei dabant? cum arundine ipsius caput feriebant, cum sanguinarii illi canes eum huc atque illuc trahebant? quid cum ad mortem nudus ducebatur, omnesque discipuli eum deseruerant, atque unus ex ipsis eum prodiderat, alter negaverat; alii fugam inierant, solus ipse in media illa turba nudus stabat? Festus quippe dies erat, omnes tunc in unum cogens. Quid, cum tanquam nocens et facinorosus inter facinorosos cruci affigebatur, ac posteaquam e cruce demissus est, tandiu inhumatus jacuit, quoad, ut sepultura donaretur, a quodam postulatus est? Recordare eum funere non elatum esse, improbumque sermonem adversus eum disseminatum

[1] Isaï. v, 17. — [2] Luc. vii, 14. — [3] Matth. ix, 34.

fuisse, nimirum eum a Discipulis suis surreptum fuisse[1], nec resurrexisse. In mentem veniant Apostoli, qui et ipsi undecumque vexabantur, ac latebras quærebant, quod in urbibus palam versari non possent : quonam pacto Petrus apud Simonem coriarium delitescebat[2], et Paulus apud mulierem purpurariam, quoniam de divitum erga se animo dubitabant. At postea omnia ipsis plana et facilia fuerunt. Ad eumdem igitur modum tu quoque animum ne dejicias. Allatum autem ad me est de deliro illo Arsacio, quem Imperatrix in throno collocavit, eum fratres eos omnes, qui cum ipso communicare recusabant, afflixisse : et multos ex ipsis mei causa in vinculis diem vitæ extremum clausisse. Siquidem lupus ille [illegible] ovis speciem præ se ferens, etsi Episcopi larvam ge[illegible] [illegible]at., adulter tamen est. Ut enim mulier ad[illegible] [illegible]tera vocatur quæ vivente viro alteri nubit : eode[illegible] [illegible] modo hic q[illegible]oque adulter est, non carnis, sed s[illegible] [illegible]piritus, me enim vivente Ecclesiæ thronum inva[illegible] [illegible]. Atque hæc tibi e Cucuso scripsi, quo videlic[illegible] [illegible] Imperatrix ablegari me jussit. Multæ porro mihi in via calamitates contigerunt : verum nihil ejusmodi mihi curæ fuit. Ut autem in Cappadociam, atque etiam in Tauro-Ciliciam venimus, magno agmine sancti patres, ac monachi, et virgines obviam nobis prodibant, infinitam lacrymarum vim profundentes. Cumque nos in exilium abeuntes cernerent, in fletus prorumpebant, hisque inter se verbis utebantur : Satius fuisset solem radios suos subtrahere, quam Joannis os conticere. Hæc me perturbabant ac premebant : quoniam omnes mea causa plorantes intuebar. Nam cætera omnia, quæ mihi oborta sunt, nulla me cura affecerunt. At vero urbis hujusce Episcopus perquam humaniter nos excepit, tantamque erga nos charitatem præ se tulit, ut etiam, si fieri potuisset,

[1] Matth. XXVIII. — [2] Act. IX, 43. — [3] Ibid.

throno quoque suo nobis cessurus fuerit, nisi nobis cavendum fuisset, ne præscriptum limitem excederemus. Quamobrem te rogo, ac velut genibus tuis advolutus obtestor, ut mœrorem et luctum abjicias, ac pro nobis apud Deum memor sis, nobisque rescribas.

EPISTOLA CXXVI[1].

Rufino presbytero.

Phæniciæ mala rursum exarsisse, ac gentilium furorem auctum esse accepi: compluresque Monachos partim vulneribus affectos esse, partim etiam mortem obiisse. Ideo majorem in modum te urgeo, ut quam celerrime te ad iter accingas, atque in acie stes. Certum enim habeo fore, ut si preces, et lenitatem, et mansuetudinem, et tolerantiam, et patientiam, eamque quam soles animi fortitudinem adhibueris, vel aspectu solo adversarios in fugam conjicias, ipsorumque furorem extinguas, atque eorum qui nostras partes tuentur, animos recrees, multaque bona efficias. Quare ne cuncteris, nec procrastines; sed majori celeritate utaris, teque hæc, quæ a me commemorata sunt, alacriorem reddant. Etenim si conflagrantem domum vidisses, non profecto recessisses, verum majorem etiam festinationem adhibuisses, quo flammam anteverteres, atque tum per te, tum per alios, quidvis egisses, ut malum extingueres. Eodem ergo modo nunc quoque quoniam ejusmodi incendium excitatum est, fac sine ulla mora illuc proficisci matures: atque omnino aliquid læti continget, magnumque his incommodis remedium affere-

[1] Cucuso anno 406.

tur. Sane, cum omnia quieta et tranquilla sunt, nec quisquam est qui bellum inferat, nonnullos ad pietatem erudire cujuslibet hominis est : at cum diabolus ita furit, ac dæmones arma induunt, forti animo stare, atque et eos qui ab illius partibus stant, eripere, et cæteros, ne in illius manus incidant, impedire, hoc strenui viri est, hoc animi vigilantis, hoc sublimis tuæ et experrectæ mentis, hoc sexcentis coronis ac præmiis omni sermone præstantioribus dignum, hoc denique Apostolicum facinus. Illud igitur cum animo tuo reputans, tempus istud adipiscendæ gloriæ tibi occasionem, atque infiniti quæstus et emolumenti materiam esse, cura, obsecro, ut tantas opes arripias, ingentique celeritate utaris : atque quamprimum illuc veneris, ad nos scribas. Nam si vel hoc audierimus, te Phœniciæ fines attigisse, jam sine cura erimus, requiescemus, in securitate degemus. Nam quæ hinc consequentur scimus : nimirum ut generosus ac rei bellicæ peritus imperator, sic tu omnia peragrabis, jacentes excitans, stantes confirmans et constabiliens, errantes in viam reducens, perditos requirens et inveniens, universas diaboli copias concidens. Est enim mihi perspecta, mihi, inquam, perspecta est animi tui vigilantia, mentis tuæ cura et sollicitudo, sagacitas, concinnitas, comitas, fortitudo, robur, constantia. Quare quam sæpissime velim ad nos scribas : atque etiam, priusquam in Phœniciam perveneris, ex itinere frequentes ad nos litteras mittas, siquidem nunc quoque miratus sum te, cum dominus meus reverendissimus ac religiosissimus Theodotus presbyter huc venit, nihil ad nos litterarum dedisse. Quocirca ne rursus eo nomine dolorem concipiamus, quod nullas abs te litteras accipiamus, si fieri potest, ex singulis etiam mansionibus ad nos scribe, ut quantum viæ processeris, et num jam ab iis oris haud procul sis, intelligamus. In magna enim cura et sollicitu-

dine sumus: atque hæc quotidie scire cupimus. Quæ cum noris, reverendissime domine, hoc mihi pro summo beneficio concede, ut ante discessum tuum, atque etiam post discessum, crebras litteras mittas, curesque ut omnia sciamus: quo si res prosperum cursum teneant, gaudio ac voluptate afficiamur: sin autem impedimenta objiciantur, omni ratione ac studio ea de medio tollere nitamur. Neque enim ante conquiescemus, quam, et per nos, et per alios, si fieri possit, hoc effecerimus, etiamsi millies vel in urbem Constantinopolitanam mittere necesse sit, quo omnia tibi valde prona reddamus; ne id quidem facere recusabimus. Hæc igitur cum tibi nota sint, quæ tui muneris sunt nobis præsta, vigilantiam ac diligentiam. Quod si fratres etiam mitti oportere putes, id quoque fac sciam. De sanctorum vero martyrum reliquiis sine cura esto: confestim enim religiosissimum dominum meum presbyterum Terentium, ad dominum meum piissimum Otreïum Arabissi episcopum misi. Nam ipse, et multas et minime dubias habet, quas paucis diebus in Phœniciam ad te mittemus. Quare da operam, ne officio tuo ulla ex parte desis. Nam quæ nostri muneris sunt, quanta cum animi promptitudine præstemus, vides. Festina itaque, ut ante hiemem Ecclesias, quæ sine tecto sunt, perficere queas,

EPISTOLA CXXVII [1].

Polybio.

Alius fortasse intolerandum hujus regionis frigus, vastam loci solitudinem, acerbissimum denique morbum;

[1] Anno ut putatur 406.

hinc enim in morbum incidimus; luxisset ac deplorasset: ego autem his omissis disjunctionem vestram lugeo, quæ mihi, et solitudine et morbo, et hieme est acerbior. Quam acerbitatem hiems quoque mihi auxit. Nam quod unum molestissimæ disjunctionis solatium suppetebat, hoc est ut vobiscum per litteras colloquerer, hoc quoque hiems exorta mihi ademit: ut quæ ob ingentem nivis vim vias intercluserit, ac neque aliunde quemquam huc venire ac nobiscum congredi, neque item hinc excedere, atque ad vos proficisci sinat. Quod et ipsum haud minus, imo etiam magis Isaurorum terror efficit, nobisque solitudinem auget, omnes videlicet submovens, atque in fugam conjiciens, exulesque reddens. Neque enim jam quisquam ullus est, qui domi manere audeat: verum unusquisque relictis ædibus suis profugit. Atque urbes quidem, parietes et tecta nunc sunt: præruptæ autem voragines et sylvæ, urbes. Quemadmodum enim truculentæ feræ, ut pardi ac leones, tutiorem urbibus solitudinem sibi esse existimant: sic etiam homines qui Armeniam incolimus, quotidie ex aliis atque aliis locis in alia atque alia loca migrare cogimur, vitam Hamaxobiorum et Nomadum agentes, nec usquam fidenti animo consistentes: usque adeo hic omnia tumultu et perturbatione plena sunt. Etenim illi alios adventu suo jugulant, exurunt, atque ex liberis servos efficiunt; alios autem sparso rumore in fugam vertunt, atque urbibus pellunt, imo, ut rectius loquar, occidunt. Quotquot enim adolescentes mediis etiam plerumque noctibus, ac frigore omnia obdurante, repente domo profugere coacti sunt, metu rumoris eos fumi instar abigente; atque ad mortem oppetendam ne Isaurico quidem gladio opus habuerunt, verum in nive obrigescentes extremum spiritum ediderunt: quæque ipsis fugiendæ mortis causa fuerat, eadem illis acerbissimæ mortis causa fuit: en quo

statu res nostræ sint. Quæ quidem non diximus, ut te in mœrorem conjiciamus; scio quippe hæc tibi dolori fore; verum ut diuturni silentii nostri causam aperiamus, quidque causæ fuerit cur sero ac tarde ad te scripserimus. Ita enim ab omnibus relicti sumus, ut nec aliquem, qui istuc proficisceretur, nancisci potuerimus, verum nobis Presbyterum contubernalem nostrum excitare, atque ad te mittere necesse fuerit. Quapropter cum eum, ut te dignum est, exceperis, celeriter ad nos remitte, qui de tua valetudine læta nobis nuntiet. Scis enim quanto nobis studio sit hoc scire.

EPISTOLA CXXVIII [1].

Mariniano.

Cæteris omnibus mortalibus hoc nomine ver jucundum et suave est, quod terræ faciem floribus exornat, atque in prata convertit: mihi autem eam ob causam, quia magnam mihi facultatem præbet cum familiaribus meis per litteras versandi. Ac quidem oculis vos coram perspicere cuperem: quoniam autem id minime licet, quod licet promptissimo animo facio, ut vobiscum per litteras colloquar. Nec vero nautæ ac remiges pari animi voluptate maris terga sulcant, cum illa anni tempestas exorta est, atque ego calamum et chartam et atramentum in manus sumo, cum ad vos scripturus sum. Etenim hiemis tempore, cum omnia frigore concrescerent, atque incredibilis quædam vis nivium omnes vias intercluderet, nec quispiam aliunde ad

[1] Arabisso anno 406.

nos venire, nec rursus hinc alio proficisci sustinebat. Ea de causa nos hujus loci domunculis, quemadmodum carcere inclusi, atque tabellariorum penuria, non secus ac quibusdam linguæ catenis, vincti, quamlibet inviti, diuturno silentio utebamur. Posteaquam autem tempus jam itinera patefecit, nobisque linguæ vinculum fregit, Presbyterum eum quicum mihi vitæ consuetudo est, hinc ad vos misimus, ut qua valetudine sitis, intelligamus. Cum igitur hunc, ut te, domine mi summopere admirande, dignum est, susceperis, atque pro eo atque charitas tua postulat, perspexeris; cum ad nos redibit, velim de tua valetudine nos certiores facias. Scis enim quam de ea aliquid scire studeamus.

EPISTOLA CXXIX [1].

Marciano et Marcellino.

Quam præclarum hoc par vestrum est, quamque nobis carum: non modo naturæ lege, sed etiam acerrimi amoris catena colligatum! Ob idque de amicitia vestra gloriamur, es exultamus, coramque vobiscum congredi, ac vos videre cupimus. Quoniam autem id nunc minime licet, quod licet facimus, sæpe scribimus, vestri memores perpetuo sumus, animo vos, quocumque in loco simus, circumferimus ac ne ob itineris quidem longinquitatem a vestra suavitate ullo pacto disjungimur. Hujusmodi quippe charitatis penna est; ut et viam omnem et intervallum omne facile trajiciat, nec ullum incommodum sit, quod non superet.

[1] Cucuso anno 404.

Ideo nos quoque etsi alioqui multis calamitatibus affecti, nimirum solitudine, obsidione, assiduis prædonum incursibus, nihilo tamen in vestri amore segniores sumus: verum nostram erga vos benevolentiam perpetuo florentem retinemus. Quamobrem vos rogamus ut de vestræ valetudinis statu sæpius nos certiores per litteras faciatis. Neque enim vobis dubium est, quantam in hac solitudine consolationem hinc accepturi simus.

EPISTOLA CXXX [1].

Casto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, Antiochiæ Presbyteris.

Vehemens et violenta quædam res est charitas, ac molesto creditore quovis violentior. Neque enim illi eos qui pecunias debent, ita præfocant, ac debitum exigunt, ut vos charitatis catenam injicientes ad epistolas persolvendas nos urgetis, etiamsi alioqui hoc debitum persæpe jam a nobis sit solutum. Verum ea hujusce debiti natura est, semper solvitur, semperque debetur. Ideoque vos ne quidem acceptis litteris, satiari potestis. Nimirum illud etiam charitas habet, ut plura semper appetat: ac mare imitatur, quod licet amnes undecumque in ipsum influant, non tamen impletur. Eadem quippe aurium vestrarum amplitudo est: ex quo efficitur, ut quo plura in eas injecerimus, eo etiam majoris vestræ erga nos benevolentiæ flammam excitemus. Quamobrem ne existimetis, nos, quod de vestra amicitia quædam suspicio animum nostrum te-

[1] Cucuso anno 405.

tigisset, brevi hoc temporis spatio siluisse. Nam si qua suspicio nos incessisset, sæpius ad vos litteras dedissemus. Quemadmodum enim qui optima valetudine sunt, medici opem non desiderant : eodem modo ignavi ac dejecti homines multis remediis opus habent. Quocirca si vestrum erga nos animum claudicare sensissemus, non neglexissemus ea adhibere quæ ipsum inflammare possent. Quia vero admodum vobis fidimus, probeque scimus, sive litteras a nobis accipiatis, sive secus, vos affectum erga nos firmum, immotum, vigentem perpetuoque florentem servare, idcirco ad eam rem minime necessarias epistolas nostras esse ducebamus : verum ad hoc duntaxat, ut debito benevolentiæ munere fungeremur. Nam nunc quoque non necessitate ulla impulsi, sed amicitia adducti scribimus. Quod enim, etiam si multæ variis e locis tempestates oriantur, atque innumeri fluctus excitentur, nullo tamen vos detrimento afficere atque in mœstitiæ procellam conjicere queant, superius tempus abunde planum fecit. Ac proinde, non ut solatium vobis afferamus; neque enim consolatione nostra egetis, hæc scribimus : verum ut intelligatis nos gaudio exultare, ac lætari, quod tantam ex tanto locorum intervallo charitatem vestram obtineamus. Quoniam autem scio magnæ vobis lætitiæ esse, quo statu res nostræ sint, intelligere, scitote nos stomachi imbecillitate liberatos esse, atque valere, ac nec obsidione, nec latronum incursionibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum adversorum casuum turba, nec denique ullo alio hujusmodi incommodo dejici et conturbari; verum securitate, otio, ac quiete frui, ac singulis diebus de rerum vestrarum statu in cura esse, deque his ad eos qui ad nos accedunt sermonem habere. Nam hoc veri amoris natura facit, ut ii qui nobis cari sunt, semper in ore nostro ac lingua versentur. Quod etiam in nobis propterea usu venit, quia valde ama-

mus : idque ipsi nostis. Hæc igitur omnia vobiscum reputantes, ne existimetis nos in nostro erga vos officio et benevolentia temporis progressu segnes ac negligentes redditos esse. «Charitas» enim «nunquam excidit[1]:» nec, tametsi alioqui longum tempus fluxerit, tametsi longiori adhuc, quam nunc, itineris intervallo inter nos dirimamur, interrumpi et oblitterari potest, verum magis ac magis floret atque augetur.

EPISTOLA CXXXI[2].

Elpidio Episcopo.

Non contemptu tui, nec incuria, superiori tempore siluimus : verum res adversæ, quibus undique obsidemur, diuturnum hoc silentium effecerunt. Neque enim certo ulio loco defixi sumus, verum nunc Cucusum, nunc Arabissum, nunc valles, ac prærupta desertaque circumimus. Usque adeo cuncta tumultibus ac perturbatione plena sunt, flammaque et ferrum, tam corpora, quam ædificia omnia conficit. Ac jam etiam urbes una cum viris omnibus funditus excisæ sunt, novisque quotidie rumoribus perculsi sedes mutamus, grave quoddam ac novum exilii genus perpetientes, mortemque in dies expectantes. Nam ne castello quidem, perinde atque carcere, nunc inclusi, fidenti animo esse possumus : propterea quod Isauri ejusmodi arces obsidere non dubitent. Ad hæc gravis etiam morbus accessit : cujus nunc ægre acerbitate depulsa, reliquias adhuc circumferimus, et quemadmodum in insulam quamdam non navigabili mari circumfusam relegati, eodem

[1] 1 Cor. XIII, 8. — [2] Anno 404.

oritur, colligere queas. Neque enim mihi dubium est, quin eos qui terræ nimium affixi sunt, atque his somniis, id est, humanæ gloriæ, inhiant, hoc edocere possis, prætorem non in veste ac cingulo, nec in præconis voce situm esse; verum in hoc demum, ut quæ labefactata sunt in integrum restituat, et quæ malo statu sunt corrigat, atque injustitiam coërceat, nec jus ab opibus et potentia opprimi patiatur. Mihi enim explorata est animi tui fiducia, loquendi libertas, mentis sublimitas, rerum hujus vitæ contemptio, improborum odium, lenitas, humanitas, qua potissimum is, qui aliis præest, opus habet. Ac proinde illud probe novi te facile fore naufragorum portum, baculum ruentium, turrim eorum qui per injuriam a potentibus opprimuntur. Non enim labor, non sudor, non longum tempus ad hæc perficienda requiritur : verum quemadmodum sol simul atque lucet statim caliginem omnem fugat : sic etiam te, simulatque in solio conspectus es, primo etiam die, tum eos qui injuriam aliis inferre conabantur, repressisse, tum eos, quibus injuria fiebat, etiam antequam ad tribunal accederes, omni vexatione liberasse confido. Atque ad hæc perficienda satis est ea opinio quam homines de tua sapientia habebant. Ideo etsi in solitudine degens, ac multis incommodis affectus, ingenti tamen lætitia perfundor, nimirum ex ea, quam iis qui læduntur affers ope, propriam mihi voluptatem fingens.

EPISTOLA CXXV[1].

Cyriaco episcopo exulanti.

Age, mœstitiæ tuæ ulcus rursus leniam, atque cogitationes eas, quæ hanc nubem collegerunt, discutiam. Ecquid enim est, quod mœres atque animum dejicis? An quia gravis est tempestas, ac sævum naufragium, quod Ecclesiam occupavit? Hoc ipse quoque scio, nec ullus est, qui inficias ire possit: imovero, si ita lubet, eorum quæ fiunt imaginem tibi adumbrabo. Mare videmus ab imis usque gurgitibus revulsum, nautas gubernaculorum ac remorum loco manus genibus implicitas habentes, præque tempestatis magnitudine tanta consilii inopia laborantes, ut nec cœlum, nec mare, nec terram cernant, verum flentes ac lamentantes in tabulatis jaceant. Atque in mari quidem ita evenire solet: nunc autem in nostro quoque mari gravior procella gravioresque fluctus excitantur. Verum fac Domino nostro Christo supplex sis, qui non arte tempestatem superat, sed nutu solo eam discutit. Quod si precibus ad eum adhibitis nondum tamen exauditus es, ne elanguescas, animumque despondeas; hujusmodi namque benigni illius numinis mos est. Annon tres illos pueros a periculo subducere poterat, ac ne in ignis fornacem inciderent, prohibere? at postquam captivi abducti, atque in barbarorum regionem abjecti, paternaque hæreditate eversi, atque ab omnibus desperati sunt, nec jam ullum mali genus deerat, tum denique Christus, verus Deus noster, repente miraculum edidit,

[1] Cucuso anno 404.

ignemque dissipavit. Ignis enim justorum virtutem minime ferens, e fornace exiliit, atque Chaldæos, quos circum fornacem nactus est, exussit[1]. Ac tum fornax, Ecclesiæ instar ipsis erat : atque res omnes conditas, tam quæ oculis cernuntur, quam quæ ab oculorum sensu remotæ sunt, hoc est Angelos et Virtutes, accersebant, sicque omnia in unum complectentes, his verbis utebantur : « Benedicite omnia opera Domini Domino[2]. » Vides-ne quomodo justorum patientia ignem in rorem commutavit, tyrannique animum ita inflexit, ut per universum orbem litteras mitteret, ad hunc modum loquens : « Magnus » Deus Sidrach, Misach, et Abdenago[3] ? » Ac vide quam atrox supplicium constituit, si quis adversus ipsos aliquid contumeliose dixisset : nempe ut domus ipsius ac facultates omnes diriperentur. Ne igitur animum demittas, ac desperatione frangaris. Nam nec ego, cum civitate pellerer, quidquam horum curabam, verum mecum ipse ita loquebar : Si Imperatrix me exilio mulctare vult, exulem sane : « Domini est terra, et plenitudo ejus[4]. » Si serra de me supplicium capere cupit, dissecer ; Hesaiam pro exemplo habeo. Si me in mare præcipitem dare vult, Jonæ recordor[5]. Si in fornacem conjicere vult, tres pueros habeo, qui eodem supplicio affecti sunt[6]. Si feris objicere, Danielem, qui leonibus objectus est, mihi animo propono[7]. Si lapidibus obruere vult, obruat : Stephanum habeo primum martyrem[8]. Si caput meum accipere vult, accipiat : Joannem habeo[9]. Si facultates meas sumere, sumat : « Nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus » etiam hinc abscedam[10]. » Monet me his verbis Apostolus : « Deus hominis personam non accipit[11] ; » atque his rur-

[1] Dan. III. — [2] Ibid. 57. — [3] Ibid. 95. — [4] Psal. XXIII, 1. — [5] Jonæ. I. — [6] Dan. III. — [7] Ibid. 6. — [8] Act. VII. — [9] Marc. VI. — [10] Job. I, 21. — [11] Galat. II, 6.

sum : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non » essem[1]. » Mihi etiam David arma subministrat, cum ait : « Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et » non confundebar[2]. » Multa adversum me struxerunt : aiuntque me post epulas quibusdam communionem impertiisse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine scribatur, quoniam ecce si quidquam ejusmodi perpetravi, Christus e regno suo me abjiciat. Quod si mihi obstinata mente id objicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu dejiciant, qui cœnatus universam domum baptizavit[3]. Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui Apostolis post cœnam communionem dedit. Quin me quoque cum muliere concubuisse criminantur. Exuite corpus meum, et membrorum meorum mortificationem reperietis. Verum ad hæc omnia facienda livore adducti sunt. At idne omnino, Cyriace frater, animum tuum discruciat, quod illi qui me ex urbe expulerunt, in foro libere volitant, ingensque stipatorum grex eos a tergo sequitur ? Verum recordare Lazari et divitis illius. Annon ille in hoc ævo calamitosus fuit[4] : hic autem voluptatibus ac luxu diffluxit ? Quidnam porro illi paupertas detrimenti attulit ? Annon ut pugil ac victor in Abrahæ sinum delatus est ? Quidnam rursum huic qui in purpura et bysso requiescebat, opes profuerunt ? Ubi lictores ? ubi satellites ? ubi equi aureis frenis insignes ? ubi parasiti, et regia mensa ? Annon tanquam latro vinctus in monumentum abducebatur, nudam animam e mundo efferens ; atque inani voce clamabat, « Pater » Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti » sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior » in hac flamma[5] ? » Quid patrem Abrahamum vocas, cujus vitam non imitatus es ? Ille neminem non domo ex-

[1] Galat. I, 10. — [2] Psal. CXVIII, 46. — [3] Act. XVI. — [4] Luc XVI. — [5] Ibid. 24.

cipiebat : tu ne unius quidem pauperis curam gessisti. Nec vero est quod lugeamus ac collacrymemus, quod is, qui tantis opibus præditus erat, aquæ guttam non est consecutus. Quoniam enim micas pauperi minime largitus est, idcirco ne guttam quidem aquæ accipit. Hyemis tempore misericordiæ sementem non fecit ac proinde ne æstate quidem messem fecit. Quin hoc quoque certo consilio a Domino actum est, ut impiorum pœna, et justorum requies, e regione sitæ sint : nimirum ut sese ipsi mutuo prospiciant atque agnoscant. Tunc enim quilibet martyr tyrannum suum agnoscet, atque item quilibet tyrannus martyrem eum, quem cruciatu affecit. Nec vero hæc a me dico. Audi enim quid Sapientia dicat : « Tunc stabit » justus in magna constantia adversus eos, qui se angustia- » verunt[1]. » Nam quemadmodum is qui fervente sole iter facit, ac siti flagrat, cum limpidum fontem nactus est, ac bibere prohibetur, magno dolore afficitur ; aut rursum quemadmodum cum quispiam ingenti fame affectus, mensæ omni eduliorum genere confertæ assidet ; cæterum a potentiore quodam impeditur, ne mensam attingat, ac cibis fruatur ; gravem dolorem et cruciatum sentit, quod cum mensæ accumbat, epulis tamen gaudere, vel fonti assidens aqua frui nequeat : eodem modo in judicii die impii sanctos viros lætos atque hilares conspicient, nec tamen ipsis regia mensa frui concedetur. Nam etiam Deus, cum de Adamo supplicium sumere vellet, hoc fecit, ut ipse e paradisi regione terram coleret : quo videlicet in singulos dies ac singulas horas jucundum illum et expetendum locum, unde excesserat, propiciens, perpetuum animo dolorem hauriret. Quod si hic etiam nobis mutuo congressu frui non licuit, at nemo illic obstabit quin tum una degamus, eosque, a quibus in exilium ejecti sumus,

[1] Sap. v, 1.

videamus, ut Lazarus divitem, et Martyres tyrannos. Ac proinde animum ne desponde, verum hanc Prophetæ vocem in memoriam revoca : « Nolite timere opprobrium » hominum, et contemptum eorum ne metuatis. Sicut » enim lana a tinea rodentur, et sicut vestimentum vete» rascent[1]. » Illud etiam animadverte, quomodo Dominus hoc est is qui mundum continet, statim ab incunabulis exagitabatur, atque in barbarorum terram ejiciebatur : quo nos scilicet exemplo suo moneret, ne in tentationibus animis frangamur. Salvatoris passio tibi in animo versetur, nempe quot contumeliis ipse nostra causa affectus sit. Alii enim eum Samaritanum vocabant, alii arreptitium, et helluonem, et falsum Prophetam. Aiebant enim : « Ecce » homo vorax et potator vini[2]. » Et : « In principe dæmo» niorum ejicit dæmonia[3]. » Quid cum eum ducebant ut præcipitio necarent, et cum ipsius faciem conspuebant? Quid cum chlamydem ipsi imponebant, ac spinis ipsum coronabant, atque ad ipsius pedes ludibrii causa se abjiciebant, nec ullum irrisionis genus in eo prætermittebant? Quid cum alapis ipsum cædebant? cum acetum et fel bibendum ei dabant? cum arundine ipsius caput feriebant, cum sanguinarii illi canes eum huc atque illuc trahebant? quid cum ad mortem nudus ducebatur, omnesque discipuli eum deseruerant, atque unus ex ipsis eum prodiderat, alter negaverat; alii fugam inierant, solus ipse in media illa turba nudus stabat? Festus quippe dies erat, omnes tunc in unum cogens. Quid, cum tanquam nocens et facinorosus inter facinorosos cruci affigebatur, ac posteaquam e cruce demissus est, tandiu inhumatus jacuit, quoad, ut sepultura donaretur, a quodam postulatus est? Recordare eum funere non elatum esse, improbumque sermonem adversus eum disseminatum

[1] Isaï. v 17. — [2] Luc. vii, 14. — [3] Matth. ix, 34.

fuisse, nimirum eum a Discipulis suis surreptum fuisse[1], nec resurrexisse. In mentem veniant Apostoli, qui et ipsi undecumque vexabantur, ac latebras quærebant, quod in urbibus palam versari non possent: quonam pacto Petrus apud Simonem coriarium delitescebat[2], et Paulus apud mulierem purpurariam, quoniam de divitum erga se animo dubitabant. At postea omnia ipsis plana et facilia fuerunt. Ad eumdem igitur modum tu quoque animum ne dejicias. Allatum autem ad me est de deliro illo Arsacio, quem Imperatrix in throno collocavit, eum fratres eos omnes, qui cum ipso communicare recusabant, afflixisse: et multos ex ipsis mei causa in vinculis diem vitæ extremum clausisse. Siquidem lupus ille, ovis speciem præ se ferens, etsi Episcopi larvam gerat, adulter tamen est. Ut enim mulier adultera vocatur quæ vivente viro alteri nubit: eodem modo hic quoque adulter est, non carnis, sed spiritus, me enim vivente Ecclesiæ thronum invasit. Atque hæc tibi e Cucuso scripsi, quo videlicet Imperatrix ablegari me jussit. Multæ porro mihi in via calamitates contigerunt: verum nihil ejusmodi mihi curæ fuit. Ut autem in Cappadociam, atque etiam in Tauro-Ciliciam venimus, magno agmine sancti patres, ac monachi, et virgines obviam nobis prodibant, infinitam lacrymarum vim profundentes. Cumque nos in exilium abeuntes cernerent, in fletus prorumpebant, hisque inter se verbis utebantur: Satius fuisset solem radios suos subtrahere, quam Joannis os conticere. Hæc me perturbabant ac premebant: quoniam omnes mea causa plorantes intuebar. Nam cætera omnia, quæ mihi oborta sunt, nulla me cura affecerunt. At vero urbis hujusce Episcopus perquam humaniter nos excepit, tantamque erga nos charitatem præ se tulit, ut etiam, si fieri potuisset,

[1] Matth. XXVIII. — [2] Act. IX, 43. — [3] Ibid.

throno quoque suo nobis cessurus fuerit, nisi nobis cavendum fuisset, ne præscriptum limitem excederemus. Quamobrem te rogo, ac velut genibus tuis advolutus obtestor, ut mœrorem et luctum abjicias, ac pro nobis apud Deum memor sis, nobisque rescribas.

EPISTOLA CXXVI[1].

Rufino presbytero.

Phæniciæ mala rursum exarsisse, ac gentilium furorem auctum esse accepi: compluresque Monachos partim vulneribus affectos esse, partim etiam mortem obiisse. Ideo majorem in modum te urgeo, ut quam celerrime te ad iter accingas, atque in acie stes. Certum enim habeo fore, ut si preces, et lenitatem, et mansuetudinem, et tolerantiam, et patientiam, eamque quam soles animi fortitudinem adhibueris, vel aspectu solo adversarios in fugam conjicias, ipsorumque furorem extinguas, atque eorum qui nostras partes tuentur, animos recrees, multaque bona efficias. Quare ne cuncteris, nec procrastines; sed majori celeritate utaris, teque hæc, quæ a me commemorata sunt, alacriorem reddant. Etenim si conflagrantem domum vidisses, non profecto recessisses, verum majorem etiam festinationem adhibuisses, quo flammam anteverteres, atque tum per te, tum per alios, quidvis egisses, ut malum extingueres. Eodem ergo modo nunc quoque quoniam ejusmodi incendium excitatum est, fac sine ulla mora illuc proficisci mature: atque omnino aliquid læti continget, magnumque his incommodis remedium affere-

[1] Cucuso anno 406.

tur. Sane, cum omnia quieta et tranquilla sunt, nec quisquam est qui bellum inferat, nonnullos ad pietatem erudire cujuslibet hominis est : at cum diabolus ita furit, ac dæmones arma induunt, forti animo stare, atque et eos qui ab illius partibus stant, eripere, et cæteros, ne in illius manus incidant, impedire, hoc strenui viri est, hoc animi vigilantis, hoc sublimis tuæ et experrectæ mentis, hoc sexcentis coronis ac præmiis omni sermone præstantioribus dignum, hoc denique Apostolicum facinus. Illud igitur cum animo tuo reputans, tempus istud adipiscendæ gloriæ tibi occasionem, atque infiniti quæstus et emolumenti materiam esse, cura, obsecro, ut tantas opes arripias, ingentique celeritate utaris : atque quamprimum illuc veneris, ad nos scribas. Nam si vel hoc audierimus, te Phœniciæ fines attigisse, jam sine cura erimus, requiescemus, in securitate degemus. Nam quæ hinc consequentur scimus: nimirum ut generosus ac rei bellicæ peritus imperator, sic tu omnia peragrabis, jacentes excitans, stantes confirmans et constabiliens, errantes in viam reducens, perditos requirens et inveniens, universas diaboli copias concidens. Est enim mihi perspecta, mihi, inquam, perspecta est animi tui vigilantia, mentis tuæ cura et sollicitudo, sagacitas, concinnitas, comitas, fortitudo, robur, constantia. Quare quam sæpissime velim ad nos scribas : atque etiam, priusquam in Phœniciam perveneris, ex itinere frequentes ad nos litteras mittas, siquidem nunc quoque miratus sum te, cum dominus meus reverendissimus ac religiosissimus Theodotus presbyter huc venit, nihil ad nos litterarum dedisse. Quocirca ne rursus eo nomine dolorem concipiamus, quod nullas abs te litteras accipiamus, si fieri potest, ex singulis etiam mansionibus ad nos scribe, ut quantum viæ processeris, et num jam ab iis oris haud procul sis, intelligamus. In magna enim cura et sollicitu-

dine sumus: atque hæc quotidie scire cupimus. Quæ cum noris, reverendissime domine, hoc mihi pro summo beneficio concede, ut ante discessum tuum, atque etiam post discessum, crebras litteras mittas, curesque ut omnia sciamus: quo si res prosperum cursum teneant, gaudio ac voluptate afficiamur: sin autem impedimenta objiciantur, omni ratione ac studio ea de medio tollere nitamur. Neque enim ante conquiescemus, quam, et per nos, et per alios, si fieri possit, hoc effecerimus, etiamsi millies vel in urbem Constantinopolitanam mittere necesse sit, quo omnia tibi valde prona reddamus; ne id quidem facere recusabimus. Hæc igitur cum tibi nota sint, quæ tui muneris sunt nobis præsta, vigilantiam ac diligentiam. Quod si fratres etiam mitti oportere putes, id quoque fac sciam. De sanctorum vero martyrum reliquiis sine cura esto: confestim enim religiosissimum dominum meum presbyterum Terentium, ad dominum meum piissimum Otreïum Arabissi episcopum misi. Nam ipse, et multas et minime dubias habet, quas paucis diebus in Phœniciam ad te mittemus. Quare da operam, ne officio tuo ulla ex parte desis. Nam quæ nostri muneris sunt, quanta cum animi promptitudine præstemus, vides. Festina itaque, ut ante hiemem Ecclesias, quæ sine tecto sunt, perficere queas.

EPISTOLA CXXVII [1].

Polybio.

Alius fortasse intolerandum hujus regionis frigus, vastam loci solitudinem, acerbissimum denique morbum;

[1] Anno ut putatur 406.

hinc enim in morbum incidimus; luxisset ac deplorasset: ego autem his omissis disjunctionem vestram lugeo, quæ mihi, et solitudine et morbo, et hieme est acerbior. Quam acerbitatem hiems quoque mihi auxit. Nam quod unum molestissimæ disjunctionis solatium suppetebat, hoc est ut vobiscum per litteras colloquerer, hoc quoque hiems exorta mihi ademit: ut quæ ob ingentem nivis vim vias intercluserit, ac neque aliunde quemquam huc venire ac nobiscum congredi, neque item hinc excedere, atque ad vos proficisci sinat. Quod et ipsum haud minus, imo etiam magis Isaurorum terror efficit, nobisque solitudinem auget, omnes videlicet submovens, atque in fugam conjiciens, exulesque reddens. Neque enim jam quisquam ullus est, qui domi manere audeat: verum unusquisque relictis ædibus suis profugit. Atque urbes quidem, parietes et tecta nunc sunt: præruptæ autem voragines et sylvæ, urbes. Quemadmodum enim truculentæ feræ, ut pardi ac leones, tutiorem urbibus solitudinem sibi esse existimant: sic etiam homines qui Armeniam incolimus, quotidie ex aliis atque aliis locis in alia atque alia loca migrare cogimur, vitam Hamaxobiorum et Nomadum agentes, nec usquam fidenti animo consistentes: usque adeo hic omnia tumultu et perturbatione plena sunt. Etenim illi alios adventu suo jugulant, exurunt, atque ex liberis servos efficiunt; alios autem sparso rumore in fugam vertunt, atque urbibus pellunt, imo, ut rectius loquar, occidunt. Quotquot enim adolescentes mediis etiam plerumque noctibus, ac frigore omnia obdurante, repente domo profugere coacti sunt, metu rumoris eos fumi instar abigente; atque ad mortem oppetendam ne Isaurico quidem gladio opus habuerunt, verum in nive obrigescentes extremum spiritum ediderunt: quæque ipsis fugiendæ mortis causa fuerat, eadem illis acerbissimæ mortis causa fuit: en quo

statu res nostræ sint. Quæ quidem non diximus, ut te in mœrorem conjiciamus; scio quippe hæc tibi dolori fore; verum ut diuturni silentii nostri causam aperiamus, quidque causæ fuerit cur sero ac tarde ad te scripserimus. Ita enim ab omnibus relicti sumus, ut nec aliquem, qui istuc proficisceretur, nancisci potuerimus, verum nobis Presbyterum contubernalem nostrum excitare, atque ad te mittere necesse fuerit. Quapropter cum eum, ut te dignum est, exceperis, celeriter ad nos remitte, qui de tua valetudine læta nobis nuntiet. Scis enim quanto nobis studio sit hoc scire.

EPISTOLA CXXVIII [1].

Mariniano.

Cæteris omnibus mortalibus hoc nomine ver jucundum et suave est, quod terræ faciem floribus exornat, atque in prata convertit: mihi autem eam ob causam, quia magnam mihi facultatem præbet cum familiaribus meis per litteras versandi. Ac quidem oculis vos coram perspicere cuperem: quoniam autem id minime licet, quod licet promptissimo animo facio, ut vobiscum per litteras colloquar. Nec vero nautæ ac remiges pari animi voluptate maris terga sulcant, cum illa anni tempestas exorta est, atque ego calamum et chartam et atramentum in manus sumo, cum ad vos scripturus sum. Etenim hiemis tempore, cum omnia frigore concrescerent, atque incredibilis quædam vis nivium omnes vias intercluderet, nec quispiam aliunde ad

[1] Arabisso anno 406.

nos venire, nec rursus hinc alio proficisci sustinebat. Ea de causa nos hujus loci domunculis, quemadmodum carcere inclusi, atque tabellariorum penuria, non secus ac quibusdam linguæ catenis, vincti, quamlibet inviti, diuturno silentio utebamur. Posteaquam autem tempus jam itinera patefecit, nobisque linguæ vinculum fregit, Presbyterum cum quicum mihi vitæ consuetudo est, hinc ad vos misimus, ut qua valetudine sitis, intelligamus. Cum igitur hunc, ut te, domine mi summopere admirande, dignum est, susceperis, atque pro eo atque charitas tua postulat, perspexeris; cum ad nos redibit, velim de tua valetudine nos certiores facias. Scis enim quam de ea aliquid scire studeamus.

EPISTOLA CXXIX [1].

Marciano et Marcellino.

Quam præclarum hoc par vestrum est, quamque nobis carum: non modo naturæ lege, sed etiam acerrimi amoris catena colligatum! Ob idque de amicitia vestra gloriamur, et exultamus, coramque vobiscum congredi, ac vos videre cupimus. Quoniam autem id nunc minime licet, quod licet facimus, sæpe scribimus, vestri memores perpetuo sumus, animo vos, quocumque in loco simus, circumferimus ac ne ob itineris quidem longinquitatem a vestra suavitate ullo pacto disjungimur. Hujusmodi quippe charitatis penna est; ut et viam omnem et intervallum omne facile trajiciat, nec ullum incommodum sit, quod non superet,

[1] Cucuso anno 404.

Ideo nos quoque etsi alioqui multis calamitatibus affecti, nimirum solitudine, obsidione, assiduis prædonum incursibus, nihilo tamen in vestri amore segniores sumus: verum nostram erga vos benevolentiam perpetuo florentem retinemus. Quamobrem vos rogamus ut de vestræ valetudinis statu sæpius nos certiores per litteras faciatis. Neque enim vobis dubium est, quantam in hac solitudine consolationem hinc accepturi simus.

EPISTOLA CXXX [1].

Casto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, Antiochiæ Presbyteris.

Vehemens et violenta quædam res est charitas, ac molesto creditore quovis violentior. Neque enim illi eos qui pecunias debent, ita præfocant, ac debitum exigunt, ut vos charitatis catenam injicientes ad epistolas persolvendas nos urgetis, etiamsi alioqui hoc debitum persæpe jam a nobis sit solutum. Verum ea hujusce debiti natura est, semper solvitur, semperque debetur. Ideoque vos ne quidem acceptis litteris, satiari potestis. Nimirum illud etiam charitas habet, ut plura semper appetat: ac mare imitatur, quod licet amnes undecumque in ipsum influant, non tamen impletur. Eadem quippe aurium vestrarum amplitudo est: ex quo efficitur, ut quo plura in eas injecerimus, eo etiam majoris vestræ erga nos benevolentiæ flammam excitemus. Quamobrem ne existimetis, nos, quod de vestra amicitia quædam suspicio animum nostrum te-

[1] Cucuso anno 405.

tigisset, brevi hoc temporis spatio siluisse. Nam si qua suspicio nos incessisset, sæpius ad vos litteras dedissemus. Quemadmodum enim qui optima valetudine sunt, medici opem non desiderant : eodem modo ignavi ac dejecti homines multis remediis opus habent. Quocirca si vestrum erga nos animum claudicare sensissemus, non neglexissemus ea adhibere quæ ipsum inflammare possent. Quia vero admodum vobis fidimus, probeque scimus, sive litteras a nobis accipiatis, sive secus, vos affectum erga nos firmum, immotum, vigentem perpetuoque florentem servare, idcirco ad eam rem minime necessarias epistolas nostras esse ducebamus : verum ad hoc duntaxat, ut debito benevolentiæ munere fungeremur. Nam nunc quoque non necessitate ulla impulsi, sed amicitia adducti scribimus. Quod enim, etiam si multæ variis e locis tempestates oriantur, atque innumeri fluctus excitentur, nullo tamen vos detrimento afficere atque in mœstitiæ procellam conjicere queant, superius tempus abunde planum fecit. Ac proinde, non ut solatium vobis afferamus ; neque enim consolatione nostra egetis, hæc scribimus : verum ut intelligatis nos gaudio exultare, ac lætari, quod tantam ex tanto locorum intervallo charitatem vestram obtineamus. Quoniam autem scio magnæ vobis lætitiæ esse, quo statu res nostræ sint, intelligere, scitote nos stomachi imbecillitate liberatos esse, atque valere, ac nec obsidione, nec latronum incursionibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum adversorum casuum turba, nec denique ullo alio hujusmodi incommodo dejici et conturbari ; verum securitate, otio, ac quiete frui, ac singulis diebus de rerum vestrarum statu in cura esse, deque his ad eos qui ad nos accedunt sermonem habere. Nam hoc veri amoris natura facit, ut ii qui nobis cari sunt, semper in ore nostro ac lingua versentur. Quod etiam in nobis propterea usu venit, quia valde ama-

mus : idque ipsi nostis. Hæc igitur omnia vobiscum reputantes, ne existimetis nos in nostro erga vos officio et benevolentia temporis progressu segnes ac negligentes redditos esse. « Charitas » enim « nunquam excidit[1] : » nec, tametsi alioqui longum tempus fluxerit, tametsi longiori adhuc, quam nunc, itineris intervallo inter nos dirimamur, interrumpi et oblitterari potest, verum magis ac magis floret atque augetur.

EPISTOLA CXXXI[2].

Elpidio Episcopo.

Non contemptu tui, nec incuria, superiori tempore siluimus : verum res adversæ, quibus undique obsidemur, diuturnum hoc silentium effecerunt. Neque enim certo ulio loco defixi sumus, verum nunc Cucusum, nunc Arabissum, nunc valles, ac prærupta desertaque circumimus. Usque adeo cuncta tumultibus ac perturbatione plena sunt, flammaque et ferrum, tam corpora, quam ædificia omnia conficit. Ac jam etiam urbes una cum viris omnibus funditus excisæ sunt, novisque quotidie rumoribus perculsi sedes mutamus, grave quoddam ac novum exilii genus perpetientes, mortemque in dies expectantes. Nam ne castello quidem, perinde atque carcere, nunc inclusi, fidenti animo esse possumus : propterea quod Isauri ejusmodi arces obsidere non dubitent. Ad hæc gravis etiam morbus accessit : cujus nunc ægre acerbitate depulsa, reliquias adhuc circumferimus, et quemadmodum in insulam quamdam non navigabili mari circumfusam relegati, eodem

[1] 1 Cor, XIII, 8. — [2] Anno 404.

modo neminem fere ulla ex parte cernere possumus, quod via omnis tumultuum metu interclusa sit. Quamobrem abs te peto, reverendissime ac religiosissime mi domine, ut mihi ignoscas; scis enim quas tibi jampridem, atque ab initio amoris et benevolentiæ significationes dederim; nec pro nobis Deum precari intermittas. Nam quod, si homines qui imperio tuo pareant, facile nancisci queas, nihil submonitore ad eam rem opus habiturus sis, ut de tua valetudine quam creberrime ad nos scribas, equidem confidimus. Ac nos item, si hæc pericula conquiescant, atque ex hoc carcere prorepere, et ab hac obsidione, in qua nunc sumus, nos ipsos aliquantum recreare ac reficere queamus, nullum tempus omittemus, quin ad te scribamus. Hoc enim facientes, quam maximo nos ipsos beneficio afficiemus.

EPISTOLA CXXXII.

Gemello.

Papæ, quanta res est generosus et fortis animus, qui voluptatem ac securitatem non aliunde, verum domi atque a se ipso percipit : quodque mirabile est, ab iis rebus quæ multorum opinione horrendæ ac periculosæ sunt. Nam non modo non perturbari ac discruciari, cum quibusdam odio sis, verum etiam hoc nomine gloriari, neque gloriari solum, sed etiam eos qui te oderint, miserari, atque ut meliorem mentem induant, probique efficiantur, expetere, cujus tandem prudentiæ, cujusque philosophiæ est? Ac propterea te, cum primis admirande et magnifice domine,

laudibus afficimus ac suspicimus : propterea, inquam, nos quoque magnopere exultamus, ob tuam amicitiam, tanquam ob splendidam coronam gloriantes. Quoniam autem preces quoque a nobis per litteras exposcis, velim intelligas, nos ne ante has quidem litteras vota facere destitisse, ut animam usque adeo magnam et philosophicam sacris initiari, ac sacrosanctis illis tremendisque mysteriis donari conspiceremus. Ac si nobis lætum hujusmodi nuntium accipere liceat, jam et hoc exilio liberati erimus, et solitudinis memoriam deponemus, et corporis imbecillitate, cum qua nunc nobis certamen est, solutos nos esse ducemus. Nec vero illud nobis dubium est, vir admirande, quin nostra opera arcana hæc bona consequi studeas et concupiscas. Quod etiam, ut ipse nosti, nobis quoque studio atque cupiditati est. Verum si a nobis mora aliqua interveniat, huic tamen rei ne mora afferatur, cura. Omnino enim, etiam si ipsi abfuerimus, homines nobis amicissimi non defuturi sunt, qui te ad hæc mysteriorum initia deducere queant. Quod si contingat, eadem voluptate afficiemur, qua afficeremur, si cœlestis hujus beneficii largitioni administram ipsimet operam præbuissemus, quandoquidem etiam eadem est gratia.

EPISTOLA CXXXIII[1].

Adoliæ.

Quid ais? Rursum insidias luges, gravibusque calamitatibus affectam te esse inquis? Quid autem obstat, quæso, quin in tranquillum portum te conferas, atque his omni-

[1] Cucuso anno 404.

bus fluctibus libereris? Annon hæc tibi semper occinebam, nec tamen unquam mihi obtemperandum duxisti? Quin potius ipsa quoque tibi ab hujusmodi negotiorum luto sexcenta mala accersis, in cœnum perpetuo illabens; ac nobis, dum hæc pateris, crebros ac perpetuos mœrores affers. An me levi mœrore affici censes, cum ea audivi, quæ ad me scripsisti, nimirum te a propinquis, vel potius alienis, ipsis enim tuis verbis utar, proditam esse, gravesque tragœdias pertulisse? Quousque fumo assides, et clarum animi oculum turbas? Nunquam ne te ab hac acerbissima servitute in libertatem vindicabis? Quid autem impediebat, quominus huc venires, nosque de his rebus consilium una caperemus? siquidem scribis te nunquam horum sensum ullum capturam fuisse, si id contigisset. Magna admiratione ac stupore teneor, neque ullam aliam causam tam diuturnæ tuæ a nobis absentiæ reperio, quam negligentiam ac pigritiam. Nam et exiguo itineris intervallo divellimur, et anni pars ad peregrinandum perquam idonea est, ut quæ nec frigore, nec æstu molesta sit. Verum rursus fortasse, quæ tibi omnium malorum parens existit, hoc est rerum hujusce vitæ cura, eadem nunc quoque tibi impedimentum affert. Ego vero si venias, ingentem gratiam habiturus sum; si non venias, non propterea te accusabo, ac moleste feram: verum eam quidem charitatem, quam semper tibi præstiti, integram ac florentem retineo. Illud autem iniquo atque acerbo animo fero, cum te innumeris negotiis implicitam teneri, ac sexcentas curarum hujusce vitæ sarcinas circumferre audio. Ac nisi me exilii necessitas, tanquam compedibus astrictum teneret, tibi negotium non facesserem, verum, etiamsi graviore adhuc, quam qua nunc sum, corporis imbecillitate laborarem, ipse sane ad te excurrissem, neque prius quidvis agere ac moliri destitissem, quam te ex hac tempestate atque innu-

merorum malorum cœno et colluvie extraxissem. Quoniam autem id minime licet, cuperem sane te huc venire, ac de his rebus ad nos referre. Quod si nec istud proclive est, verum difficile, per litteras te monere atque hortari non desinam, ut tu funes ac nexus præcidas, animæque compedes effringas, magnaque cum facilitate et libertate gradiaris. Hac enim ratione non modo hujus vitæ lætitiam consequeris, sed etiam cœlum facili negotio accipies. Quamobrem da operam, ut quæ aliquanto post, cum hinc migrandum erit, invita relictura es, ea sponte in æraria ab omni latronum injuria libera et immunia præmittas, ac per ea immortales, nec unquam marcescentes coronas tibi præcondas.

EPISTOLA CXXXIV [1].

Diogeni.

Permagno, domine mi admirande, istud emissem, ut mihi suavitatem tuam videre liceret. Idque etiam ipse ante litteras nostras exploratum habes : quandoquidem tibi quoque meus erga te amor perspectus est. Quoniam autem id minime licet; nam et longum inter nos iter interjectum est, nec nostri quidem arbitrii est, quo libeat, nos conferre : ac denique Isauricarum incursionum quotidie metus ingravescit ; abs te peto, ut, quod maximum nobis tum hujusce solitudinis, tum ærumnarum omnium et calamitatum solatium est, quam sæpissime a te litteras accipiam, quibus de tua totiusque domus tuæ valetudine certior fiam : id velim, si facultas detur, quam sæpissime nobis

[1] Cucuso anno 404.

concedas. Neque enim facile est nos istud copiose obtinere, quod haud facile quisquam isthinc ad nos veniat. Cæterum, etsi arduum est quod petimus, tamen quoad ejus fieri poterit, velim des operam, ut crebras ad nos litteras mittas, quæ nobis valetudinis tuæ statum exponant. Ut autem, quid ipsi quoque geramus, intelligere queas, otio atque ingenti quiete fruimur, magna tranquillitate, ac mediocri corporis sanitate. Hoc unum animum nostrum conturbat, quod a vobis, a quibus amamur, sejuncti sumus. Verum potest tua prudentia, ea ratione, quam diximus, huic quoque malo solatium adhibere. Quocirca hoc nobis, quæso, beneficium da : quo, licet tanto abs te intervallo semoti, tamen dulcem ac ferventem et sinceram tuam charitatem pro deliciis habeamus.

EPISTOLA CXXXV[1].

Theodoto diacono.

Nec me quidem hoc fugit, te pridem ad nos venturum fuisse, nisi Isaurorum metus vias tibi præclusisset. Nam cum omnibus frigore rigentibus, atque in tanta nivium vi, huc accurrere minime dubitaris, multo sane minus exorto vere, ac cœlo ingenti tranquillitate prædito, istic manere sustinuisses. Siquidem animi tui suavitatem et comitatem, ardoremque ac sinceritatem, eamque quæ in te summa est, ingenuitatem novi. Eaque de causa non vulgari mœrore afficior, te in tam suavi et amœna anni parte non parvam nobis mœstitiæ tempestatem accersere, dum tandiu a nobis abes. Idque non eo commemoro, ut te huc,

[1] Arabisso anno 406.

etiamsi millies id velis, pertraham; multis enim bellis omnia hic flagrant : idque ex iis qui ex his locis istuc se conferunt, scire poteris : verum ut intelligas, nos, etsi alioqui magna quiete atque otio fruimur, hic tamen sine mœrore esse non posse, dum a te disjuncti sumus : hocque ipse intelligens, quam sæpissime ad nos scribas, non modo per eos qui hinc ad vos proficiscuntur, sed etiam per eos qui istinc ad nos veniunt. Magnam autem tibi, reverendissime mi domine, ob eam curam et sollicitudinem, in qua propter hujusce regionis tumultus versaris, gratiam habemus. Etenim obsidio nostra in dies ingravescit, atque in hac arce, tanquam in laqueo, desidemus. Quippe jam etiam media nocte præter spem omnem et expectationem trecentorum Isaurorum agmen oppidum percursavit, peneque nos cepit. Verum Dei manus confestim eos, nobis etiam nihil tale sentientibus, hinc avertit : ita ut non modo periculo, sed etiam metu vacui essemus, ortoque die tum denique, quod contigerat, resciverimus. Quæ cum ita sint gaude ac lætare, Deumque indesinenter ora, ut nos in omni securitate constituat, atque urgente morbo liberet. Quamvis enim jam extra periculum simus, tamen morbi reliquiæ adhuc hærent, morbi memoriam mihi perpetuo refricantes. Hæc autem non eo animo scripsimus, ut tibi mœrorem afferamus, sed ut te ad preces studiosius pro nobis ad Deum adhibendas excitemus. Dominum meum honoratissimum lectorem Theodotum pietati tuæ commendamus : atque abs te petimus, ut pro virili tua omnibus in rebus ei portus loco sis. Multa enim esse animadverti, quæ eum mœrore afficiant.

EPISTOLA CXXXVI[1].

Theodoto lectori.

Nihil est, quamobrem eo quod maturius hinc abscesseris, excusationem quæras, ac tum ad oculorum infirmitatem, tum ad vim frigoris confugias, iisque discessum tuum adscribas. Nos enim te, non minus quam antehac, adesse ac nobiscum versari censemus, ex charitate videlicet id perpendentes. Quinetiam spem habemus fore, ut aliquando congressu tuo fruamur. Quocirca nihil te horum conturbet. Quamvis enim hiems te ab Armenia abduxerit, minime tamen ex animo nostro ejecit, utpote quem mente semper nobiscum circumferamus. Ac nisi Isaurorum bellum interclusis omnibus itineribus in tabellariorum penuriam nos adduxisset, frequentissimas ad te litteras misissemus. Nunc autem, lingua quidem superiori tempore tacuimus; animo autem, non item : verum te semper tuasque res sedulo curamus, et quantum in nobis fuit, sæpissime scripsimus. Quæ cum ita sint, velim ita existimes, te nobiscum esse, unaque in Armenia commorari. Quod si quis tibi insidias struere, teque incommodo aliquo afficere conetur, da operam, ut hujusmodi omnia tela superes : quandoquidem non injuria affici, sed injuriam inferre, miserum ac perniciosum est. Nos quippe hoc etiam nomine impensius te admiramur, animique tui firmitatem ac fortitudinem laudamus, quod tanta tempestate circumfusus, tumultibus tamen iis, qui hinc exorti sunt, superiorem te præbuisti. Quamobrem magna cum voluptate

[1] Arabisso anno 406.

tranquillum hoc placidumque pelagus navigare perge. Nec vero mireris, quod, cum multas insidias memores, ego tamen tranquillum pelagus appellem. Neque enim a perturbantium animo et studio, sed ab ea quiete, quam tibi virtus parit, hanc sententiam fero. Quid autem sibi vult illud quod dico? Magna hæc et sublimis vita, atque ad cœlum porrecta, si rerum natura spectetur, molesta quodammodo esse videtur: si autem eorum, qui eam sequuntur, fortitudinem animique alacritatem spectes, perquam facilis efficitur. Quodque in hac philosophia mirabile est, furente mari prospere magnaque cum tranquillitate navigat, qui sincero ac ferventi animo eam consectatur: multisque undique tumultibus excitatis puram quietem carpit, atque innumeris omni ex parte conjectis telis illæsus stat: tela nimirum excipiens, nihil autem hinc detrimenti ferens. Hæc igitur cum tibi explorata sint, et tu hæc commentari non intermittas, perpetuam voluptatem percipe, constitutas tibi pro præclaris hisce laboribus apud Deum coronas expectans. Atque quam sæpissime licuerit, de animi corporisque tui valetudine nos fac certiores: idque omne otium, quod tibi suppetit, in divinarum Scripturarum lectione consume: tantum ipsis temporis impertiens quantum oculorum imbecillitas permittit: quo videlicet, si quando occasio sese offerat, ut earum quoque sensa nobilissimo animo tuo inserere commode possimus, magna cum facilitate id faciamus. Neque enim ad eam rem tibi parum adjumenti afferre poterunt ipsæ litteræ, cum sensa, quæ in iis delitescunt, suscipere parabis.

EPISTOLA CXXXVII[1].

Thcodoto diacono.

Tarditatis ac negligentiæ nos accusare desine : ne te ipsum prius ejusdem criminis reum peragas. Nam cum tot epistolas, quot scripsisti, a nobis acceperis, una duntaxat cxcepta, tamen perinde ac si plurimas a te litteras accepissemus, his verbis usus es, te frequentibus litteris nos ad scribendum excitaturum. Quanquam autem fieri potest, ut quispiam amet, etiamsi non scribat : ego tamen nec scribere destiti, nec amare desino. Atque ut etiam tempus illud, quod a digressu nostro fluxit, longius adhuc protrahatur, atque in desertiorem adhuc locum deportemur, tamen nec te ex animo nostro ejicere possumus, nec efficere, quin nostram erga te benevolentiam perpetuo florentem conservemus. Hæc cum scias, de tua valetudine quam sæpissime ad nos scribe. Id enim tibi factu facilius est, quam nobis. Quod si anni tempus, atque Isauricorum malorum acerbitas id prohibeat, cum nobis tuus erga nos animus exploratus sit, abunde amplam diuturni silentii consolationem habituri sumus.

[1] Anno ut putatur 406.

EPISTOLA CXXXVIII[1].

Elpidio Episcopo.

Non sum nescius, me raro ad te scripsisse: at non id lubenti animo, verum quod rerum angustiis prohiberer. Nam et anni tempus, et loci, in quo gravius quam in ullo carcere conclusi tenemur, solitudo, et eorum, qui huc veniunt, infrequentia, quodque item hos paucos non omnes sinceros ac fidos nanciscimur, ac denique corporis morbus, qui nos vehementer attrivit, et pene confecit, ac per totam hiemem lecto affixit, longum hoc silentium mihi attulit: at illud duntaxat silentium, quod in lingua, non in animo consistit. Nec vero existimes te tot solum epistolas, quot misimus, accepisse, verum multo plures. Id autem esse existimabis, si non eas duntaxat, quas chartæ atque atramenti ope scripsimus, sed eas etiam, quæ ab animo et voluntate proficiscuntur, numeres. Siquidem animo nunquam ad te scribere destitimus, semperque tecum versamur: ac nec viæ longitudo, nec temporis diuturnitas, nec rerum difficultates, nostræ erga te benevolentiæ obscuritatis aliquid attulerunt. Verum florentem eam perpetuo retinemus, teque qui nostri amore ardes, etiamsi in desertiorem adhuc locum abeamus, in animo nostro insculptum passim circumferemus. Ea enim sinceri amoris natura est, ut nec tempore, nec loco, nec viæ longinquitate, nec rebus adversis oblitteretur. Idque ipse quoque nosti: quandoquidem etiam sincere amare nosti.

[1] Cucuso anno 405.

EPISTOLA CXXXIX [1].

Theodoro Syriæ consulari.

Tu quidem istud maximo argumento tibi fore ais, res tuas nobis curæ esse, si post superiorem epistolam alteram rursus a nobis acceperis. Nos autem si homines, qui ad eamdem rem nobis operam navarent, præsto haberemus, ad te, hoc est ad hominem tanta probitate ac morum facilitate præditum, nostrique amore flagrantem, tantaque cum cupiditate epistolas nostras accipientem, sexcenties scripsissemus. Quoniam autem id minime licet, abs te postulamus, ne charitatem nostram epistolarum numero metiaris : verum sive taceamus, sive scribamus, quod de ea prius habebas, idem constanter judicium retineas : illud tecum reputans, longioris nostri silentii causam, non pigritiam, sed loci solitudinem esse.

EPISTOLA CXL [2].

Theodoto diacono.

Non parvum in tanta solitudine solatium nobis hoc erat, quod ad tuam suavitatem sæpe scribere poteramus : verum Isaurica mala hoc quoque nobis abstulerunt. Exorto enim vere, illorum quoque impetus florere cœpit, ac per omnes vias effusi sunt, eas omnibus prorsus invias reddentes.

[1] Ab anno 404 ad 407. — [2] Cucuso anno 405.

Sane jam et ingenuæ matronæ captæ sunt, et viri obtruncati. Quare velim mihi ignoscas, quod non frequenter ad te scripserim. Quoniam autem non dubito quin de valetudine nostra certior fieri cupias, scito nos superiori hieme graviorem in modum ægrotasse, nunc autem paulum recreatos esse. Quin etiam aëris inconstantia rursus perturbati; nam nunc quoque hiems hic viget; tamen speramus fore, ut cum æstas plane effulserit, morbi reliquias deponamus. Neque enim corpus nostrum ulla re æque labefactatur, ut frigore : nec rursus ulla re æque juvatur, ut æstate, et caloris solatio.

EPISTOLA CXLI [1].

Theodoto ex consularibus.

Multa tibi bona eveniant, qui tam honorifice filium exceperis. Id enim ipse nobis exposuit, nec occultavit: tum suum erga patrem affectum ostendens, tum nos ingenti lætitia cumulans. Siquidem hac in re duplici nos honore affici censemus, tum quia, quidquid ille beneficii acceperit, idem nobis impensum ferimus, tum etiam quia a litteris nostris hujusmodi benevolentiæ incrementum accepisse contigit. Tu vero, domine mi cumprimis venerande ac nobilissime, pulchram hanc stirpem colere perge. Quænam autem ipsius colendæ ratio erit? Nimirum si pulcherrimæ hujusce philosophiæ, quam nunc consectatur, studium atque amorem perpetuo in ipso alas et vegetes : sic enim celeres fructus nobis feret. Siquidem generosi animi, stirpium harum, quæ terræ gremio man-

[1] Anno forte 406.

dantur, tarditatem non imitari solent: verum simul atque in præclarissima hujus virtutis cupiditate conseruntur, ad ipsum quoque cœlum evehuntur, tantosque fructus edunt, ut et copia, et natura, divitias omnes superent. Neque enim una cum præsenti vita extinguuntur: verum ad futurum ævum nobiscum excedunt.

EPISTOLA CXLII[1].

Elpidio episcopo.

Lingua quidem raro, animo autem ad te persæpe scripsimus, quotidieque tecum versamur. Atque hunc congressum nobis, nec temporis diuturnitas, nec itineris longinquitas, nec rerum adversitas eripere potest. Nam ea charitatis natura est, ut nulli hujusmodi rei cedat, verum stet, omniaque superet. Quamobrem, reverendissime ac religiosissime mi domine, noli epistolarum numero meum erga te amorem ponderare: verum, cum tibi animus meus ac benevolentia, quam pietati tuæ semper præstiti, tibi comperta sit, nihil ob diuturnum silentium sinistri suspiceris. Quandoquidem ne nos quidem, etsi litteras abs te raro acceperimus, propterea segniorem te erga nos redditum fuisse existimamus: verum illud pro certo habemus, nobisque persuademus, te benevolentiam eam, qua nos hactenus complexus es, florentem retinere, atque ob calamitates, quæ nobis assidue inferuntur, non modo non consternari, sed etiam vehementiore erga nos amore allici: ideo ingentem tibi gratiam habemus. Quia

[1] Anno, ut putatur, 406.

autem probe scio te quoque de rebus nostris certiorem fieri cupere, commoda valetudine sumus, ingentique otio et quiete fruimur, atque in securitate degimus, Isauricis nimirum tumultibus liberati. Nam quod ad Armeniæ hyemem attinet, eam jam usu ipso ferre didici. Quanquam enim frigore non nihil offendor, ut solet is qui tam imbecilli corpore præditus sit : superior tamen existo, dum domi me perpetuo, cum frigus sævit, includo, raroque e limine pedem effero. Nam cæteras quidem anni partes ita jucundas ac suaves sentio, ut eum etiam morbum, quem ex hyemis asperitate contraxi, perfacile depellere queam.

EPISTOLA CXLIII [1].

Polybio.

Urbis quidem solo, ac muris et parietibus ejecti sumus : verum ex urbe, quæ proprie hoc nomine gaudet, minime migravimus. Nam si vos urbs estis, sane cum vobiscum atque in vobis perpetuo simus, illud perspicuum est, nos etiam hîc commorantes, urbem illam habitare. Neque enim dubito quin in animis habitemus : ac vicissim quocumque abierimus, vos omnes, qui nostri amore flagratis, animo circumferimus. Hoc porro nos, nec hujus loci solitudinem; est autem totius orbis terræ desertissimus; nec prædonum obsidionem, nam quotidie obsidetur; nec denique famem, quæ hinc ortum trahit, perspicere sinit : quandoquidem corpus hîc defixum est, anima vero apud vos versari non desinat. At quoniam iis, qui hoc

[1] Cucuso anno 404.

animo præditi sunt, corporis quoque præsentia magnopere cara et expectenda est, mœrorque adest, cum ea negatur, id porro minime fieri potest, huic rei maximum remedium affert congressus ille, qui mutuis epistolis comparatur : quo si nobis per vos copiose frui contingat, hac quoque mœstitia liberatos nos sentiemus. Potes enim ipse, domine mi cumprimis admirande, præsentiæ voluptatem per litteras adumbrare.

EPISTOLA CXLIV[1].

Diogeni.

Desertus quidem locus est Cucusus, et alioqui ad habitandum periculosus, ut qui perpetuo latronum metu infestus sit. Tu vero, etiam absens, eum nobis in amœnissimum locum commutasti. Nam cum ingentem tuum zelum, sinceramque ac ferventem erga nos charitatem audimus; nihil enim nobis, quamvis tam longe dissitis, incognitum est; benevolentiam tuam, tanquam amplissimi cujusdam thesauri, ac inenarrabilium divitiarum instar habentes, ita afficimur, ut nobis ipsi in tutissima urbe versari videamur, tanta videlicet lætitia erecti, maximumque hinc solatium capientes. Quo igitur alter insuper nobis voluptatis cumulus accedat, velim litteris quoque nos recrees, quibus de tua valetudine certiores efficiamur. Nam etsi difficile istud est, tum ob viæ longinquitatem, tum quod hic locus a publica via valde semotus sit, tamen homini ita amanti, ut ipse amare nosti, etiam quæ ardua sunt facilia redduntur. Cum igitur animadvertas,

[1] Scripta anno 404.

quantam hujusmodi litterarum frequentia gratiam a nobis initurus sis, hanc quoque lætitiam nobis præbe. Siquidem illud moleste ferimus, quod cum iterum jam ad te scripserimus, tamen ne semel quidem litteras a te accepimus.

EPISTOLA CXLV [1].

Nicolao presbytero.

Cuperem quidem ipse quoque, et quidem vehementer cuperem te videre atque complecti : idque ipse etiam ante nostras acceptas litteras minime ignoras. Nam cum sincero animo amare noris, eos quoque, qui sincero animo amant, agnoscere nosti. Verum quia id non licet, interim, quod licet, facio : scribo, saluto, litteras, quæ nobis valetudinis tuæ statum crebro exponant, postulo. Quamobrem hanc nobis gratiam concede. Nam quanquam ad eam rem hortatore nihil indiges, tamen de hac re te submonere minime desistemus. Neque enim exiguam animi levationem, atque tum solitudinis, tum quotidianorum terrorum, qui ex prædonum incursione nobis oriuntur, tum morbi corporis, adversarumque aliarum rerum consolationem illud nobis allaturum est, si ex vobis, quibus cari sumus, hoc intelligamus, vos firma valetudine esse, omniaque vobis ex animi sententia evenire, etiamsi alioqui sexcentas nobis tempestates commemores. Quî tandem istud? Quoniam nihil impedit, quominus, qui generosi et experrecti atque attenti animi est, etiam in perturbato negotiorum mari feliciter naviget : quemadmo-

[1] Anno circiter 405 vel 406.

dum contra, qui ignavi ac consternati supinique animi est, tranquillo quoque mari perturbetur, atque in tumultu versetur.

EPISTOLA CXLVI[1].

Theodoto, Nicolao, Chæreæ, presbyteris et monachis.

Vos quidem Isaurorum incursionem atque impetum absentiæ vestræ causam esse dicitis : at ego vos et adesse, et nobiscum versari dico, neque hujusmodi rem, quin ad nos veneritis, impedimento vobis fuisse. Nam eæ charitatis pennæ sunt, ut etiamsi sexcenta impedimenta se objiciant, repente tamen ac magna cum facilitate ubique adsit. Quod si corporea vestra præsentia caremus, precari ne intermittite : ac Deus eam pro sua benignitate dabit. Quandoquidem ipse quoque animo vos assidue gerens, congressum vestrum haud vulgarem in modum desidero : neque dubito, quin istud mihi contingat, dummodo eum, qui tempestatem omnem discutere, cunctaque in magnam tranquillitatem adducere potest, obnixe oretis et obsecretis. Ut autem rerum quoque nostrarum statu cognito lætemini, ingenti quiete atque otio fruimur, corpusque nostrum, etsi alioqui multa sint quæ ipsius valetudinem labefactent, satis commode se habet. Quanquam enim et medicorum inopia, et rerum necessariarum penuria (nihil enim hîc venale est, nec medicamenta ulla suppetunt) et cœli intemperies (neque enim æstas nobis minus quam frigus molesta est, ut quæ frigoris acrimo-

[1] Cucuso anno 405.

niam in contrarium imitetur) et gravis ac perpetua obsidio, crebrique Isauricarum incursionum metus, hæc, inquam, omnia, et alia plura sunt quæ valetudinem nostram labefactent: nunc tamen gravi periculo, atque hujusmodi morbo liberati sumus, ac mediocrem quamdam sanitatem obtinuimus. Vos vero operam etiam date, ut ad nos sæpe scribatis, ac de vestra valetudine sine ulla intermissione certiores nos faciatis. Siquidem maximæ levationis, maximique solatii, atque amplissimorum thesaurorum instar, vestram charitatem esse ducimus: ac cum sinceræ vestræ benevolentiæ, animique constantiæ, ac firmæ charitatis nobis in mentem venit; nunquam autem non venit; tanquam in latum quemdam atque tranquillum portum ex multis calamitatibus appellimus.

EPISTOLA CXLVII[1].

Anthemio.

Alii tibi Consulatus atque Præfecturæ nomine gratulantur: ego autem magnificentiæ tuæ causa ipsis quoque magistratibus imperiisque gratulor. Neque enim te ornarunt, verum abs te ornata sunt. Quandoquidem etiam ea virtutis natura est, ut honores non aliunde mutuetur, verum ipsa eos in sese circumferat, nimirum hisce dignitatibus honorem præbens, non autem ipsa ab illis accipiens. Eaque de causa ne amori quidem erga te nostro quidquam nunc adjunximus. Nihil enim tibi amplius accessit; nec nos Præfectum atque Consulem amamus, sed dominum meum suavissimum Anthemium, cum magna

[1] Cucuso anno 405.

prudentia, tum etiam ingenti philosophia refertum. Ac proinde te quoque beatum prædicamus, non quod ad hoc solium evectus sis, sed quia uberiorem prudentiæ tuæ atque humanitatis demonstrandæ materiam accepisti. Atque iis omnibus, quibus injuria fit, gratulamur, latum scilicet animæ tuæ portum intuentes, qui possit innumera naufragia depellere, atque efficere, ut ii, qui in atrocissimam tempestatem inciderunt, ex animi sententia navigent. Propterea exultamus et lætitia diffundimur, imperium tuum commune eorum, qui injuria afficiuntur, festum esse existimantes. Quo etiam nunc ipsi fruimur, ut qui ex virtutum tuarum magnitudine propriam nobis voluptatem fingamus.

EPISTOLA CXLVIII [1].

Cyriaco, Demetrio, Palladio, Eulysio, episcopis.

Beati vos, ac ter beati, sæpiusque beati, ob præclaros hos sudores, certamina, et ærumnas, ac labores et pericula, quæ pro omnibus orbis terræ Ecclesiis subiistis, hincque tum in terra, tum in cœlis gloriam et splendorem consecuti estis. Siquidem homines omnes, qui mentis compotes sunt, vos prædicant, ac coronis ornant, animi vestri robur, fortitudinem, tolerantiam, atque constantiam ad stuporem usque mirantes. Benignus autem Deus, qui laboribus longe ampliora præmia semper constituit, tot tantaque bona vobis rependet, quot quantaque iis a Deo rependi par est, qui pro universi orbis pace tam

[1] Cucuso anno 405.

strenue dimicant. Ideo nos quoque beatos vos prædicare non desinimus, voluptatem ex vestri recordatione perpetuo capientes, vosque, etiamsi alioqui longo itineris intervallo a vobis disjuncti simus, animo circumferentes. Ac Cyriacus quidem reverendissimus diaconus nunc navigare non potuit, quod multo labore confectus esset. At vero domini mei religiosissimus presbyter Joannes, et reverendissimus diaconus Paulus, cum undique vexarentur, nec usquam consistendi ac delitescendi potestas esset, necessarium esse putarunt, ut ad charitatem vestram sese conferrent, isticque vobiscum essent. Quamobrem ipsos cum charitate excipite, eamque, quam par est, benevolentiam ipsis exhibete.

EPISTOLA CXLIX [1].

Aurelio Carthaginis episcopo.

Papæ, quanta res est, generosus animus, atque charitatis ac pietatis fructibus abundans: quippe cum ipse tanto itineris intervallo a nobis dissitus tanquam præsens ac nobiscum degens, nos ceperis, tibique devinxeris. Siquidem charitatis tuæ ardor, eaque odoris suavitas, quæ ex tua loquendi libertate ac pietate manat, ad nos usque, qui in extremo orbis recessu collocati sumus, penetravit. Propterea ingentes tibi gratias agimus: propterea, inquam, te beatum prædicamus, quod cum magnum laborem ac sudorem pro omnibus orbis terræ Ecclesiis susceperis, maximas tibi apud benignum Deum coronas condidisti.

[1] Anno 406.

Teque hortamur, ut in hoc præclaro certamine perseveres : neque enim te fugit, quænam hinc præmia oriantur. Nam si quispiam unum aliquem injuria affectum ac præter jus læsum sublevans, mercedem inenarrabilem a Deo obtinet; cogites velim, quantum ipse præmium accepturus sis, qui tot Ecclesias perturbatas, per egregium hujusmodi studium, tumultibus ac perturbatione liberes, atque in tranquillum pacis portum appellere studeas.

EPISTOLA CL [1].

Maximo episcopo.

Cum labores eos ac sudores, quos diuturno tempore subiistis, animo contemplor, non vulgarem, sed amplissimam quamdam injuriarum earum, quibus per summum scelus affectus sum, consolationem capio, vestram nimirum usque adeo ardentem ac germanam caritatem, sinceram curam, acerrimamque in iis malis, quæ contigerunt, corrigendis vigilantiam, maximi solatii loco ducens. Siquidem id non mediocri mihi consolationi fuit, cum illud mecum reputarem, vos tanto intervallo a me disjunctos, cum nec me unquam vidissetis, nec a me visi essetis, nec ullum unquam sermonem mecum habuissetis, perpetratorum facinorum iniquitate repente commotos, quantam patres erga liberos, tantam erga me charitatem ostendisse, imo etiam curæ ac sollicitudinis magnitudine paternum amorem superasse. Ac propterea pietati vestræ gratiam habeo, vosque mirificis laudibus in cœlum fero, petoque a vobis, ut ipsi vosmet imitemini, quamque antehac

[1] Anno 406.

semper animi promptitudinem exhibuistis, eam ad extremum perducatis. Ut enim ad ea, quæ acciderunt, sarcienda nihil hinc utilitatis progrediatur, non parva tamen, ut jam dixi, nobis hæc consolatio futura est, quod tantam a vobis charitatem obtinuerim, atque etiamnum obtineam.

EPISTOLA CLI [1].

Asello episcopo.

Scio vos litteris nihil indigere, quibus excitemini, atque ea mala, quæ Orientales Ecclesias invaserunt, sarcienda suscipiatis. Idque per ea, quæ a vobis gesta sunt, planum fecistis: quippe qui vestra sponte tantum studii ac diligentiæ præbeatis. Verum quoniam hujusmodi mala, propter eorum qui ea perpetrarunt, amentiam, non adhuc emendata sunt, idcirco necessarium duximus vos hortari, ut ne defatigemini, verum strenuam animi alacritatem adhibeatis, atque a vobis ipsis rursus omnia conferatis. Nam quo periculosiore ac incurabiliore morbo laborant, qui adversus Ecclesiarum statum seditiones agitant, eo quoque gravius ipsorum judicium erit: ac vobis contra, quorum animi minime franguntur, luculentior merces et majores coronæ.

[1] Anno 406.

EPISTOLA CLII[1].

Episcopis.

Et privatim singulis, et universim omnibus vobis gratias referre debemus, non nos duntaxat, sed etiam omnes Orientales Episcopi, diversarum urbium clerici ac laïci vario modo pulsi, quod paterna viscera exhibentes, vicem nostram doluistis fortiterque stetistis. Nam quidquid vestrarum partium erat, præstitistis. Ac propterea cuncti vos prædicant, corona donant, vestraque egregia facinora in ore habent. Quod si tanti honores vobis ab hominibus habentur, cogitate quanta vobis a benigno Deo præmia expectanda sint. Quæ cum ipsi non ignoretis, reverendissimi ac religiosissimi domini mei, etiamsi ii qui Ecclesias perturbant, incurabili morbo teneantur, ne tamen, quod potestis, remedium afferre desinatis. Nam quo plura impedita, ac major difficultas fuerit, eo quoque major vobis merces erit. Nam si qui poculum aquæ frigidæ dat, non sine mercede ob humanitatem abit; perpendite, quæso, quantam vos qui pro perturbatis Ecclesiis tot ac tanta et facere, et perpeti in animum induxistis, mercedem accepturi sitis, quantaque vos egregiorum laborum præmia maneant.

[1] Anno ut putatur 406.

EPISTOLA CLIII [1].

Iisdem.

Nunquam vobis gratias habere intermittimus. Etsi enim multas ab hostibus injurias accepimus, tamen plurimum auxilii atque subsidii a vobis, ingentem charitatem, sinceram humanitatem, ferventissimumque studium sensimus : ex iisque rebus non exiguum, tum gravissimi exilii, quo detinemur, tum aliorum malorum, quæ nobis illata sunt, solatium habemus. Ideo vos rogamus, ut eamdem nobis benevolentiam idemque studium exhibere pergatis. Neque enim officium nobis tantum præstabitur, verum etiam ad communem Ecclesiarum utilitatem dimanabit. Non enim una, aut altera, aut tres urbes, verum integræ gentes ubique terrarum perturbantur. Ac proinde tantum a vobis studium adhiberi convenit, quantum ab iis adhiberi par est, qui pro tot animarum salute laborem suscipiunt. Quod si multos jam labores pertulistis, vestrisque partibus functi estis, nos quoque id exploratum habemus, eoque nomine sine ulla intermissione vobis gratias agimus : petimus autem a vobis, ne hoc facere desinatis. Siquidem tolerantia, patientia, et constans sententia vestra, eos etiam qui pervicaci animo sunt, ac pene incurabili morbo tenentur, ab ea, qua nunc laborant, dementia abducere poterit. Si vero immedicabili morbo laborent, at vobis certe cumulata merces, bonorumque horum corona integra erit.

[1] Anno ut putatur 406.

EPISTOLA CLIV [1].

Iisdem.

Nos quidem corporis etiam oculis vos videre cuperemus; quoniam autem id minime licet, quia exilii vinculis constricti tenemur, charitatis oculis vos quotidie cernimus atque amplectimur, plausuque et admiratione prosequi non desinimus, quod tantam animi alacritatem ac studium pro Orientis Ecclesiis ab initio ad hoc usque tempus constanter exhibuistis. Vosque rogamus, ut parem initiis finem præstetis. Nam cum ii qui omnia perturbarunt ac tumultibus impleverunt, tanta contentione ac pervicacia usi sint, multo utique majorem vos, qui incommodis acceptis mederi studetis, patientiam ac tolerantiam in hujusmodi conatu adhibere convenit. Hac enim ratione major vobis merces majusque præmium erit, si, licet impedimenta multa sese vobis objiciant, vos tamen pedem minime referatis, verum rerum difficultatem vigilantia vestra et studio constanter intercludatis.

EPISTOLA CLV [2].

Chromatio Aquileiæ episcopo (14).

Clarissima ferventis tuæ ac sinceræ charitatis tuba ad nos usque sonum suum diffudit, magnum quidam ac diutis-

[1] Anno ut putatur 406. — [2] Anno 405.

sime durans ex tanto itineris intervallo spirans, atque ad extremos usque terræ fines pertingens. Nec nos, licet alioqui tam longe disjuncti, minus quam ii qui adsunt, vehementissimam atque igne plenam charitatem, sinceramque et ingenti libertate ac fiducia perfusam linguam, atque adamantinam contentionem exploratam habemus. Ideo vestro etiam conspectu atque congressu frui magnopere nobis in votis esset. Quoniam autem id quoque nobis ea solitudo, qua nunc tanquam compedibus restricti sumus, eripuit; idcirco dominum meum reverendissimum ac religiosissimum Presbyterum nacti, cupiditatem nostram, ut licet, explemus, scribentes et salutantes, vobisque pro eo studio, quod toto hoc tam diuturno tempore magna cum animi contentione præstitistis, amplissimas gratias agentes. Ac vos rogamus et obsecramus, ut cum ipse revertetur, insuperque etiam, si tabellarii occurant qui ad hanc solitudinem veniant, de vestra valetudine ad nos scribatis. Scis enim quantam hinc voluptatem percepturi simus, cum de hominum tam ardenter nos amantium prospera valetudine crebrius ad nos aliquid afferetur.

EPISTOLA CLVI [1].

Episcopis.

Clamat quidem ubique ipsa quoque rerum natura, quavis tuba luculentiorem vocem emittens, præclarissimum vestrum zelum, animique pro veritatis defensione alacritatem, quam non itineris longitudo, non temporis

[1] Anno ut putatur 406.

diuturnitas, non hominum insanabili morbo laborantium vesana contentio, non denique aliud quidquam hujusmodi oppressit, aut etiam debilitavit. Ac nos item magnas vobis gratias agere, atque coronarum earum nomine, quæ vobis ob præclara hæc certamina a benigno Deo recondunter, gratulari non desinimus. Et quidem coram etiam vos cernere cuperemus. Quoniam autem id minime fieri potest, quod exilii vinculis astricti teneamur; idcirco dominum meum reverendissimum ac religiosissimum Presbyterum nacti, per eum scribimus, vobisque debitum salutationis munus persolvimus: illud vobis significantes, vos universum Orientem vestri desiderio inflammasse, ingentemque vestri amorem ipsis attulisse, atque innumeros homines justæ hujusce, ob ea flagitia quæ perpetrata sunt, indignationis socios habere. Vos itaque hortamur, ut idem studium ad extremum usque præstetis. Scitis enim quantas ob breves hos labores coronas accepturi sitis, nimirum immortalia vobis atque copiosa præmia apud benignum Deum recondentes.

EPISTOLA CLVII [1]

Episcopis, qui ab Occidente venerant (15).

Et quidem prius quoque studium vestrum, et affectum, quem ad Ecclesiarum detrimenta sarcienda præstititis, firmam etiam ac sinceram benevolentiam, fortitudinem, animi constantiam ac tolerantiam, quam tandiu præ vobis tulistis, majorem in modum admirabar. Nunc autem ex

[1] Anno ut putatur 406.

ingenti animi vestri vigore stupore affectus sum : quippe qui tam longam ac marinam, laborumque et sudorum plenam peregrinationem vobis, ut Ecclesiæ commodis consuleretis, suspiciendam duxeritis. Ac vellem quidem mihi quoque sæpe scribere, debitamque vobis salutationem persolvere liceret. Quoniam autem id minime licet; quod in eo loco habitem, qui pene omni aditu caret, et solitudine undique, tanquam muro quodam, interceptus est; idcirco nunc reverendissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum nactus, charitatem vestram saluto, vosque moneo ac rogo, ut finem principiis consentaneum imponatis. Scitis enim quanta vobis patientiæ merces futura sit, quantaque iis a benigno Deo præmia constituta, qui pro publica pace labores subeunt, ac tantum certamen suscipiunt.

EPISTOLA CLVIII[1].

Iisdem.

Non parvam et vobis ipsis coronarum segetem, et nobis consolationum materiam, præclarissimo hoc vestro studio laboribusque comparastis. Quocirca tanto etiam itineris intervallo a vobis dissiti, laudes vestras prædicamus, vobis gratias agimus, vos denique corona donamus, ac beatos censemus. Ac vellemus quidem frequentius etiam ad vos scribere nobis liceret; nam hinc quoque maximum solatium caperemus, siquidem qui litteras ferrent, nancisci possemus. Quoniam autem nobis, qui ad extremos usque orbis fines relegati sumus, id minime facile est, cum præser-

[1] Anno, ut putatur, 406.

tim haud facile quisquam ad nos accedere queat; idcirco nunc, cum reverendissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum nacti simus, debitam salutationem vobis pendimus; vosque rogamus, ut rei, si succedat, magnitudinem animo intuentes, etiamsi alioqui plurimum jam temporis in ea re consumptum est, atque adversariorum pervicacia ingravescit, nec curationem ullam etiamnum admittit; tamen, quæ vestrarum partium sunt, ad detrimenta sarcienda conferre ne desistatis. Quo enim major difficultas est, eo quoque major et uberior egregiorum horum certaminum merces a benigno Deo vobis constituetur.

EPISTOLA CLIX[1].

Iisdem.

Non exiguam malorum eorum, quæ has regiones invaserunt, consolationem ex studii vestri ac diligentiæ magnitudine capimus. Ac profecto ea quoque quæ prius a vobis facta sunt, vestraque vigilantia et studium, tantaque cura ac sollicitudo, ad ingens solatium nobis afferendum abunde sufficiebat. Quod autem nunc adjecistis, ut pro Ecclesiæ commodis tam longum iter susciperetis, nos omnes majorem in modum recreavit. Itaque communibus animis ingentes pro tot laboribus ac sudoribus, præclaris his certaminibus gratias vobis agimus, nec pro egregio hoc animi studio beatos vos prædicare desinimus. Ideoque dominum meum reverendissimum et religiosissimum Presbyterum,

[1] Anno, ut putatur, 406.

ut ad vos usque excurreret, obsecravimus. Eo igitur ita ut comitas vestra poscit, excepto, velim operam detis ut finem principiis dignum imponatis. Nam cum incurabili adhuc morbo laborent, qui tot tempestates ac bella Ecclesiis attulerunt, eos quidem hoc nomine miseros existimare, lacrymisque prosequi par est, vos autem admirari ac prædicare, quod etiam ingravescentibus malis, majus semper ad ea depellenda studium majoremque diligentiam progressu temporis adhibetis.

EPISTOLA CLX [1].

Episcopo, qui ab Occidente venerat.

Cum sudores eos, quos et domi, et in tam longa ac marina peregrinatione pro Ecclesiæ commodis subiisti, mecum perpendo, etiam ante finem laudes tuas prædicare, teque corona redimire, ac beatum dicere non desino. Nam sive tuo studio ac diligentia aliquid perficiatur, domine mi reverendissime, sive in eadem animi pertinacia illi hæreant, ac medicinam omnem aspernentur, qui hos motus primum injecerunt, tibi certe ob hunc animum, et quod ea omnia quæ tui muneris erant contuleris, plena et cumulata merces erit. Ac propterea sine ulla intermissione te beatum prædico ac suspicio gratiasque tibi ago. Atque etiam vellem crebrius mihi scribere liceret: quoniam autem hujus loci, quo conclusus teneor, solitudo mihi hoc ademit, idcirco nunc, cum mihi reverendissimi ac religiosissimi domini mei Presbyteri potestas facta est,

[1] Anno, ut putatur, 406.

et scribo, et quam debeo salutationem tibi persolvo. Nam animo quidem ac voluntate persæpe scripsi : chartæ autem atque atramenti opera nunc primum; quoniam scilicet nunc etiam primum hominem, qui ad vos proficisceretur, nactus sum. Cum igitur hunc, ut humanitas tua poscit, exceperis, eamque, quam convenit, erga eum charitatem demonstraveris, hoc ei des, quæso, ut ex tua benevolentia ingenti voluptate afficiatur. Non enim magnæ hujus ærumnæ, quam in itinere subiturus est, exiguam consolationem habebit, si ei tua benevolentia frui contingat. Nam quod nihil necesse sit admoneri vos a nobis, ut ad Ecclesiarum utilitatem promovendam summum studium ac diligentiam adhibeatis, rebus ipsis planum fecistis.

EPISTOLA CLXI [1].

Romanis Presbyteris, qui cum Episcopis venerant.

Plurimum laboris ac sudoris subiistis, tam longa et marina peregrinatione suscepta : verum non pro caducis ac fragilibus hujusce vitæ rebus, sed pro Ecclesiarum utilitate, pro qua præmia quoque a benigno Deo laboribus multo majora atque ampliora referetis. Quamobrem, et vobis et nobis vester hic labor, vestrumque studium non parvæ consolationi est : vobis nimirum, quod pro tot Ecclesiarum pace præclarum hoc certamen suscepistis, multoque majores coronas accepturi estis : nobis autem, quod tantam a vobis charitatem consecuti sumus, ingensque

[1] Anno, ut putatur, 406.

tot et tantorum virorum studium obtinuimus: nosque etsi, quantum ad corpus attinet, tanto itineris intervallo a vobis disjunctos, arctissimis charitatis vinculis vobiscum adstrinxistis. Quapropter ingentes vobis gratias habemus, vestramque erga nos benevolentiam prædicare non desinimus. Quanquam enim ea ipsa quoque rerum vox clamat: tamen nos item lingua nostra idem efficere non intermittimus. Quod si nunc primum ad vos scripsimus, hoc non negligentia, sed loci solitudine factum est. Nunc quippe, posteaquam reverendissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum eo ubi degitis proficiscentem nacti sumus, tum eam, quam vobis debemus, salutationem persolvimus, tum vos oramus, ut ea charitate, quæ vobis digna est, ipsum excipiatis: cumque revertetur, de vestra valetudine, de qua aliquid intelligere summopere cupimus, certiores nos faciatis. Ut autem eam, quam convenit, industriam ac diligentiam ad eam rem, ob quam venistis, adhibeatis, nullius submonitione vobis opus esse existimo: idque per id studium, quod perpetuo præ vobis tulistis, perspicue declarastis.

EPISTOLA CLXII [1].

Anysio Thessalonicensi episcopo.

Sero quidem ac tarde ad te scripsimus: at non sponte nostra diuturno hoc silentio usi sumus, verum ob loci, quo inclusi tenemur, solitudinem, non autem ob socordiam in te ullam ac negligentiam. Nunc quippe reveren-

[1] Anno, ut putatur, 406.

dissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum nacti, quam jampridem debemus salutationem tibi persolvimus, ingentesque pro ea contentione ac fortitudine, quam Ecclesiarum causa præstitisti, gratias agimus. Cum igitur eum, reverendissime mi domine, ut humanitas tua poscit, exceperis, eamque, quam convenit, comitatem et humanitatem erga eum ostenderis, ne labore te frangi ac debilitari sinas, atque quominus ea, quæ ad communem Ecclesiarum correctionem attinent, efficias ac moliaris, impediri. Scis enim quanta hujusce rei, si succedat, magnitudo sit, quamque multarum Ecclesiarum causa præclarum hoc certamen a te susceptum sit: ac denique quantæ pro laboribus publicæ pacis causa subitis coronæ tibi a benigno Deo recondantur.

EPISTOLA CLXIII[1].

Anysio, Numerio, Theodosio, Eutropio, Eustathio, Marcello, Eusebio, Maximiano, Eugenio, Gerontio, et Thyrso, atque omnibus Macedoniæ orthodoxis episcopis.

Ingens certe pristinum quoque vestræ charitatis studium extitit. Eoque nomine gratias vobis habemus, quod tamdiuturno tempore, cum ea, quæ a vobis postulabatur, fortitudine stetistis, nemini eorum, qui vos ad se arripere conabantur, cedentes. Itaque vos hortamur, ut cum etiam, quem par est, finem imponatis. Nam quo plures vestri labores fuerint, eo etiam major merces atque am-

[1] Anno ut putatur 406.

pliora præmia a benigno Deo referentur. Ac vellem quidem nobis vestro quoque conspectu frui daretur. Quoniam autem exilii vincula hoc nobis abstulerunt, atque in uno loco concluserunt, reverendissimum ac pientissimum dominum meum Presbyterum misimus, ac per ipsum, quam debemus salutationem vobis persolvimus : illudque vobis significamus, nos plurimas atque ingentes sine ulla intermissione vobis gratias agere : atque a vobis petere, ut pro diuturno silentio, quo antehac usi sumus, veniam nobis tribuatis. Neque enim vestri contemptu atque negligentia tandiu siluimus : sed quia nunc primum hominem, qui eo, ubi nunc vobis sedes est, proficisceretur, nostrasque litteras ferre posset, nacti sumus, tandem ad vos scribimus, quidque rerum geramus, exponimus. Posteaquam igitur eum sincero animi affectu exceperitis, velim de valetudine vestra nos certiores faciatis. Siquidem ex hujusmodi litteris, etiam in hac solitudine constituti, maximam consolationem habituri sumus.

EPISTOLA CLXIV[1].

Alexandro Corinthi episcopo.

Nosti quam erga te charitatem præ me tulerim, et quo pacto, etiamsi mihi exigua tecum consuetudo fuerit, tui tamen amore, tanquam vinculis quibusdam astrictus sim. Eaque de causa permirum mihi visum est, te tam longo tempore ne semel quidem ad me scribere sustinuisse. Ac tu quidem, sat scio, tabellariorum penuriam causaberis, neque id alienum est. Nam etsi multi istinc veniunt, nemo

[1] Anno 406.

tamen eorum huc, ubi nunc degimus, facile accedere potest. Cæterum, cum ne semel quidem litteras abs te acceperim, hac excusatione minime sum contentus. Neque enim ipse, cum ad eamdem excusationem mihi confugere liceret, tacui, verum reverendissimum ac piissimum virum, dominum meum Presbyterum excitavi, et ad te misi, ut te conveniret, atque hanc nostram salutationem perferret, valetudinisque tuæ, de qua aliquid intelligere summopere cupio, statum cognosceret. Posteaquam igitur eum amico animo, eaque qua convenit humanitate, tanquam membrum meum conspexeris, cum ad me se referet, de tua valetudine certiorem me facere ne, quæso, graveris. Siquidem litteræ tuæ maximam mihi, etiam in solitudine constituto, consolationem allaturæ sunt.

EPISTOLA CLXV [1].

Episcopis qui cum Occidentalibus venerant.

Pristinam quidem vestram animi promptitudinem, atque studium, quod pro Ecclesiarum commodis præ vobis tulistis, admirati sumus. Posteaquam autem tam longam peregrinationem insuper adjecistis, omnique cunctatione abjecta, forti, ut vos decebat, animo tam longum iter suscepistis, non vulgariter hoc quoque nomine vos suspicimus : nec vobis, tum nunc per litteras, tum citra litteras, gratias agere desinimus. Nec vero nos duntaxat, sed etiam Orientales omnes admiratione tenentur, vestræque firmitatis atque constantiæ, ferventisque charitatis et immotæ senten-

[1] Anno ut putatur 406.

tiæ præcones sunt. Ac nec itineris longinquitatem, nec peregrinationis ærumnam ullo modo gravem et molestam esse ducunt, ut ad vos excurrant ac tot vestra præclara facta conspiciant. Ideoque reverendissimus et piissimus dominus meus Presbyter, etiamsi alioqui parum firmo corpore præditus, nihil non sibi perferendum putavit, ut ad vos se conferret, vestroque conspectu atque congressu frueretur. Posteaquam igitur ipsum, ut vestra charitas postulat, exceperitis, illud a vobis petimus, ut etiamsi mala ingravescant, vos tamen iis medicinam afferre ne gravemini, verum parem initiis finem imponatis. Scitis enim quantam vobis benignus Deus mercedem relaturus sit, si pro tot Ecclesiis perturbatis laboretis, nihilque omittatis, quo eas ad tranquillum portum appellatis.

EPISTOLA CLXVI[1].

Episcopis, qui cum Occidentalibus episcopis venerant.

Magna quidem ac præclara ea quoque sunt, quæ prius fecistis, nempe quod justam virtutique vestræ consentaneam, ob ea mala quæ tot Ecclesias occuparunt, indignationem concepistis, earumque vicem doluistis: neque hic gradum fixistis, verum etiam quæ muneris vestri ratio postulabat, ipsi præstitistis. Illud autem longe maximum ac præclarissimum, quod nunc a vobis factum est, nimirum quod unusquisque vestrum domesticis sedibus relictis tam longam peregrinationem iniit, atque in extera regione commoratur, ac pro Ecclesiarum utilitate diuturnæ pere-

[1] Anno 406.

grinationis labores suffert. Ac propterea vobis gratias agere, vosque ob tot ac tanta præmia, quæ hoc nomine Deus vobis pro sua benignitate recondit, admirari ac beatos prædicare non desinimus. Ac quoniam nos nec ob exilium, quo nunc coërcemur, vobiscum versari, nec item, quod, cui litteras demus, haud facile nanciscimur, assidue ad vos scribere possumus : nam alioqui litterarum frequentia vos obruissemus : idcirco reverendissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum, qui etiam ipse sponte sua proficisci ac vos videre cupiebat, obsecravimus, ut litteras a vobis ad nos obtineret, atque ipse charitate vestra coram frueretur. Posteaquam igitur eum, pro eo atque vos decet, exceperitis, de vestra valetudine, cum licuerit, certiores nos facere, quæso, ne gravemini. Siquidem nobis id scire summo studio est : neque parvam solitudinis hujus, in qua versamur, consolationem hinc accepturi sumus.

EPISTOLA CLXVII[1].

Iisdem.

Amplissimas vobis ob tantam animi firmitatem, ac studium, et curam, laboresque et sudores, ac denique ob longam hanc peregrinationem, quam utilitatis Ecclesiarum causa suscepistis, gratias agimus. Etenim quanto gravius eos qui omnia perturbant, judicium manet, tanto quoque majus uberiusque vobis præmium expectandum est, qui ad ea, quæ ab aliis scelerate ac nefarie admissa sunt, corrigenda, tantum patientiæ studiique adhibuistis.

[1] Anno 406.

Atque utinam coram quoque vobiscum congredi possemus! Quod quoniam nobis exilii necessitas ademit, tandem aliquando atque ægre ornatissimum ac religiosissimum dominum meum Presbyterum ad vos proficiscentem nacti, has litteras misimus, quibus debitum vobis salutationis munus pendimus, ac tum pro præsentibus vestris officiis, tum pro eo, quo flagratis sarciendorum incommodorum zelo, gratias agimus. Nam etsi nihilo meliore statu res est : tamen ipsi, quod muneris vestri erat, præstitistis. Eoque nomine plena merces a benigno Deo vobis constituta est, ut qui ad medicinam admissis sceleribus afferendam tanto studio fervoreque assidue usi sitis.

EPISTOLA CLXVIII[1].

Probæ matronæ Romæ degenti.

Etsi longo itineris spatio abs te disjunctus sum, tamen sinceram ac ferventem tuam charitatem, non secus ac si coram essem, tuaque omnia cernerem, certo expertus sum, iis nimirum, qui istinc ad nos veniunt, ea de te afferentibus, quæ audire cupiebam. Eaque de causa multas atque ingentes tibi gratias habeo, atque ob istum tuum animum glorior, meque effero : virosque mihi charissimos, religiosissimum presbyterum Joannem, et ornatissimum diaconum Paulum tibi commendo, atque ad tuas manus velut ad portum transmitto. Abs te igitur cumprimis veneranda et nobilissima domina mea, peto, ut quemadmodum humanitatem tuam decet, ipsos videas. Scis

[1] Anno 406.

enim quantam hujusce comitatis mercedem relatura sis. Ac quam sæpissime licebit de tua valetudine, quæ admodum nobis curæ est, fac me certiorem.

EPISTOLA CLXIX [1].

Julianæ et iis, quæ cum ipsa sunt.

Quo graviore pœna mulctati sunt, qui tot scelera perpetrarunt, eo quoque vobis qui tot scelera delere studuistis, tantumque laboris et ærumnæ suscipitis, amplior merces futura est. Neque enim nobis obscura fuit ea beneficentia, idque studium, quod et in negotio, de quo agitur, et in excipiendis benigneque complectendis iis, quos istuc misimus, præstitistis. Eoque nomine gratias vobis habemus, vosque rogamus ut in eodem studio et alacritate permaneatis, ac firmius etiam animi robur et fortitudinem adhibeatis. Neque enim vos fugit, quanta hujusce præclari facti magnitudo sit, quantamque mercedem percepturæ sitis, tantos motus, ac tam sævos fluctus, quantum in vobis est, compescentes, eamque, quam par est, acceptis incommodis medicinam afferentes.

EPISTOLA CLXX [2].

Italicæ.

In externis negotiis, ut natura, ita etiam actione atque

[1] Anno 406. — [2] Eod. an.

administratione distincti sunt hi sexus, nimirum vir et mulier. Sic enim moribus comparatum est, ut mulier domi se teneat, vir autem publica et forensia negotia suscipiat. At in divinis certaminibus, iisque laboribus, qui Ecclesiæ causa subeuntur, hoc locum non habet: verum fieri potest, ut fœmina in præclaris his certaminibus laboribusque capessendis virum quoque fortitudine superet. Quod etiam indicans Paulus in ea epistola, quam ad patriam vestram scripsit[1], complures fœminas amplissimis laudibus effert, ipsas nimirum haud parum in eo elaborasse asserens, ut viros etiam corrigerent atque ad officium revocarent. Quorsum autem hæc commemoro? Nempe ne alienum vobis existimetis studium illud, ac labores eos attingere, quæ ad Ecclesiasticarum rerum emendationem conducunt: verum et quod primum est, per vos ipsos, et per alios, quorum opera uti licebit, ad sedandam communem tempestatem ac perturbationem, in quam Orientis Ecclesiæ inciderunt, eam quam convenit curam ac diligentiam adhibeatis. Nam quo atrocior tempestas et graviores procellæ extiterunt, eo quoque major merces vobis referetur, si, ut turbatam pacem reducatis, nihil non agere ac perpeti in animum inducatis, omniaque ea quæ perturbata sunt, in congruenti statu collocare studeatis.

EPISTOLA CLXXI[2].

Montio.

Etsi procul a te corpore semotus sum; at animi tamen affectu prope, tecumque quotidie versor, ac te amplector,

[1] Rom. ult. — [2] Ab anno 404 ad 407.

nimirum ardentem tuum erga me amorem, hospitalitatem, comitatem, ingentem observantiam atque studium, quod mihi semper præstitisti, mecum reputans, tuique memoriam pro deliciis habens, sinceramque benevolentiam ac doli expertem apud omnes prædicans. Eaque de causa litterarum tuarum desiderio teneor: teque rogo, ut quam sæpissime ad me scribas, meque de tua valetudine certiorem facias: quo ingentem hinc consolationem capiam, de valetudinis tuæ firmitate, quæ mihi summæ curæ est, aliquid ediscens. Quare ne me, quæso, hac voluptate carere sinas: verum quoties facultas dabitur, hæc scribe, lætoque nuncio nos exhilara.

EPISTOLA CLXXII[1].

Helladio.

Exigua mihi tecum hactenus consuetudo fuit, magnum tamen sinceri tui atque ardentis erga me amoris experimentum cepi. Etenim generosæ animæ brevi tempore eos, qui ad se adeunt, sibi devinciunt. Id ipse quoque fecisti, ut qui brevi tempore tam acrem tui amorem mihi attuleris. Ob eamque causam ad te scribo, rerumque mearum statum expono, nempe quod in magna quiete atque otio degam, meque hic omnes diligenter ac studiose colant, magnaque cum benevolentia conspiciant. Ut igitur rebus quoque tuis cognitis læto animo sim, scribere ad me quam sæpissime, ac de tua valetudine certiorem me facere ne graveris. Hujusmodi enim litteris abs te acceptis, ingenti hinc consolatione afficior.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CLXXIII [1].

Evethio.

Etsi corpore abs te remotus sum, charitate tamen cum animo tuo devinctus sum. Hujusmodi videlicet amicitiæ pignora nobis injecisti, dum tantam erga me observantiam ac benevolentiam istic præ te tulisti. Ideo quemcumque in locum accesserim, gratias tibi agere minime intermitto. Ac te rogo, ut ad me quam sæpissime ipse quoque scribas, ac de tua valetudine me facias certiorem. Ego enim, via omni tranquille ac tuto decursa, Cucusi dego, loci quietem atque otium pro deliciis habens, atque ingentem omnium observantiam et benevolentiam obtinens. Ut igitur valetudine quoque tua cognita lætitiam concipiam, da operam, ut crebras, imo assiduas litteras, quæ de tua totiusque domus tuæ valetudine nuntient, ad nos mittas. Hinc enim amplissimam consolationem percipiemus.

EPISTOLA CLXXIV [2].

Episcopis, presbyteris, et diaconis Chalcedone inclusis.

Beati vos et ob vincula, et ob animum quo vincula to-

[1] Cucusi anno 404. — [2] Scripta ut putatur, cum Cucusum in exilium pergeret, anno 404.

leratis, et in his apostolicæ fortitudinis specimen exhibetis : quandoquidem illi etiam dum flagellarentur, vexarentur, ac vincirentur, hæc multa cum voluptate tolerabant. Neque vero tantum multa cum voluptate tolerabant, sed etiam dum catenis vincti essent, suo munere fungebantur, et de toto terrarum orbe solliciti erant. Quocirca vestram etiam charitatem oro, ut ne idcirco animo concidatis, sed quanto majorem vobis sentitis infligi dolorem ex iis quæ patimini, tanto etiam majorem animi alacritatem ostendite, vosque singulis diebus Ecclesiarum curam gerite, quæ in toto sunt orbe terrarum, ut conveniens malis remedium adhibeatur, neque idcirco reddamini segniores, quod numero paucos vos esse videatis, et quod undequaque vexemini. Non enim dubium est, quin cum ex his quæ patimini majorem vobis apud Deum fiduciam concilietis, majores inde quoque vires adepturi sitis. Date igitur operam, ut cum sese offeret occasio, studium et alacritatem exhibeatis, ac tum per vos ipsos, tum per alios quoscumque, per quos licuerit, ea facere ac dicere studete, quæ procellam poterunt exortam sedare. Sic enim maxime profici poterit, si vos studium adhibueritis : quod si nihil profici potuerit, vos nihilominus ob hanc animi alacritatem mercedem a benigno Deo recipietis.

EPISTOLA CLXXV [1].

Agapeto.

Multos subiit et continuos sudores reverendissimus ac religiosissimus presbyter dominus meus Elpidius, dum

[1] Cucuso anno 404 ut putatur.

hujus montis incolas, hoc est Amani, studet ea, qua detinentur, impietate liberare. Jamque adeo liberavit, et abduxit eos ab errore, construxit Ecclesias, et monasteria exædificavit, atque hæc ab aliis nobilitas tua poterit intelligere. Quando igitur pios viros atque generosos a te scio vehementer adamari, non mediocrem a te gratiam initurum me novi, si eúm tibi notum faciam, cujus tam præclara extant facinora, simul ut quacumque data occasione te salutare contendo, adjiciendas has censui litteras, ut et debitam tibi salutationem penderem, et virum tuæ nobilitati commendarem. Quamobrem illo intuens eum aspectu, quo te decet, domine mi observandissime ac summopere admirande, illi rebus ipsis ostende non temere neque frustra nostra illum hac munitum epistola ad te venisse, sed harum interventu litterarum multam ipsum apud te benevolentiam et charitatem expertum esse. Sic enim fiet, ut et nos multam solertiæ tuæ gratiam habeamus, quod tanto licet a te dissiti locorum intervallo, per epistolam tuæ charitati conciliare ac conglutinare possimus eos, qui potiri illa percupiunt, ex quibus unus hic est summo tuæ suavitatis amore inflammatus: quam ob causam et summo studio has a me litteras postulavit.

EPISTOLA CLXXVI[1].

Hesychio.

Nos et præsentem intueri te cupimus, et dulcissimo jucundissimoque tuo congressu frui: sed quoniam est hoc

[1] Cucuso anno 404.

difficile, cum propter itineris difficultatem, tum propter negotia, ac corporis imbecillitatem; consolationem, quæ percipitur ex litteris, requirimus, quam neque corporis ægritudo, neque asperitas itineris potest interrumpere. Hoc igitur nos affice beneficio, quod et leve est, et minime molestum, multamque nobis voluptatem affert, et contractam ex corporea disjunctione mœstitiam non mediocriter mitigat. Nam hoc solatio si fruamur, et nos prope esse arbitrabimur, et perpetuo cum reverentia tua versari. Sufficit enim vel sola charitas ad hoc præstandum: sed multa tamen accessione cumulabitur ipsa animi cogitatio, si litterarum subsidio juvetur.

EPISTOLA CLXXVII [1].

Artemidoro.

Magna te complexurum ipsum benevolentia dominus meus Antiochus arbitratus est, si cum litteris nostris tuæ suavitati se sisteret. Da igitur operam, domine mi plurimum venerande, ut ne opinione sua frustretur, et cum ea qua par est illum exceperis benevolentia, si quid æquum ac rationi consentaneum petat, promptum, quæso, ac paratum illi te præbe, illique rebus ipsis ostende non frustra nec temere cum litteris nostris ipsum ad te venisse: sed ad obtinendam benevolentiam et justum auxilium, plurimum nostris eum litteris adjutum fuisse. Sic enim fiet, ut et ille beneficium adipiscatur, et ego honore afficiar ex eo quod beneficium ille fuerit consecutus.

[1] Cucuso anno, ut putatur, 404.

EPISTOLA CLXXVIII [1].

Euthaliæ.

Magnopere sincera et ferventi charitate conditæ fuerunt litteræ tuæ, vero minimeque fucato amore. Quocirca ingentes tibi gratias habemus, et quod scribas, et quod sinceræ tuæ erga nos benevolentiæ maximum specimen edas. Deus tibi mercedem tanti amoris, et hic et in futuro sæculo tribuat, teque muniat et custodiat, atque in omni securitate animique tranquillitate constituat. Non enim te latet, domina mea reverendissima, non mediocri nos affici voluptate, cum vel in hac solitudine degentes frequenter audimus ex animi tui sententia res tibi succedere. Hæc igitur nobis assidue scribe, neque felicem de tua prospera valetudine nuntium mittere desine, ut etiam in solitudine degentes multam inde consolationem hauriamus.

EPISTOLA CLXXIX [2].

Adoliæ.

Difficile fortasse propter corporis imbecillitatem fuisset, ut huc venires. Nihil quippe aliud subesse potuit impedimenti, cum a latronibus omnino quieti simus : sed quid laboris est in scribendo ? neque enim hic ad illam confugere excusationem potes. Hæc autem a me idcirco dicun-

[1] Cucuso anno 405. — [2] Ibid.

tur, quod cum sextam, ut equidem arbitror, ad te miserim hanc epistolam, duas tantum a nobilitate tua receperim. Verumtamen sive scribas, si taceas, quæ nostrarum sunt partium, præstare non desinemus. Non enim veteris illius ac sinceræ poterimus amicitiæ tuæ oblivisci, sed vigentem illam perpetuo retinemus, et quoties facultas datur, scribimus. Quoniam autem de tuis rebus valde solliciti sumus, litteras quoque a te accipere summopere desideramus, quæ felicem de tua valetudine nuntium ferant. Noli ergo nos hoc solatio privare: sed cum non te lateat, quanto nos beneficio tibi devincias, tametsi laboriosum est scribere, in gratiam nostri, qui te impense diligimus, hunc quoque laborem suscipe, deque tua sanitate nos fac certiores, qui de illa quotidie quidpiam intelligendi summo desiderio tenemur.

EPISTOLA CLXXX[1].

Hypatio presbytero.

Nunquam te beatum prædicare desinam, ob patientiam, fortitudinem, tolerantiam multam, quam exhibuisti, et exhibes in tentationibus. Id ipsum quoque prioribus tibi litteris significavi, duplicem ac triplicem horum causa te manere mercedem, et quod tantam constantiam præ te feras, cæterosque ad eumdem zelum impellas, dum in tanta senectute tantam pro populo persecutionem passo alacritatem animi exhibes. Cuperem equidem ad reverentiam tuam sæpe scribere: sed quoniam id facile non est, tum propter hibernum tempus, tum propter metum præ-

[1] Cucuso anno 405.

donum, locique in quo degimus solitudinem; quoties facultas datur, pietatem tuam salutamus, utque ad nos quam sæpissime scribas petimus, ac felicem de tua valetudine nuntium mittas; nam certiores de illa fieri magnopere desideramus. Reverendissimos quoque diaconos Eusebium et Lamprotatum, qui tibi consortes ærumnarum fuerunt, beatos prædicamus. Non enim ignoratis, quales vos ob ista maneant coronæ, quanta merces, quanta retributio. Quæ cum vobis explorata sint, stabiles et immoti perseverate: copiosam enim vobis Deus patientiæ mercedem persolvet, ac præsentia mala cito depellet. Cæterum litteras ad nos quam creberrimas mittite, quæ lætum de vestra valetudine nuntium ferant, de qua subinde aliquid audire vehementer optamus.

EPISTOLA CLXXXI [1].

Episcopis.

Et quæ invasit Ecclesias Orientis perturbatio, vehementissima fuit ac multiplex, et magnum simul et impensum studium illud fuit, quod ad eam sedandam pietas vestra contulit. Quod si forte nihildum utilitatis inde promanarit, eos quidem qui medicinam omnem aspernantur, neque correcti sunt, miseros ducimus, vos autem laudare beatosque prædicare non intermittimus, quod cum tam diuturno elapso tempore meliorem in statum restitui res non potuerint, frangi tamen ac debilitari vos non sinatis, nec animum despondeatis, sed instetis, et strenue fortiterque auxilium feratis, quod in condemnationem cedit eorum

[1] Anno ut putatur 406.

qui ferro nos nolunt, coronas autem comparat et præmia plurima studio quod a vobis adhibetur. Idcirco nobiscum omnes, qui universum orbem terrarum incolunt, vos prædicant, et corona donant, quod tanto licet intervallo disjunctos, neque itineris longitudo, neque temporis intercapedo negligentiores reddiderit, sed quasi vicini essetis eorum quæ gerebantur, atque ipsis oculis ea quæ perpetrabantur scelera conspiceretis, ita fortiter strenueque, quæ vestrarum erant partium, præstare studueritis. Quod si necdum importunæ suæ contentioni et injusto bello finem imponere volunt, qui horum a principio malorum auctores fuerunt, ne vos conturbet istud, neve animos vestros debilitet: quanto enim major vobis exoritur labor, tanto etiam major corona nectetur, cum Deus arcana illa et ineffabilia, quæque omnem sermonem excedunt, præmia vobis constituet.

EPISTOLA CLXXXII [1].

Venerio Episcopo Mediolanensi (16.)

Omnes quidem fortitudinem vestram, ac fiduciam, et pro veritate loquendi libertatem etiam antea noverant: sed accuratius fraternum vestrum amorem, charitatem, religionem, multam commiserationem, sollicitudinem Ecclesiarum hoc tempus indicavit. Nam gubernatorem quoque maris tempestas præsertim indicat, et optimum medicum graviores corporum morbi: sic et illum qui religiose vitam suam traducere studuit, ac multa præditus est fortitudine, temporum difficultates ostendunt. Quod vobis etiam con-

[1] Anno 406.

tigit, et quantum in vobis fuit, omnia bene successerunt, neque ulla pars officii vestri desiderata est. Sed quoniam illi qui turbas excitarunt et excitant, eo dementiæ sunt progressi, ut non modo priora gessisse illos non pudeat, sed illis etiam graviora patrare contendant, omnes vos simul cohortor, ut fortissimam alacritatem animi adhibeatis, neque de tanto studio quidquam remittatis, sed illud amplius etiam augeatis, licet innumeræ difficultates occurrant. Qui enim pluribus cum sudoribus ac laboribus magnum aliquod ac generosum facinus ediderit, uberiorem illis, qui facile ac nullo negotio id ipsum gesserint, mercedem accipiet. Siquidem « Unusquisque, inquit beatus Paulus, propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem[1]. » Ne igitur idcirco animum despondeatis, quod multi vobis fuerint exantlandi labores, sed hoc ipsum magis vos excitet. Quanto enim major afflictionum fit accessio, tanto magis augentur coronæ, ac multiplicantur ea præmia, quæ vobis pro his præclaris certaminibus reconduntur.

EPISTOLA CLXXXIII[2].

Hesychio episcopo Salonensi (17).

Etsi magno itineris intervallo a reverentia tua disjungimur, et ad extremos usque orbis terrarum fines relegati sumus; tamen levi charitatis penna utentes, quæ faciles reddit ejusmodi peregrinationes, et propinqui sumus tibi, et tecum versamur, ac debitam per litteras salutationem persolvimus, teque hortamur, ut ad juvandas Orientis

[1] 1 Cor. III, 8. — [2] Anno 406.

Ecclesias conveniens studium adhibeas. Scis enim quanta sit parata merces ei qui divexatis Ecclesiis manum porrexerit, et tantam procellam in tranquillitatem converterit, ac bellum adeo grave restinxerit. Atque ad hæc vos hortamur, non quasi admonitione nostra indigeatis; siquidem antequam nostras litteras accepissetis, quæ vestri muneris erant, ipsi præstitistis : sed quia nondum sublata sunt mala, sed adhuc vigent et urgent, oramus vos, ut ne animo concidatis, neque malis cedatis, sed quandiu manent ulcera, quibus Ecclesiæ corpus affligitur, vestra medicamenta adhibeatis. Quanto enim pluribus cum laboribus res geruntur, tanto vobis amplior etiam merces constituetur.

EPISTOLA CLXXXIV[1].

Gaudentio episcopo Brixiano (18).

Nihil nos latet rerum tuarum, sed tanquam præsentes probe novimus studium tuum, vigilantiam, curas, labores quos pro veritate suscepisti, tibique ingentes gratias agimus : neque mediocrem in tanta degentes solitudine consolationem haurimus ex tuæ charitatis ardore ac sinceritate, cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus, nec ullo modo aut temporis diuturnitate, aut itineris longitudine debilitatam fuisse. Quo nomine multam tibi gratiam habemus, teque hortamur, ut in instituto pergas, et idem semper studium præ te feras. Non enim ignoras, quot Ecclesiarum salus nunc agatur, et quam eximium futurum sit hoc opus. Hæc

[1] Anno, ut putatur, 406.

igitur cogitans, domine mi reverendissime ac religiosissime, in eodem studio perseverare dignare : sic enim fiet, ut exiguis laboribus exantlatis, immortalia vobis pro his præclaris certaminibus in cœlo præmia recondatis.

EPISTOLA CLXXXV [1].

Pentadiæ diaconissæ.

Diuturno silentio usa es, tametsi multi erant qui ad nos istinc proficiscerentur. Quid ergo tandem in causa fuit? num rerum perturbatio? absit; hoc ego de te nunquam dixerim : novi quippe magnum et excelsum animum tuum, qui vel in multis tempestatibus potest felicissime navigare, atque in mediis fluctibus tranquillitate magna frui. Id vero tu rebus ipsis demonstrasti, tuorumque nuntia recte factorum ad extremos usque fines orbis terrarum fama pervenit, et omnium ore laudaris, quod cum in uno constituta sis loco, longe dissitos excites tua pietate, atque alacriores efficias. Quænam igitur est causa silentii? equidem dicere minime possum. Tuam autem oro suavitatem, ut per eum qui litteras pietati tuæ tradet in manus, de tua valetudine, tranquillitate animi ac securitate cum tua, tum universæ domus tuæ certiores nos facias : ut licet tanto a te intervallo sejuncti, atque in tam molesta degentes solitudine, multum ex ejusmodi litteris percipiamus solatium.

[1] Anno 405, ut putatur.

EPISTOLA CLXXXVI[1].

Alypio.

Tu quidem veritus es, ne, quod prior ad nos scripsisses, in præcipitationis reprehensionem incurreres : ipsis enim tuis utar verbis ; ego vero tantum abest, ut hujusce rei tibi actionem intendam, ut etiam negligentiæ propter tarditatem te accusem, et amplius ante laudarim, cum prior litteras ad nos misisses. Atque hoc ego dico, ut tua ipsius sententia ad id comprobandum utar : sic enim dixisti, hoc præcipue propensioris esse amicitiæ, ut etiam tacentes litteris appellemus. Quando igitur et præcipitationis ac temeritatis metus est exemptus, quo sine causa correptus fueras, et hoc ipsum majoris indicium charitatis ostensum est, ingentem ad nos deinceps litterarum copiam mitte. Non enim te fugit quo animo erga tuam suavitatem affecti et fuerimus, et simus. Nam licet in hunc desertissimum locum relegati simus, licet ad ipsos orbis terrarum ultimos fines, sinceræ tuæ minimeque fucatæ charitatis oblivisci non possumus, sed singulis diebus illam mente versare non desinimus, animæque tuæ virtutes recordatione nobis effingere. Ac cuperemus quidem crebrius ad vos scribere : sed quoniam id nobis est difficile, qui a vobis adeo sejuncti sumus, vobis autem perfacile, hortamur vos, ut frequentes ad nos litteras de vestra totiusque domus vestræ valetudine mittatis : sic enim peregre degentes solatio non mediocri perfruemur.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CLXXXVII[1].

Procopio.

Quanquam exigua nobis tecum istic consuetudo fuit, domine plurimum suspiciende, magnum tamen sinceræ tuæ charitatis, animi quieti, sinceri ac ferventis amoris periculum fecimus. Quapropter etiam ad ipsos orbis terrarum fines relegati, atque ad ipsam extremam solitudinem abducti, quoniam ubique te circumferimus, quocumque tandem proficiscamur, et insculptum in pectore gestamus, ex tanto licet intervallo scribimus, ac debitam salutationem persolvimus: tuamque suavitatem oramus, ut nisi grave sit ac molestum, hanc ipse nobis gratiam concedas, et de tua valetudine lætum ad nos nuntium mittas. Hæc enim etiam te minime scribente intelligimus, dum eos qui istinc veniunt sciscitamur, quod magno nobis studio sit, ut de tua valetudine ac nominis celebritate certiores fiamus: cupimus tamen linguæ tuæ ac manus tuæ beneficio nobis eadem innotescere, ut duplicem voluptatem carpamus, tum quod scribamus, tum quod litteras a tua nobilitate missas recipiamus. Hanc vero nobis concede gratiam, quæ et jucundissima est, ac rationi consentanea, et multa lætitia nos perfundit.

[1] Ab anno 404 ad 407.

EPISTOLA CLXXXVIII[1].

Marcellino.

Nos quidem in omnium desertissimum locum Cucusum relegati sumus : cum tamen nobis in mentem venit vestræ charitatis, qua nos complectimini, ingentem percipimus consolationem, atque in solitudine divites sumus. Neque enim is vulgaris est thesaurus, si viros nanciscaris, qui sincere amare noverint. Ideo tametsi corpore minime adsumus, vobiscum anima devincti sumus, et catena charitatis obstricti. Hinc etiam fit, ut ad vos tanto intervallo disjuncti scribamus, ac debitam salutationem persolvamus. Nam in primorum numerum amicorum te ascriptum a nobis fuisse nec ipse ignoras, domine mi plurimum suspiciende. Hanc igitur nobis et ipse gratiam concede, ut frequenter ad nos litteras mittas, quæ de tuæ valetudinis statu læta nuntient, ut et dum scribimus, et dum ejusmodi litteras accipimus, multam consolationem ac voluptatem carpamus, et maximo etiam in solitudine degentes solatio perfruamur.

EPISTOLA CLXXXIX[2].

Antiocho.

Ecquando tandem suavis et ardentis amoris tui, sinceræ

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

minimeque fucatæ charitatis poterimus oblivisci, mentis ingenuæ ac sublimis, animi confidentis? Quamvis enim ad ipsos ultimos orbis terrarum fines proficiscamur, ubique te circumferimus abeuntes, fervidum nostri amatorem, et arctissima charitatis nobiscum lege devinctum. Quocirca vel in ipsam nostri hujus orbis terrarum solitudinem, Cucusum nimirum relegati, quamvis haud facile, qui litteras perferant, nancisci queamus, omnem adhibuimus diligentiam, ut investigaremus, ac reperiremus, qui nostram hanc epistolam ad te perferret, ut sublimitatem tuam compellaremus, ac debitam salutationem magnificentiæ tuæ persolveremus. Neque vero in dubium revocari debere arbitror, cum ea quæ jam a te sunt gesta considero, quin sine nostra admonitione ad nos litteras crebro mittere, et de tua valetudine certiores nos facere memineris. Non enim mediocrem consolationem hauriemus, cum a vobis, a quibus impense diligimur, litteras accipere licebit, quæ valetudinis vestræ statum exponant, et epistolæ ministerio charitatem subinde renovent, ac vestram præsentiam nobis ob oculos ponant. Siquidem potest frequentia litterarum eam, quæ ex præsentia perciperetur, lætitiam ac voluptatem adumbrare, cum a sinceris amicis transmissæ fuerint.

EPISTOLA CXC[1].

Brisoni.

Quid hoc rei esse dicam? siccine tu, qui cum nos istic essemus, innumera facere ac dicere studuisti, atque urbi,

[1] Anno 404.

vel potius toti orbi terrarum innotuisti ob eum amorem, quem erga nos ostendebas, neque silentio tegere id poteras, sed et rebus ipsis, et verbis ubique specimen ejus edebas, litteras ad nos ne semel quidem dignatus es mittere, idque, cum summo tuarum epistolarum desiderio teneremur, tuasque litteras expeteremus? Nescis quantam ex eo percepturi essemus consolationem, quod tam ardentis amicitiæ fœtus litteras acciperemus? Atque hæc ego non exprobrandi causa dico, quippe qui sciam te, sive scribas, sive sileas, ingentem benevolentiam erga nos conservare, sed quod tuarum desiderio flagrem epistolarum. Ac solemus quidem, etiamsi non scribas, eos qui istinc adveniunt, sciscitari de tua valetudine atque hilaritate, ac summopere lætari, cum ea quæ desideramus, audimus : sed linguæ tuæ ac dexteræ tuæ beneficio hæc intelligere cuperemus. Nisi ergo fortasse grave sit ac molestum quod petimus, nunc saltem hanc nobis concede gratiam, quæ maxima est et jucundissima, et magnam nobis pariet voluptatem.

EPISTOLA CXCI[1].

Ampruclæ diaconissæ (19).

Secundam accepi, quam te priorem misisse scribis epistolam, domina mea reverendissima et ornatissima. Atque iterum dico, noli audaciam appellare, quod litteras ad nos prior scripseris, neque peccatum id arbitrare, quod laus est maxima. Hoc enim ferventis et ardentis documentum esse charitatis censemus, ac sinceræ minimeque fucatæ

[1] Cucuso anno 404.

benevolentiæ tuæ, quæ flamma ipsa sit ardentior. Cum igitur hæc tibi explorata sint, hanc nobis frequenter largire gratiam ut de tua valetudine certiores nos facias, et sexcentis epistolis nos obruas, quæ id significent. Nam si vos qui nos amatis, et hilares esse, ac prospera valetudine et securitate frui certo confidamus, non mediocrem nostræ in regione peregrina commorationis levationem capiemus : sed et maximo solatio fruemur, licet in extrema solitudine habitemus. Tecum ergo reputans, quantam festivitatis occasionem nobis allatura sis, noli hanc nobis lætitiam invidere, sed quantum licebit, et facultas dabitur, continue felicem nobis de tua valetudine nuntium mitte.

EPISTOLA CXCII [1].

Onesicratiæ.

Magnum animo dolorem nos quoque cepimus, cum de morte beatæ filiæ tuæ ad nos est allatum : verumtamen cum probe nota nobis sit animi tui sapientia, mentisque sublimitas, plane confidimus fore, ut tantis fluctibus superior evadas. Nam ut nequaquam contristeris fieri nequit ; sed te hortamur tamen, ut moderate id agas, cum probe noveris, quam fluxæ sint et caducæ res humanæ, communesque omnibus hæ calamitates, ac naturæ lex communis, et domini omnium nostrum Dei decretum. Neque enim istud mors est, sed peregrinatio, atque a deterioribus ad meliora commigratio. Hæc igitur animo volvens omnia, generose fer quod accidit, et clementi Deo gratias age. Quamvis enim eo gravior inflicta sit plaga, quod adhuc recenti

[1] Cucuso anno forte 405.

priori successerit, tamen eo tibi splendidior corona patientiæ, majoraque præmia debebuntur, si cum gratiarum actione et laude calamitatem istam tuleris. Ne igitur nos quoque magnopere doleamus, sed evidenter sciamus nonnihil tibi nostras litteras profuisse, ad nos hoc ipsum scribere ne graveris, ut indices omnem tibi mœroris nubem esse discussam, ac doloris ulcus magna ex parte sanatum. Si enim hæc intellexerimus, sexcentas ad te mittere epistolas non cessabimus, quod non mediocriter tui studiosi simus, cum sincerum semper ac minime fucatum honorem, reverentiam et charitatem a modestia tua delatam senserimus. Quorum omnium perpetuo memores, florentem ac vigentem erga te benevolentiam conservamus, licet ad ipsos ultimos orbis terrarum fines deferamur.

EPISTOLA CXCIII [1].

Pæanio.

Magnopere me erexisti, ac summa lætitia perfudisti, quod cum tristia nuntiares, verbum adjeceris, quod omnibus quæ acciderint accinendum est, dixerisque, Glorificetur Deus in omnibus. Hoc verbum lethale diabolo vulnus infligit, hoc in quovis periculo securitatis et voluptatis occasionem affert. Nam simul atque illud quis protulerit, confestim mæroris nubes discutitur. Nunquam igitur hoc dicere intermitte, atque alios docere: sic enim quæ vos invasit tempestas, licet asperior fiat, in tranquillitatem mutabitur; sic qui tempestate jactantur, majorem accipient mercedem, simulque a malis liberabuntur. Hoc Jo-

[1] Cucuso anno 404.

bum corona cinxit, hoc verbum diabolum in fugam convertit, et confusum recedere coegit, hoc tumultum omnem depellit. Perge itaque omnibus quæ contingunt, istud accinere. Loci vero causa, nemo ulli negotium facessat. Quanquam enim desertus locus est Cucusus, hic tamen et quiete fruimur, et non mediocriter ex itinere contractam infirmitatem sanare potuimus, ex quo cœpimus domi perpetuo residere. Quod si nos rursus cogere velitis loca subinde mutare, summis conflictabimur malis, præsertim cum hiems sit pro foribus. Nemo igitur importunus ulli aut molestus hac occasione sit : verum ad nos de tua valetudine, deque tua istic commoratione nominisque celebritate atque hilaritate scribe. Non enim vulgarem etiam in tanta degentes solitudine consolationem hauriemus, cum ejusmodi a tua reverentia missæ litteræ nobis reddentur.

EPISTOLA CXCIV [1].

Gemello.

Desertum quidem locum habitamus Cucusum, ac totius orbis hujus nostri desertissimum : quamvis tamen ad ipsos terræ terminos relegemur, oblivisci tuæ charitatis minime possumus; sed in extera desertaque regione dum versamur, et morbi reliquias etiamnum circumferimus, ac metu latronum obsidemur ; neque enim abscedunt, sed itinera intercludunt, et omnia cruore complent Isauri; perpetuo te mente circumferimus, ac fortitudinem tuam, loquendi libertatem, suavem ac sinceram benevolentiam apud nos effingimus, et harum nos recordatione cogitationum oblec-

[1] Cucuso anno 404.

lamus. Tu vero frequenter ad nos, domine plurimum suspiciende, scribe de valetudinis tuæ statu, et quo pacto calidarum tibi aquarum usus successerit, et quid rerum nunc geras: ut etiam procul a te dissiti nihilo deteriori conditione simus, quam qui semper tecum versantur, ut de rebus tuis certiores fiamus. Nosti quippe quanto nobis studio sit, de tua valetudine quippiam audire; quod te vehementer amemus, et arctissime cum tua magnificentia devincti simus.

EPISTOLA CXCV[1].

Claudiano.

Quidnam hoc esse dicam? tu-ne ille, qui nostro amore flagrabas, et quodammodo insaniebas, qui tantam in nobis expertus es charitatem, qui semper nobiscum devinctus eras, ne litteris quidem nos tanto temporis spatio dignatus es, sed tam diurno silentio uti potuisti? Quid igitur in causa fuit? an vero post discessum nostrum ex animo tuo nos ejecisti, et segnior erga charitatem nostram evasisti! Non equidem arbitror, neque enim fieri potest, ut anima tam amica, tam fervida tantam mutationem patiatur. An vero te fortasse morbus detinuit? at hic impedimento esse non potuit, quominus scriberes. Quoniam igitur causam ignoramus, simul et silentium solve, et silentii causam indica, et quamprimum epistolam mitte, quæ nos de tua valetudine certiores faciat. Sic enim maximo nos afficies beneficio, et solitudinis non mediocre nobis solatium præbebis, si ejusmodi litteras acceperimus. Sed cave

[1] Ab anno 404 ad 407.

pigriteris: nam si hac accepta demum epistola silentium serves, non amplius veniam dabimus, sed te reum ingrati animi peragemus. Quod tibi, sat scio, supplicio quovis esset acerbius.

EPISTOLA CXCVI[1].

Aëtio.

Nos tuæ charitatis oblivisci non possumus, ardentis, sinceræ, defæcatæ, puræ, minimeque fucatæ, sed perpetuo te animo circumferimus, et insculptum pectori nostro gestamus. Et cuperemus quidem frequenter te cernere: quando autem jam id fieri nequit, nostram per litteras cupiditatem explemus, et tuæ pietati debitam salutationem persolvimus, ac te cohortamur, ut ipse quoque sæpius ad nos scribas. Quanquam enim multa in solitudine degimus, ac metu latronum obsidemur, morboque detinemur, si tamen a tua nobilitate litteras acceperimus, quæ de tua valetudine certiores nos faciant, multam etiam, dum peregre versamur, consolationem percipiemus. Cum igitur minime ignores, quantam a nobis initurus sis gratiam, quanta nos lætitia sis affecturus, ne, quæso, tanta nobis invideas voluptatem, sed da operam, ut frequentius ad nos litteras mittas: multam enim inde percepturi sumus voluptatem.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CXCVII[1].

Studio præfecto urbis (20).

Scio equidem te prudentem hominem, ac philosophandi peritum, etiam antequm litteras nostras accipias, beati fratris magnificentiæ tuæ discessum moderate laturum: non enim mortem placet appellare. Quoniam autem nos etiam quæ nostrarum sunt partium præstare necesse est, excellentiam tuam hortor, domine magnificentissime, ut hoc quoque tempore, qualis es, te ipsum exhibeas, non ut omnino non doleas; id enim fieri nequit, cum homo sis corpori annexus, et ejusmodi fratrem requiras, sed ut tristitiæ modum adhibeas. Nosti enim quam fragiles sint res humanæ, ac fluvialium conditionem undarum imitentur, sic ut eos solum beatos censeri oporteat, qui cum bona spe præsentem vitam finierint. Non enim ad mortem pergunt, sed a certaminibus ad præmia, a luctis ac palæstris ad coronas, a mari procellis agitato ad portum tranquillum. Hæc ergo cogitans te ipsum consolare quandoquidem nos quoque non mediocri dolore correpti maximo nostrum mœrorem solatio mitigamus, cum menti nostræ viri illius virtus obversatur, ex qua non dubito, quin tibi quoque maxima consolatio præbeatur. Nam si quidem improbus fuisset is qui discessit, et sceleribus coopertus, ejus causa lugendum ac lamentandum esset: cum vero talis et sic transacta vita ut tota civitas novit, cum modestia, cum lenitate, justitiam semper colens, et ea qua par erat fiducia præditus, libertate, fortitudine, res præsentes

[1] Cucuso anno 404.

pro nihilo habens, sed ab omnibus curis sæcularibus alienus fuerit, lætari oportet, ac tum illi, tum excellentiæ tuæ gratulari, quod talem fratrem præmiseris, qui ea bona, quæ habuit cum discessit, in tuto deinceps et inviolabili thesauro collocarit. Noli ergo quidquam te indignum cogitare, domine mi plurimum suspiciende, vel luctu frangi: sed hoc tempore, qualis es, te ipsum exhibe, nobisque significare dignare, nostras tibi litteras profuisse, ut nos quoque tanto a te intervallo disjuncti gloriemur, quod solius epistolæ beneficio non mediocriter hunc mœrorem potuerimus mitigare.

EPISTOLA CXCVIII [1].

Hesychio.

Quid hoc est, quod cum tam vehementer nos ames; neque enim id nos latet, nam fieri nequit, ut qui vehementer amat, eum lateat quem amore prosequitur; litteris minime nos dignatus es, sed amorem silentio premere potuisti? quidnam igitur causæ est? equidem quid dicam non habeo; tuum porro erit, ut dum silentio finem impones, simul et silentii causam significes: propterea namque priores ad nobilitatem tuam litteras misimus, ut ne hoc quidem tibi perfugium relinquatur. Frequenter igitur ad nos scribe, domine plurimum venerande ac nobilissime, desideriumque nostrum exple. Semel quippe solius nudi rumoris illecebra capti, et cum tua nobilitate devincti, nec ipsi tacere potuimus amplius, nec tuum silentium tolerare:

[1] Cucuso anno 404.

sed modis omnibus tibi negotium facessemus, nisi continuas ac frequentes ad nos epistolas mittas, et præsentiæ voluptatem litterarum frequentia adumbrare contendas.

EPISTOLA CXCIX [1].

Danieli presbytero.

Benedictus Deus, qui multo majorem ærumnis consolationem largitur, tantamque vobis impertit patientiam, ut multa etiam cum hilaritate quæ accidunt adversa toleretis. Hoc præcipue vobis mercedem duplicat, quod et toleretis, et cum gaudio toleretis : hoc nos quoque non mediocri consolatione recreat, cum de vestra fortitudine, loquendi libertate, mentis constantia, tolerantia, patientia, zelo, flamma fervidiore, ad nos affertur. Quamobrem etiam in solitudine constituti, ac metu prædonum obsessi, jamque hiemis tempore divexati, nihil istorum præ eximia nominis vestri celebritate sentimus : sed et exultamus et gaudemus, et propter hanc tantam vestram patientiam nos efferimus. Ut igitur dum hæc audimus, semper gaudeamus, semper nobis et continuo litteras mittite, quæ cum de his rebus, tum de vestra valetudine nos faciant certiores. Magna quippe nos id agentes lætitia perfundetis.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CC [1].

Callistrato Isauriæ episcopo.

Optarem equidem venerationem tuam præsentem hic cernere, ut tuo possem oblectari congressu, ac sincera ferventique tua frui charitate : quando autem id nondum licet, cum propter anni tempestatem, tum propter itineris longinquitatem, debitam tibi per litteras salutationem persolvo; ac venerationi tuæ gratias ago, quod litteris tuis dignatus sis nos lacessere. Hoc enim ferventis ac sinceræ est amicitiæ : neque solum non absurde, sed et tibi admodum convenienter egisti. Hoc itaque nobis assidue beneficium largire, deque valetudine tua frequentius redde certiores. Quod si fieri potest, ut laborem ad nos usque veniendi veneratio tua suscipiat, summo nos beneficio tibi devincies, ac multa lætitia complebis. Cum igitur intelligas nos quoque percupere venerationem tuam cernere, neque rem laboriosam esse admodum, si tempus fiat idoneum ad iter agendum, ne tuo congressu nos prives. Donec id fiat, da operam, ut voluptatem eam, quam præsentia tua secum accersit, per frequentes litteras effingas.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CCI [1].

Herculio.

Nihil est quamobrem diuturni silentii excusationem quæras, et ad raritatem tabellariorum confugias, Domine mi magnificentissime, ac imprimis suspiciende. Nos enim sive scribas, sive taceas, nihilo tamen magis ideo de sententia et opinione, quam de tua charitate concepimus, possumus dimoveri : cum ita manifeste rebus ipsis illam expresseris, ut toti civitati notum fuerit, quam vehementi ac propemodum insano amore nostri flagrares. Nihilominus tamen sic affecti crebras accipere litteras ab excellentia tua percupimus, quæ de tua valetudinis statu nos admoneant. Ut enim ipse dixisti, maximum istud separationis solatium afferre, si de nostra valetudine certior fias, nec te latet, quanti hoc fiat ab homine, qui amare noverit, cum et ipse amare probe noveris : ita nobis hoc est maxime cordi. Hanc itaque nobis concede gratiam, ut in tanta degentes solitudine multam consolationem inde capiamus.

[1] Ab anno 404 ad 407.

EPISTOLA CCII.

Cyriaco episcopo.

Hæccine ferenda sunt? hæccine toleranda? tu vel umbram tibi excusationis suppetere arbitraris in tanta tristitia, tam longo tempore, in tanto tumultu ac perturbatione, in tanta tribulatione ac miseria constitutis nobis ne semel quidem mittere litteras dignatus es : at nos quidem semel atque iterum et sæpe misimus, tu vero tam longo tempore siles, et leve peccatum te admisisse existimas cum tam ingratus in nos fueris? Me quidem in summam dubitationem et anxietatem conjecisti. Non enim possum causam silentii comminisci, cum ardentis ac sinceræ tuæ charitatis mihi in mentem venit, cujus semper erga nos specimen edidisti. Nam neque segnitiei tribuere id possum; scio quippe quam vigilanti animo sis; neque formidini, novi quippe fortitudinem tuam; neque torpori ac pigritiæ, novi enim diligentiam et solertiam tuam : sed neque morbo; tametsi neque ille ad te impediendum sufficeret : verumtamen ex illis qui istinc veniunt didici te sanum esse ac prospera frui valetudine. Quid igitur est causæ? non possum dicere, sed hoc solum, doleo et crucior. Omnem igitur lapidem move, ut hoc mœrore nos liberes, nam nisi acceptis etiam his litteris ad nos multa cum celeritate scribere volueris, summum nobis dolorem inusturus es : ita multum adhiberi laborem opus est, ut nostra hæc tristitia mitigetur.

EPISTOLA CCIII[1].

Salustio presbytero.

Non mediocriter dolui, cum allatum est ad me, te ac Theophilum presbyterum segniores factos esse. Scio namque unum ex vobis quinque homilias ad octobrem usque mensem habuisse, alterum nullam, atque id mihi gravius hac solitudine accidit. Hoc igitur nobis, si falsum sit, indicate, quæso, sin verum, remedium adhibete, vosque invicem excitate : siquidem gravem admodum mihi dolorem inuretis, tametsi vestro admodum amore flagranti. Quodque gravius est, cum tanto in otio et inertia vitam traducatis, neque munere vestro fungamini, multum Dei in vos judicium accersetis. Quis enim venia dignos vos censeat, qui dum cæteri persecutionem patiuntur, in exilium mittuntur, relegantur, neque præsentia vestra, vel eruditione populo tempestate jactato pro virili succurrere studeatis.

EPISTOLA CCIV[2].

Pæanio.

Cum tecum animo reputas, domine mi plurimum suspiciende ac nobis melle suavior, grave ac molestum esse a nobis separatum esse, cogitans quale negotium geras,

[1] Cucuso anno 404. — [2] Cucuso anno 204.

teque civitatem regere universam, vel potius totum orbem terrarum per illam civitatem, gaude et exulta. Potes enim cum utilitate non mediocrem inde percipere voluptatem. Si enim dum pecunias nonnulli colligunt, quæ et pereunt, et illos perdunt, tanta lætitia perfunduntur, licet ab ædibus suis, uxore, liberis, et propinquis omnibus multo tempore sint sejuncti; quis jucunditatem illarum opum tantorumque thesaurorum verbis exprimere poterit, quos istic quotidie tibi vel præsentia sola congregas? Non enim hæc assentandi causa dico, ut probe norunt, qui etiam absente te hic a nobis hæc audiunt, sed præ nimio gaudio, ac lætitia gestiens, et incitatus. Multos enim eorum, qui istic sunt, potes vel sola præsentia tua meliorem ad frugem traducere, firmare, instruere, corroborare. Novi ego quam acer bellator sis, novi quam multa gesta sint istic a te præclara facinora; novi zelum, vigilantiam, cursus, animæ laborem, fiduciam, libertatem, qua Episcopis restitisti, cum tempus id requireret, tametsi cum ea qua decuit moderatione. Ac laudabam te quidem ob hæc tanta gesta, multo vero amplius nunc, cum, licet nemo istic te adjuvet, sed alii fugerint, alii relegati sint, alii sese abdiderint, tu in acie solus stes, ejusque frontem ornes, nec ullum ordinis desertorem fieri sinas, sed eos etiam qui adversariorum partes sequebantur, quotidie ad tuas mira suavitate traducas. Neque te propter hæc laudo tantum, sed etiam quod in uno constitutus loco universi terrarum orbis curam geras, Palæstinæ, Phœniciæ, Ciliciæ negotiorum, quæ potissimum curare debes. Nam Palæstini quidem ac Phœnices, ut probe novi, hominem illum ab adversariis missum non admiserunt, Ægensis autem et Tarsensis a partibus illorum stant, ut audivi, et admonuit quemdam ex amicis nostris Castabalorum episcopus, ipsos a Constantinopolitanis cogi illorum iniquitati

assentiri, sed interim tamen resistere. Multam igitur adhibeas sollicitudinem oportet, vigilantiam multam, ut huic quoque parti remedium afferas, et ad consobrinum tuum, dominum meum Theodorum episcopum scribas. Quæ ad Pharetrium spectant, molesta valde sunt et tristia : verumtamen cum ejus presbyteri, neque commercium et consuetudinem cum adversariis habuerint, ut ais, neque cum illis communicare statuerint, sed, ut dicunt, adhuc stent a partibus nostris, nihil horum cum illis communices : quandoquidem quæ in nos commisit Pharetrius, nullam omnino veniam merentur, Clerus certe ipsius omnis et ægre ferebat, et gemebat, ac totus in nostras partes animo transibat. Sed ne forte in causa simus, ut hi resiliant, et asperiores reddantur, ubi cuncta ex Præfecti militibus cognoveris, ea apud te contine, ac perhumaniter illos tracta ; novi quippe quam prudens sis ac providus ; eique significa, nos quoque audivisse multum ipsum iis quæ contigerant indoluisse, ac paratum fuisse quidvis pati, ut omnia illa quæ nefarie sunt patrata sarcirentur. Nobis corpus optime valet, ac reliquias morbi depulimus : cum vero tibi hoc quoque curæ esse cogitamus, non mediocrem etiam nobis occasionem id affert sanitatis, quod tam vehementem amatorem nacti simus. Deus tibi tanti studii, charitatis, zeli, vigilantiæ mercedem, cum in hoc tum in futuro sæculo retribuat, teque muniat, protegat, et custodiat, atque arcana illa bona tibi largiatur. Faxit autem, ut nos quoque jucundissimam faciem tuam intueri quamprimum possimus, dulci anima tua potiri, ac pulcherrimum hoc festum agere. Non enim te latet pro festo ac solemnitate nos habere, ut suavissimo multisque bonis redundanti congressu tuo dignemur, et rursus fruamur.

EPISTOLA CCV[1].

Anatolio præfectiano.

Sero quidem et pauca ad nobilitatem tuam scribo : verumtamen non negligentia, sed prolixa ægritudo corporis silentii causam attulit : alioqui perpetuo charitate devincti tecum sumus, utpote quibus perspecta sit charitatis tuæ sinceritas, et ingenuitas, candor ac puritas animi tui. Neque desinimus apud omnes amorem prædicare, quem erga nos sine intermissione non præsentes solum, sed etiam absentes præ se tulit tua nobilitas : non enim nos fugit post discessum nostrum, quanta nostra causa facere ac dicere studueris. Deus tibi tanti studii mercedem, cum in hoc, tum in futuro ævo rependat. Verumtamen ut majorem hauriamus animo voluptatem, non solum dum scribimus, sed etiam dum litteras a tua suavitate missas accipimus, felici, quæso, de tua valetudine nuntio nos exhilara, ut etiam in hac degentes solitudine multam consolationem percipiamus. Si enim tuæ charitatis recipiamus epistolam, quæ de tua sanitate tuorumque omnium propinquorum certiores nos faciat, multo, etiam dum in extera regione versamur, solatio perfruemur.

[1] Cucuso anno 405.

EPISTOLA CCVI [1].

Theodulo diacono.

Etsi gravis nunc hiemis sævit asperitas, et ad summum fastigium est evecta, neque ullum cessant movere lapidem, qui Ecclesias Gothiæ labefactare conantur, dum undique discurrunt : vos tamen quæ vestrarum sunt partium præstare ne desinatis. Licet enim nihildum fuerit vestra sedulitate perfectum, quod non existimo, vobis tamen ob hunc animum et propositum plena et cumulata merces jam est a benigno Deo constituta. Noli ergo defatigari, dilecte, dum studes, dum sollicitus es, et curam omnem adhibes, cum per te, tum per quoscumque alios licuerit, ut turbæ istic ac tumultus non excitentur. Sed ante omnia orate, neque assiduis precibus cum eo quo par est studio a benigno Deo postulare desinite, ut quæ illata nunc sunt mala depellat, ac multam Ecclesiis altamque pacem largiatur. Interim saltem, quod antea scripsi, omni ope conatuque contendite, ut negotio dilationem aliquam obtineatis. Tu vero, dum istic es, crebras ad nos litteras mitte.

EPISTOLA CCVII [2].

Monachis Gotthis qui in Promoti agro degunt (21).

Antequam vestras litteras accepissem, quantas passi

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

fueritis afflictiones, quantas tentationes, quantas molestias, jam cognoveram : eoque nomine vos beatos admodum censeo, cum mihi veniunt in mentem coronæ, bravia, et præmia quæ vobis parantur. Ut enim illi qui vobis insidias struunt, vosque perturbant, grave sibi judicium accersunt, et ignem gehennæ capiti suo accumulant : ita vos qui talia patimini, multam mercedem multamque retributionem obtinebitis. Nolite igitur terreri, vel inde turbari, sed gaudete et exultate, dum Apostolicum animi sensum retinetis, ex quo vox illa promanat, « Nunc gaudeo in passionibus meis[1] : » et rursus, « Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem[2]. » Probatiores igitur effecti et opulentiores cælestibus opibus, licet his graviora contingant, amplius exultate. « Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis[3]. » Neque vero nobis ignota est patientia vestra, fortitudo, tolerantia, sincerus et ardens amor, animique vestri firma et invicta constantia. Quam ob causam ingentes vobis gratias agimus, et cum animis vestris perpetuo devincti sumus, neque longinquitas itineris nos erga charitatem vestram negligentiores ullo modo efficit. Sed et gratiam vobis habeo propter id studium quod exhibuistis, ut nullus in Ecclesia Gotthorum tumultus fieret, sed dilatione aliqua negotium extraheretur. Neque tantum non reprehendo, quod neminem miseritis, sed etiam laudo et suspicio. Hoc enim illo multo est optabilius, ut vos omnes in ejusmodi opus incumbatis. Nolite igitur cessare quæ vestri sunt muneris exequi, tum per vos ipsos, tum per alios per quoscumque licebit, ut negotium dilatione aliqua proteletur. Nam sive quid fuerit opera vestra perfectum, sive

[1] Coloss. I, 24. — [2] Rom. V, 3. — [3] Id. VIII, 18.

non, plena et cumulata merces vobis ob hanc animi sententiam et studium constituetur.

EPISTOLA CCVIII[1].

Acacio presbytero.

Tu qui tanto nostri amore flagras, tam vehementi benevolentia nos complecteris, ne litterarum quidem nos participes tuarum facis. Atqui jam semel atque iterum ad te scripsimus, tu vero in hoc segnior evasisti. Cum igitur intelligas, quanto nos beneficio tibi devincturus sis, si de tua valetudine certiores nos reddas, da operam, quæso, ut quam celerrime ad nos litteras mittas. Non enim mediocri consolatione permulcebimur, si de amicorum nostrorum valetudine sine intermissione moneamur.

EPISTOLA CCIX[2].

Salvioni.

Nos quidem abs te amari, seu scribas, seu non scribas, probe scio. Non enim potest tam ardens amor in nos tuus nos latere, sed hoc omnes prædicant, multique, qui istinc ad nos adveniunt, ferventem ac sinceram nobis charitatem tuam annuntiant. Sed et optaremus sæpe litteras a tua generositate recipere, quibus de tua et dominæ meæ uxoris tuæ, totiusque domus tuæ valetudine fieremus certio-

[1] Scripta ab anno 404 ad 407. — [2] Ab anno 404 ad 406.

res. Scis enim quanto id nobis studio sit. Hæc igitur cum tibi perspecta sint, domine mi plurimum venerande, tametsi difficile est quod petimus, cum propter tempus hibernum, tum quod pauci ad nos accedant, cum licuerit, ne te pigeat ad nos scribere, atque ea significare quæ petivimus : vestram enim sanitatem et securitatem nostram esse ducimus opulentiam ac lætitiam, atque adeo uberem voluptatem. Cave igitur tanta voluptate nos prives, sed iis qui te impense diligunt hanc per litteras consolationem imperti, quæ nostrum tædium solatio non mediocri mitigabit.

EPISTOLA CCX[1].

Theodoro.

Miratus sum, quî factum sit, ut ex aliis Salustii presbyteri negligentiam intelligerem. Siquidem significatum mihi est vix eum quinque homilias Octobri mense habuisse, atque ipsum et Theophilum presbyterum, alterum præ pigritia, alterum præ metu minime ad collectam venire. Sed Theophilum quidem per litteras vehementius increpavi, Salustii vero causa ad reverentiam tuam scribo, quod illum abs te vehementer amari sciam : quam ob causam non mediocriter gaudeo et oblector. Sed et succenseo tuæ reverentiæ, quod hoc mihi non manifestum reddideris, qui debuisses ipsum corrigere : neutrum tamen horum præstitisti. Nunc ergo saltem oro te, cum tibi, tum nobis hanc maximam concede gratiam, ut vehementer illum excites, neque obdormire permittas, aut otiari. Nisi enim

1 Cucuso anno 404.

nunc in hac negotiorum istorum tempestate ac procella convenientem fortitudinem præ se tulerit, quando sic ejus opera indigebimus, ubi tranquillitas et pax redierit? Te igitur hortor ut quæ sunt officii tui, prout decet, executus, et illum et omnes ad auxilium populo ferendum tempestate jactato excites, quod antequam litteras nostras acciperes, sat scio, tua sponte ac nullo monente præstare cœpisti.

EPISTOLA CCXI[1].

Timotheo presbytero.

Nos quidem nuper ad te atque ad honoratissimum dominum meum Marcianum tribunum scripsimus : tu vero neque litteras ad me ab illo mitti curasti, neque ad nos ipse scripsisti. Nihilominus tamen nos nostrum morem secuti, sine intermissione vestri recordari, atque ad vos, cum facultas suppetit, scribere non desinimus; quod nunc etiam facimus, ingentesque vobis gratias agimus ob studium quod exhibetis, et pericula quæ subitis, vosque beatos prædicamus. Neque enim exiguas vobis coronas reconditis, dum ad modicum tempus afflicti, perennem vobis in cœlo mercedem ac multo majorem his sudoribus præparatis. «Non enim sunt dignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis[2]».

[1] Cucuso anno 404. — [2] Rom. VIII, 18.

EPISTOLA CCXII[1].

Theophilo presbytero.

Vehementer dolui, cum audivi te ac Salustium presbyterum haud frequenter ad collectam accedere, neque mediocrem id mihi mœrorem inussit. Peto igitur, ut, si quidem id falsum sit, indicare mihi studeatis, quod sine causa calumniam passi sitis : sin verum, ejusmodi negligentiam emendetis. Ut enim maxima vobis merces constituitur, præsertim si in hoc sæculo convenientem fortitudinem exhibeatis; ita non mediocre vobis judicium imminet, si negligentes sitis ac remissi, neque munere vestro fungamini. Scitis namque quid passus ille fuerit qui talentum unum defoderat, qui de nullo alio crimine accusatus, ob hoc solum punitus est, et inevitabiles pœnas dedit. Date igitur operam, ut me quam celerrime cura liberetis. Ut enim summam consolationem mihi præbet ac solatium, cum audio vos cum omni alacritate populum universum tempestate jactatum instruere; sic cum adfertur ad me quosdam segnes esse, non mediocrem mihi segnities illorum dolorem inurit. Sane quidem pulcherrimum illum gregem Dei gratia quotidie confirmat, ut vos quoque reipsa comperistis : qui vero præ nimia negligentia, quæ suarum sunt partium, præstare desinunt, non mediocre per inertiam ejusmodi sibi judicium accersunt.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CCXIII [1].

Philippo presbytero.

Miratus sum, quî factum sit, ut tam diuturno tempore nihil ad nos scripseris; atque nobis quidem vel absentibus non mediocrem amorem exhibueris, sed nos litterarum tuarum participes minime feceris. Nunc saltem ad nos scribere ne pigriteris, ac de tua valetudine facere certiores : nam licet non scribas, de rebus tuis sciscitamur, et vos didicimus a schola pulsos fuisse (22), cum eam loquendi libertatem, quam par erat, exhibuissetis. Hoc vobis merces, hoc cælestis est negotiatio, hoc immortalis corona, hoc congeries præmiorum. Hæc igitur omnia vobiscum reputantes, quidquid acciderit, generose ferte. Potest enim Deus tentationes istas depellere, ac tranquillitatem quamprimum reducere, vobisque copiosam istius patientiæ mercedem in hac vita et in sæculo futuro largiri.

EPISTOLA CCXIV [2].

Sebastiano presbytero.

Etsi corpore a tua reverentia remoti sumus, charitate tamen tecum devincti sumus, et ubicumque fuerimus, amicitiam tuam memoria circumferimus, licet ad ipsos

[1] Cucuso anno 404. — [2] Scripta ab anno 404 ad 407.

orbis terrarum fines relegati simus. At tu quoque perpetuam nostri memoriam quin conserves, nulla ratione arbitror esse dubitandum. Novi quippe sinceritatem amoris tui, charitatis firmitatem, et animi tui constantiam. Quocirca te oramus ut frequenter ad nos scribas, ac de tua prospera valetudine certiores nos facias. Nam de ejus statu subinde moneri summopere desideramus; et non mediocrem consolationem, dum in hac solitudine degimus, ex ejusmodi litterarum lectione capiemus.

EPISTOLA CCXV[1].

Pelagio presbytero.

Mansuetudinem tuam, modestiam, probitatem, charitatis ardorem, amoris erga nos sinceritatem exploratam habeo. Idcirco multo cum affectu reverentiam tuam saluto, ac significo te a me, ubicumque gentium fuero, animo circumferri. Fac igitur, quæso, ut alteram percipiamus voluptatem, non solum ex eo quod litteræ mittantur, sed etiam ex eo quod de tua valetudine certiores fiamus: hæc nobis frequenter significa. Licet enim in asperrimam hanc solitudinem relegati simus, cum ab amicis nostris ejusmodi litteras acceperimus, multa lætitia perfundemur.

[1] Scripta ab anno 404 ad 407.

EPISTOLA CCXVI[1].

Musonio.

Et jam scripsimus ad generositatem tuam, domine mi honoratissime ac religiosissime, et nunc id ipsum rursus agimus, tametsi tu ne semel quidem litteras ad nos dederis. Nos tamen crebras ad te litteras dare non cessabimus, et quod præstare nos decet, præstabimus. Cuperemus enim sæpius id agere: sed quoniam in loco admodum deserto versamur, et metu latronum civitas circumsidetur, ac temporis hyberni asperitas itinera intercludit; neque permittunt hæc omnia, ut multi ad nos frequenter accedant, quotiescumque licet, et tabellarios nancisci possumus, pietati tuæ debitam salutationem persolvimus. Nota quippe nobis est ac perspecta tuæ charitatis sinceritas, amoris ardor, animi constantia, et ingenuitas ab omni simulatione aliena. Quo fit, ut memoria te semper circumferamus, ubicumque versemur, neque tuæ suavitatis oblivisci possimus. Verum ut non solum dum scribimus, sed etiam dum litteras accipimus, quibus de tua fiamus valetudine certiores, lætemur, crebras ad nos ejusmodi epistolas mitte. Sic enim quamvis loco valde dissiti, multam consolationem ex ejusmodi litteris sentiemus, cum vos a quibus vehementer et ardenter amamur, hilares et expertes periculi vivere intelligemus.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CCXVII[1].

Valentino.

Liberalem animum tuum, et amoris ardorem exploratum habeo, quod ad ferendum pauperibus subsidium incumbis, et quam in hac præclara negotiatione præ te fers cupiditatem, dum et præbes, et cum voluptate præbes, ac duplicem tibi coronam misericordiæ ac splendidiorem comparas, cum liberalitate, tum animi proposito, ex quo liberalitas ipsa promanat. Quando igitur nobis reverendissimus presbyter Domitianus, cui viduarum ac virginum istic cura commissa est, significavit eas propemodum fame vexari, tanquam ad portum quemdam ad manus tuas confugimus, ut ab iis ab hoc famis naufragio vindicentur. Te igitur oro ac vehementer oro, ut misso Presbytero, quantum fieri poterit, illis auxilio esse velis : siquidem ea quæ nunc præbetur eleemosyna multo majorem ea, quæ alio tempore præberetur, mercedem acquirit, quanto graviori tempestate ac procella jactantur, qui sibi dari hoc petunt, consuetis facultatibus destituti. Cum igitur rei utilitatem intelligas, et quanta ex temporis conditione fiat accessio, exorari te sine, ut quæ tuarum sunt partium præstes. Nihil enim amplius est dicendum, cum ad clementissimum et benignissimum hominem scribamus : quippe qui noveris te etiam sportulas nobis debere (23) : verumtamen si hoc præstes, quod earum nomine debes, nobis persolutum arbitrabimur. Tu vero ad

[1] Cucuso anno 404 vel 405.

nos quoque velim scribas, te nostræ petitioni annuisse: deque tua totiusque benedictæ domus tuæ valetudine facias certiores.

EPISTOLA CCXVIII [1].

Euthymio presbytero.

Nihil vos contristet, quod a schola pulsi fueritis, sed cum animis vestris reputantes, quantam hinc etiam mercedem receperitis, et quo pacto coronæ vobis augeantur, gaudete et exultate ob ejusmodi afflictiones et insidias. Multum enim vobis hæc in cœlis quæstum coacervant, et illustriores vos efficiunt, ac præmia majora constituunt. Angusta quippe et arcta via est, quæ ducit ad vitam. Ad nos quoque frequenter scribere de valetudine tua ne graveris. Scis enim quantis tecum charitatis vinculis obstricti simus, et quo pacto, ubicumque gentium degam, te mente circumferam, tuoque semper amore ardeam: jam vero tanto etiam magis ardeam, quanto ex ejusmodi afflictionibus illustrior evasisti.

EPISTOLA CCXIX [2].

Severinæ et Romulæ.

Nisi probe perspecta mihi vestra sincera charitas esset, ac studium quod erga me semper ostendistis: non medio-

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

cris vos negligentiæ propter longum vestrum silentium, idque, cum a nobis frequentes litteras acceperitis, accusarem. Sed quoniam scio vos, sive sileatis, sive scribatis, pariter erga nos affectas esse, propterea non ausim vos hujus silentii causa reprehendere, tametsi mirifice cupio litteras sæpe vestras accipere, quibus de vestra valetudine certior fiam. Nihil enim est causæ cur ad hanc excusationem confugiatis, quod non ita crebro tabellarios nanciscamini : siquidem desideratissimus et suavissimus Salustius nobis dilectus, ad hoc, sat scio, vobis potuit inservire. Verumtamen ne sic quidem vos accuso, quod admodum de vestra charitate confidam. Nos itaque, quoties licebit, ad vos crebras litteras mittere non desinemus, quippe quibus sinceritas et ardor benevolentiæ vestræ cognitus sit et exploratus.

EPISTOLA CCXX[1].

Pæanio.

Respiravimus, exultavimus, non jam exteram aut peregrinam amplius regionem incolere nos arbitramur, cum ad eam urbem, quæ tam multa perpessa est, tua sublimitas sit reversa. Hac autem idcirco nos voluptate perfundimur, non quod dignitas tibi major obtigerit : dignitas enim tua, virtus est animæ tuæ, nec ullus ipsam tibi antea potuit auferre, neque nunc reddidit : quo enim pacto, cum ablata minime fuerit? sed idcirco exultamus, quod magnam consolationis occasionem attulerit tuus in urbem illam reditus, iis qui vexabantur, mactabantur, in vincula

[1] Cucuso anno 404.

conjiciebantur, cum communis illorum protector sis, et ad te omnes illi tanquam ad latissimum portum confugiant. Scis quippe inde lucrum decerpere, unde lucrum decerpendum est. Tu vero deinceps de tuorum recte factorum magnitudine scribe, ac manifeste significa, quot jacentes excitaveris, quot lapsos erexeris, quos fluctuantes firmaveris, quibus tamdiu laborantibus subsidio fueris, quot segniores factos, diligentes reddideris, quos diligentes antea, diligentiores effeceris : omnia denique tua in hac acie præclara facinora sigillatim expone. Nam hæc cuncta scio prius etiam, quam litteras tuas accipiam, utpote qui animum tuum noverim, generosum athletam ac mirabilem bellatorem : sed a charissima tamen nobis lingua tua cuncta velim ediscere. Huic igitur nostræ petitioni annue, cum intelligas, quanto nos tibi, dum hoc ages, sis beneficio devincturus.

EPISTOLA CCXXI [1].

Constantio presbytero.

Nicæa quarto mensis Julii die soluturus, hasce ad pietatem tuam dedi litteras, ad id te cohortans, ad quod nunquam cohortari desii : quamvis gravior præsente tempestate procella, majoresque fluctus ingruant, ut ne intermittas ea, quæ officii tui sunt, in ea, quam ab initio cepisti, administratione adimplere : Græcæ superstitionis exterminationem dico, Ecclesiarum constructionem, ani-

[1] Nicææ scripta, cum iret in exilium anno 404. habetur apud Nicephorum lib. 13, cap. 27. De panemo mense pluribus agitur in Vita Chrysostomi benedictina.

marum curam : neque te supinum aut socordem rerum difficultas faciat. Neque enim gubernator, ubi mare ipsum concitari et furere videt, a navis clavo et gubernaculis discedit : neque medicus, ubi ægrum morbo corripi cernit, curatione supersedet : sed tum maxime uterque istorum artem suam adhibet. Tu quoque, domine mi reverendissime ac religiosissime, multam nunc animi promptitudinem adhibe, neque te ad socordiam redigant præsentia mala : non enim de eis, quæ nobis inferuntur, malis rationem reddemus; quin potius mercedem accipiemus. Si vero ea, quæ nostrarum sunt partium, non præstiterimus, sed desides fuerimus, nihil nos ea in re adjuvabit, aut defendet malorum tumultus : quandoquidem et Paulus carcerem incolens, in vinculis officium suum fecit, et Jonas in ventre belluæ marinæ inclusus fuit, et tres pueri in camino versati sunt : neque tamen horum quemquam vincula varia ad desidiam redegere. Hæc igitur tecum reputans, domine mi, ne omiseris Phœniciæ, Arabiæ, et Orientis Ecclesiarum curam gerere, illud persuasum habens locupletiorem te mercedem recepturum esse, si tot et tantis intercedentibus impedimentis, quæ tuarum partium sunt, præstiteris. Neque tibi grave sit identidem ad nos scribere, sed et creberrimas litteras dato. Nam sicuti nunc cognovimus, non Sebasteam, sed Cucusum exulatum ire jussi sumus, quo tibi litteras mittere facilius erit. Scribe igitur nobis, quot anno quolibet structæ sint Ecclesiæ, et qui viri sancti in Phœniciam commigrarint, et si qua majora accesserint incrementa. Nam cum Nicænum quemdam monachum inclusum reperissent (24), ei ut ad pietatem tuam iret, et in Phœniciam proficisceretur, persuasi. An is ad te venerit, fac sciam. De Salamine, quod oppidum est in Cypro situm, et ab hæresi Marcionistarum opprimitur,

acturus cum quibus oportuit, et rem omnem feliciter confecturus eram, nisi ejectus fuissem. Quod si dominum meum Cyriacum episcopum Constantinopoli esse cognoveris, scribe ad eum hac de causa, et perficere is omnia poterit. Cohortare omnes, et potissimum eos qui fiduciam apud Deum habent, ut multum et assidue orent, ut præsens orbis terrarum naufragium conquiescat. Intolerabilia enim Asiam, aliasque urbes et Ecclesias invaserunt mala, quæ singillatim, ne molestus esse videar, enumerare supersedeo : atque unum illud dico, multa nunc et assidua opus esse precatione.

EPISTOLA CCXXII[1].

Casto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, presbyteris Antiochenis.

Et quod ad nos scripseritis, et quod litteris nos lacessere volueritis, ac litteras a nobis petere, modumque epistolæ excedere jusseritis, id argumento fuit vos insaturabili et insano erga nos amore flagrare. Atque hoc efficit, ut ea solitudo, quam incolimus, solitudo minime videatur : hoc diversas et continuas calamitates mitigat. Quid enim cum charitate conferri potest? nihil plane : hæc et radix, et mater, et fons est bonorum, virtus minime laboriosa, virtus voluptate referta, quæque multam iis, qui ipsam exercent, voluptatem parit. Quas ob res gratias vobis ingentes agimus, quod adeo sinceram erga nos benevolentiam conservaveritis : nos vero ubicumque gentium fuerimus, licet ad ipsos orbis terrarum fines deferamur, licet

[1] Cucuso anno 404.

ad locum hoc multo desertiorem, vos mente circumferentes abibimus, insculptos vos animo et incisos pectore nostro gestantes, neque itineris longinquitas, neque temporis diuturnitas, neque turba calamitatum negligentiores erga suavitatem vestram nos reddidit, sed quasi non ita pridem vobiscum versati fuerimus, imovero quasi vobiscum perpetuo versemur, ut re vera versamur, ita vos cernimus, et charitatis oculis contemplamur. Ejusmodi enim est amicitia, non itinerum intervallo dirimitur, non longo dierum spatio debilitatur, non afflictionum turba superatur; sed in altum perpetuo tollitur, et flammæ cursum imitatur. Atque hoc vos præ cæteris omnibus nostis, quia præ cæteris omnibus etiam amare scitis : quocirca vos quoque beatos dicimus. Licet enim miserabiles simus ac despecti, at potens est Deus, et sufficit ad constituendam vobis mercedem hac charitate majorem, ac multo uberiorem : nam eorum meritum, qui aliquid boni egerint dixerintve, suis præmiis longe superare solet. Et optarem equidem ipsis oculis vos præsentes cernere, et congressu vestro conspectuque frui, atque hoc pacto vestra charitate oblectari : quando autem id non licet, non ob pigritiam aliquam et negligentiam, sed quod exilii necessitate præpediamur; nolite saltem nos altera navigatione privare, sed ingentem copiam epistolarum ad nos mittite, quæ de vestra nos faciant valetudine certiores. Nam si ejusmodi litteras frequenter acceperimus, multam consolationem percipiemus, quantumvis longinqua et extera in regione degamus. Cum igitur vobis exploratum sit, quanto nos devincturi sitis beneficio, quantaque lætitia perfusuri, nolite hanc nobis voluptatem invidere : dum enim vobiscum per litteras colloquemur, vos ipsos hic adesse arbitrabimur, et evidentius tanquam ob oculos positos poterimus animo contemplari.

EPISTOLA CCXXIII[1].

Hesychio.

Cupiebam equidem, antequam ad suavitatem tuam scripsissem, litteras ab ea prior accipere : hoc enim vehementissimi amoris est proprium. Verumtamen litteras tuas non expectavimus, sed priores ad te scripsimus, ut in hoc saltem ardentis amoris erga tuam suavitatem nostri specimen ederemus. Sed hoc tamen nomine tibi gratiam habemus, ut qui probe sciamus non ex contemptu, sed præ nimia humilitate tibi hoc contigisse. Audacter igitur hunc tuum in nos amorem ostende, ac litteras, quibus de tua valetudine certiores fiamus, ad nos creberrimas mitte. Si enim ejusmodi litteras acceperimus, licet ad ipsos orbis terrarum fines amandati simus, licet ad locum isto desertiorem, multo solatio tædium nostrum vestræ charitatis officium mitigabit. Nihil enim ita potest animum erigere, multaque voluptate perfundere, ac si amet, ameturque sincere. Atque hoc tu omnium maxime nosti, quandoquidem tu quoque omnium maxime amare nosti.

EPISTOLA CCXXIV[2].

Marciano et Marcellino.

Quidnam causæ est, quamobrem, cum tantopere nos

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

ametis; neque enim tanto licet a vobis intervallo disjunctos latet nos amor vester, quod et vehemens sit et inflammatus; silere potuistis, ac ne semel quidem litteras ad nos dedistis, sed rem istam similem ænigmati reddidistis? Neque enim legitima fuit illa excusatio, quam in epistola ad religiosissimum presbyterum Constantium missa expressistis. Verum tamen nolim hæc exacte disquirere. Sit ita sane, atque hanc fuisse causam silentii demus; ecce et hæc ipsa nunc vobis eripitur, et litteris nostris vos lacessimus, ac simul gratias agimus ob sinceram hanc charitatem, quam erga nos ita florentem conservatis, ac petimus, ut quotiescumque licebit, crebras ad nos litteras detis. Non enim dubito quin huc impigre advolare parati fuissetis, nisi, ea quæ commemorastis impedimenta intercessissent; imovero animo jam ac voluntate advolastis. Sed quoniam id reipsa fieri tantisper non potest, litterarum saltem solatio nostrum mœrorem lenite, ac de vestra totiusque vestræ domus valetudine nos facite certiores. Si enim ejusmodi litteræ ad nos a vobis missæ fuerint, quamvis in asperiori degamus solitudine, quam sit ista, multam ex litteris vestris consolationem capiemus.

EPISTOLA CCXXV[1].

Constantio presbytero.

Miratus sum cur tu qui tam vehementer nos amas, quique nihil non agere, dicere, ac pati nostra causa paratus es (neque enim nos fugit, neque fieri potest, ut

[1] Cucuso anno 404.

sincere amantem id fugiat) ne semel quidem ad nos scriberes, idque cum nos haud longe a vobis advenissemus, et mihi plurimum colendus et clarissimus frater Libanius ad nos pergeret. Hæc a me non eo consilio dicuntur, ut vos accusem, sed ut dolori meo satisfaciam. Nam quoniam magno affectu pietatem vestram prosequor, non aliam ob causam, sed quoniam omni studio de animæ tuæ salute sollicitus es, et iis qui necessitatibus premuntur communem te portum offers, dum egenis succurris, dum viduis subvenis, dum sustentas orphanos, et communem omnibus te parentem præbes, hac de causa cum ingenti amore tui afficiar, litteras etiam recipere a tua pietate desidero. Hanc igitur nobis concede gratiam, ac desiderium nostrum exple: non enim mediocri solatio levabimur, licet in solitudine constituti, si amantissimi animi tui manusque litteras acceperimus, quæ nos de tua totiusque domus tuæ valetudine faciant certiores.

EPISTOLA CCXXVI[1].

Marciano et Marcellino.

Nobis ænigma solvistis. Non enim ad defensionem suffecisse illam excusationem, quæ tum suggerebatur, vos nunc indicastis, cum nondum acceptis litteris nostris nos lacessendos putastis. Ea quippe charitatis est natura, ut silere minime possit, verum quamvis periculum sit ne accusetur audaciæ, munere suo fungitur. Nos vero tantum abest, ut diem vobis dicamus, quod ad nos priores scripseritis, ut etiam vos hac de causa corona donemus, ac præ-

[1] Cucuso anno 404.

dicemus, et sinceri amoris vestri periculum nunc maxime fecerimus, non solum quod scripseritis, sed etiam quod priores scripseritis. Deus autem vos omni potest ægritudine liberare, vosque pristinæ restituere sanitati, ac facultatem largiri communis inter nos congressus, et in conspectum mutuum veniendi : siquidem non vulgari solatio recreabimur, si ab homine adeo generoso litteras acceperimus : sed et illius colloquii desiderio tenemur, quo utinam nos quam citissime frui contingat, ut nobis instar maximæ cujusdam festivitatis esse possit.

EPISTOLA CCXXVII [1].

Carteriæ.

Quid ais? continui tibi morbi non permiserunt, ut ad nos venires? atqui venisti, et nobiscum es, et ab animi tui affectu ac voluntate totum illud obtinuimus, nec ulla tibi hac in re excusatione est opus. Etenim ardens ac sincera charitas, quæ sic perpetuo viget, nobis sufficit ad suggerendam ingentis lætitiæ occasionem. Sed quoniam non mediocrem nobis sollicitudinem injecisti, cum de tua ægritudine verba fecisti, si forte ab illa fueris liberata (potest enim Deus illa te liberare, ac pristinæ restituere sanitati) de eadem re certiores nos facito, ut hac sollicitudine liberemur. Quod enim semper litteris meis significavi, nunc quoque significo, ubicumque verser, licet ad locum isto desertiorem ablegemur, de te tuisque rebus solliciti esse non cessabimus. Ejusmodi nobis tuæ ferventis et sinceræ charitatis pignora reliquisti, quæ nunquam extingui

[1] Cucuso anno 404.

possunt, neque tempore debilitari: sed sive tuæ nobilitati vicini simus, sive ab illa remoti, charitatem eamdem conservamus, utpote quibus exploratum sit, quam sincera sit charitas, qua nullo non tempore affectam erga nos esse sensimus.

EPISTOLA CCXXVIII.

Theodoro medico.

Tu quidem ad negotiorum occupationes confugis, atque inde petita excusatione uteris, quod non veneris: ego vero nihil hac oratione tibi opus esse arbitror. Nam et venisti, et quantum ad charitatem attinet, nihilo inferiore apud nos loco es, quam qui ad nos venerunt: siquidem voluntatis nomine non secus atque illos te prædicamus, atque inter præcipuos amicos numeramus, tibique gratias agimus, quod cum modico temporis spatio nobiscum versatus fueris, ac fortasse ne modico quidem, nihil minorem erga nos amorem præ te tuleris, quam qui diuturno tempore nobiscum fuerint educati. Quam ob causam ingentes tibi gratias agimus, teque obsecramus, ut ad nos frequenter scribas. Præsentem enim te ipsum intueri cupimus, sed ne multos lædamus, qui et manibus tuis indigent, et lingua tua, tantique portus ac refugii aditum illis intercludamus, huc te pertrahere non audemus: sed quotiescumque facultas dabitur, ut ad nos sæpe litteras des obsecramus, deque tua valetudine certiores facias. Sic enim quanquam longo intervallo dissiti, acceptis a tua suavitate ejusmodi litteris, multam consolationem percipiemus.

[1] Cucuso anno, ut putatur, 404.

EPISTOLA CCXXIX [1].

Severæ.

Equidem tuam nobilitatem corporeis oculis nunquam vidi, charitatis autem oculis omnium maxime conspexi: quandoquidem nullo quantumvis magno regionum intervallo potest ejusmodi conspectus impediri. Cum enim zelum ac studium nobis tuæ nobilitatis pro recta fide dominus meus amantissimus Libanius verbis expressisset, magnopere nos erexit: quo factum est, ut tametsi nunquam te viderimus, priores ad pietatem tuam scripserimus, ipsam orantes, ut quando facultas dabitur, ad nos scribas. Si enim a tua suavitate transmissa perferatur ad nos epistola, quæ de tua valetudine certiores nos faciat, maximo, dum in hac extera regione degimus, solatio mœrorem nostrum mitigabit. Nihil enim est, quod cum charitate conferri possit.

EPISTOLA CCXXX [2].

Elpidio episcopo.

Magnam domino meo amantissimo Libanio gratiam habeo, quod et domo sua excessit, et huc venit, ac rursus ad reverentiam tuam profectus est: atque ejus rei causa maxime gratiam illi habeo. Id enim omni animi conten-

[1] Cucuso anno 404. — [2] Ibid.

tione studeo, ut tibi ab omnibus honor obsequiumque deferatur. Non quod tu istis indigeas, sed quoniam hoc Ecclesiis est utile, cum eis quæ persecutionem patiuntur, tum illis quæ tranquillitate fruuntur. Gratam igitur et acceptam habens ipsius benevolentiam, Domine mi reverendissime ac religiosissime, cum ab eo diligenter cuncta didiceris, quæ Antiochiæ, quæque apud nos geruntur; nam et ista narrabit, qui tametsi perexiguo tempore nobiscum versatus est, quid tamen rerum geramus didicit; lætum illum hilaremque dimitte. Magno enim amicitiæ tuæ desiderio tenetur, ac vehementi nostri amore flagrat. Amantissimum ac reverendissimum dominum meum Asyncritium presbyterum meis verbis velim salutes, una cum amantissimis ejus liberis, omnemque tuum clerum, quem brevi temporis spatio tuum in nos amorem imitari docuisti. Neque enim id nos fugit, quantam in nos charitatem præ se tulerunt, et quo pacto parati sint eo nomine cuncta perferre ac peragere. Illud vero præclarum facinus totum est tuæ pietati acceptum ferendum.

EPISTOLA CCXXXI[1].

Adoliæ.

Frequenter quidem ad pietatem tuam litteras dedimus, sed hæc frequentia nobis non sufficit, verum id agere singulis diebus cuperemus. Scis enim quo animo erga tuam suavitatem simus. Quando autem id non licet, quoties facultas datur, maximo nos ipsos afficimus beneficio, dum salutationis debitum munus persolvimus, ac de vestra va-

[1] Cucuso anno 404.

letudine atque hilaritate sine intermissione ac perpetuo quidpiam audire percupimus. Cum igitur intelligas quantam a nobis gratiam initura sis, quoties ea de re ad nos scribes, oro te, omnem operam adhibe, ut sæpe ad nos de eo litteras mittas: siquidem non mediocrem istud nobis dolorem inussit, quod cum vir omnibus prope notus nobisque percarus huc profecturus esset reverendissimus dominus meus Libanius, ad nos litterarum nihil dederis, fortasse quod ignorares: atqui hoc ipsum est, quod nos male habet, quod qui veniant istinc ad nos, ignores. Nos enim sciscitari ac curiose inquirere non cessamus, quinam hinc ad vos pergant, ut eorum opera desiderium nostrum expleamus. Id nimirum tale est, ut ad tuam suavitatem sine intermissione scribamus.

EPISTOLA CCXXXII[1].

Carteriæ.

Si probe nosses, quantam a nobis gratiam ineas, dum ad nos scribis, et frequentissime scribis, ac tuæ charitatis melle litteras oblinis, omnem operam adhiberes, ut singulis diebus ad nos epistolas mitteres. Non enim jam Cucusum nos habitare censemus, neque in solitudine degere, tantam ex litteris tuis ac tua sincera charitate voluptatem haurimus. Quod autem non litteras tantum miseris, sed etiam domino meo, dilectissimo fratri nostro Libanio persuaseris, ut istinc solveret, et peregrinationem istam susciperet, quantæ istud est benevolentiæ? quantæ sollicitudinis? Hac de causa lætamur et exultamus. Nihil enim est, quod cum charitate conferri possit. Atque a nobis quidem ipsa postulas, ut eamdem

[1] Cucuso anno 404.

conservemus benevolentiam, quam a principio erga te præ nobis tulimus: at nos eadem illa mensura contenti esse non possumus, sed quotidie conamur affectum illum et amicitiam a te nova quapiam accessione cumulare, quod dum agimus, beneficio nos ipsos afficimus maximo. Non enim desinimus mente versare quæ sit nobilitas animæ tuæ, quæ sinceritas, ingenuitas amicitiæ, et candor ab omni dissimulatione alienus, et cogitationum istarum memoria maxima lætitia nos perfundit. Quocirca te obsecramus, ut de nostra charitate secura, minime doleas propter ea quæ a tua veneratione transmissa sunt, quod ea nimirum remiserimus: siquidem affectu ipso et accepimus, et illis potiti sumus. Sed quoniam nulla egestate premimur, significavimus, ut nobilitas tua illa conservet: quod si forte premamur egestate, videbis quanta libertate fiduciaque scribemus, ut ad nos mittantur, et in hoc quoque tuis dictis parebimus. Sic enim sub finem epistolæ dixisti, Ostende tuam pietatem nobis confidere, ac rebus nostris tanquam propriis uti. Quando igitur sic animo nos affectos esse vis, ut procul dubio vis, et tuis rebus tanquam propriis uti, cum ad te scripsero, tum transmitte. Hoc enim maximum est indicium me illa propria censere, si cum voluero, tum illa mittantur, non cum illis non indigeo. In hoc ergo quoque sinceram tuam ostende charitatem, et qua reverentia nos observes, quod in hac re nos toleraveris, et quamprimum litteras mitte, quæ te minime ægre tulisse significent. Nisi enim hoc feceris, in perpetuam anxietatem et sollicitudinem nos conjicies. Non enim solliciti esse desinemus num forte molesti fuerimus: siquidem multo studio charitatis tuæ tenemur, et tuam nobilitatem recreandi. Postquam igitur excusatione usi sumus, quo pacto illam acceperis, nobis significa. Nam ut intelligere potest suavitas tua, nobis apud alios qui

idipsum præstiterant, nobisque admodum cari erant, nulla nobis utendum excusatione fuit, sed satis fuit repudiare transmissa: verum apud tuam venerationem et excusatione utimur, et ne ægre feras obsecramus, neque prius hæc identidem dicere intermittemus, donec te nobis minime succensuisse significaveris. Quod si hujus modi litteras obtinuerimus, duplo ac triplo ac multoties majora quam quæ missa sunt, nos accepisse arbitrabimur. Id enim maxime potest argumento esse, quanta reverentia et honore nos colas.

EPISTOLA CCXXXIII.

Ad Episcopum Antiochenum (25).

Oportebat quidem pietatem vestram non verbis eorum qui locuti sunt, mente subverti, sed in tanta mendaciorum copia multa cum attentione veritatem investigare. Si enim omnia quæ vulgo jactantur vera censeas, in periculum venient omnes: sin autem judicio et legibus ea quæ latent pervestigentur, judicium a vobis ego libens postularem, nisi quis alia rursus in me calumniæ tela jaculetur. Timeo namque, timeo jam umbras et simulacra, postquam vos ita judicastis. Amici amicitiæ nuntium remiserunt, qui juxta erant, a longe steterunt, et qui longe erant calumniarum jacula contorserunt. Effecistis ut in medio portu naufragium paterer: sed quamvis ejiciar ex urbe, atque ab Ecclesia sejungar, ad quodvis supplicium ferendum me statui comparare. Philosophari mihi ac patienter adversa ferre decretum est: scio enim, scio certissime, civitate firmiorem esse solitudinem, et bestias agri mansuetiores amicis. Vale.

EPISTOLA CCXXXIV[1].

Brisoni.

Septuaginta ferme consumptis in itinere diebus, (unde potest amplitudo tua colligere, quot et quanta mala passi fuerimus, cum et Isaurorum metus nos undique premeret, et cum intolerandis febribus colluctaremur,) Cucusum totius orbis terrarum desertissimum locum tandem aliquando pervenimus. Et hæc dico non rogans, ut molesti ulli sitis, ac petatis, ut hinc transferamur: quod enim erat gravissimum jam pertulimus, nempe viæ molestiam: sed hanc a vobis peto gratiam, ut ad nos assidue scribatis, neque propterea quod longius a vobis relegati sumus, idcirco nos ista consolatione privetis. Scitis enim quanto nos istud solatio levet, quantumvis afflicti simus et ærumnis obsessi, cum de valetudine vestra amicorum nostrorum certiores fieri possumus, ac vos hilares et incolumes esse, ac plane securos. Ut igitur hinc non mediocrem possimus carpere voluptatem, de his ad nos assidue scribe: non enim leviter nos recreabis, sed et ingenti solatio tædium nostrum lenies, cum non ignores, quantum tuis commodis gaudere soleamus.

[1] Postquam Cucusum pervenerat anno 404.

EPISTOLA CCXXXV[1].

Porphyrio Episcopo Rhosensi.

Quam firma, quam constanti, quam immota charitate sis, non me fugit, nec ullam negotiorum difficultatem illam posse labefactare. Id vero tu rebus ipsis ostendisti : quam ob causam nos quoque, licet morbo correpti, atque in locum totius hujus nostri orbis desertissimum delati Cucusum, et Isaurorum incursionibus circumsessi, ac multis ærumnis vexati, et scribimus, et debitam salutationem tuæ pietati persolvimus, corpore quidem sejuncti, sed animo copulati, magnamque inde consolationem percipimus. Licet enim non levibus hæc commoratio difficultatibus sit obsessa, maximum tamen inde solatium haurimus, quod non longe a vobis absumus, ac frequenter possumus, modico interjecto itineris hujus intervallo, et ad vos litteras dare et a vobis accipere. Nam si hac festivitate perfruamur, festivitatem enim hoc ego censeo, ac solemnitatem, et ingentis voluptatis occasionem, ne minimum quidem sensum hujus solitudinis, metus, et anxietatis capiemus.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CCXXXVI[1].

Carterio præsidi.

Desertissimus quidem mirum in modum locus est Cucusus : verumtamen haud ita nos solitudine sua contristat, ac quiete exhilarat, quodque nulla ex parte nobis negotium facessit. Quocirca tanquam ad portum quemdam ad solitudinem hanc delati sedemus, et a malis quæ in via pertulimus, respiramus, et morbi atque malorum quæ sustinuimus reliquias hac quiete depellimus. Hoc apud amplitudinem tuam sermone idcirco utor, quod intelligam mirifice te nostra quiete lætari, quandoquidem nulla nos capere potest eorum oblivio, quæ istic a te sunt gesta, dum præposteros illos et importunos tumultus sedares, et omnem lapidem moveres, ut in securitate versaremur, et quæ tuarum erant partium, omnino præstares. Hæc nos apud omnes, quocumque gentium deferamur, prædicamus, tibique gratiam non mediocrem habemus, Domine mi plurimum suspiciende, ob tantam hanc sollicitudinem : verum ut non solum ex eo, quod amemur a te, sed etiam quod litteris tuis fruamur, quæ nobis valetudinis tuæ statum exponant, lætitia afficiamur, hanc nobis concede gratiam. Non enim vulgari solatio quantumvis in extera regione degentes reficiemur, si ab excellentia tua missas ejusmodi litteras acceperimus.

[1] Cucuso anno 404.

EPISTOLA CCXXXVII.

Theodoro Mopsuesteno.

Si esset quidem venire possibile tuamque reverentiam charitatemque complecti, in ipsa jucundari, cum multa hoc velocitate et studio faceremus: quoniam autem hoc nobis non adjacet, nunc litteris hoc implemus. Si enim ad ipsos fines mundi ducamur, tuæ dilectionis integritatem et fervorem, et sine dolo sinceritatem oblivisci non possumus, quæ est antiqua et a principio, quamque nunc monstrasti. Neque enim nos latuit quanta pro nobis et dicere et facere festinasti, meus (*sic*) honoratissime atque sanctissime. Sed si nihil amplius factum est: Deum tamen habes pro tuo studio et alacritate debitorem, integramque mercedem. Nos autem non quiescimus, scientes tuæ gratiam sanctitatis, et tuam reverentiam omnibus prædicantes atque poscentes eamdem dilectionem florentem per omnia conservari. Non enim in deserto sedentes fortuitæ intercessionis fructus habemus. Quando talem in cilicia thesaurum et reconditas divitias possidemus: Hæc est enim fortis et vigilans animæ tuæ dilectio.

EPISTOLA CCXXXVIII.

Ad imperatricem Eudoxiam.

Deus omnis naturæ conditor essentia sua præstat omni

potestati atque dominationi: Homines vero omnes sibi invicem sunt æquales, licet alius alium antecellere videatur. Tradidit igitur et tibi regia sceptra, non ut aliis antecellere te putes; sed ut jus cuique suum tribuas, atque justitiam administres. Gloria enim et opes et mundanus splendor, nihil omnino nobis proderunt in formidabili judicii die; sed id unum proderit observantia scilicet divinorum præceptorum, qua simul recta dogmata sarta tecta servantur. Quorum fac ne immemor esse videaris, neve Dei timorem ex animo tuo excutias, probe sciens spiritum omnium nostrum in ipsius manibus esse: quippe ad libitum uni adjecit vitæ annos, alii vero aufert: «Ego enim, ait, »occidam, et vivere faciam[1]. Et quis e manibus meis eripietur? Horrendum,» vero, «est incidere in manus Dei »viventis[2].» Limus et cinis sumus omnes homines, flos, gramen, pulvis, umbra, fumus et somnium; et vivimus vitæ prorsus expertes. Ex quo enim in universam naturam nostram lata est hæc sententia, «Pulvis es, et in pulverem »reverteris[3];» mortalitatem omnes et corruptionem simul induimus, et communem ad unum omnes mortem subivimus, licet unus hodie, alius cras occumbat. Ut enim a terra quisque prodimus, in terram rursus paulo post revertimur reges simul et privati, principes et subditi. Respice igitur eos, qui ante vos regnarunt, atque considera, quid ii tum erant, et quid iidem sint in præsentia. Vide, quomodo qui bona egerunt, vel post mortem bene beateque vivant, et in retributionis die in resurrectionem vitæ prodeant; contra, qui male egerunt, in hoc mundo maledictis et execrationibus incessanter ab omnibus lacerentur, et non amplius in resurrectionem vitæ, sed judicii exurgant. Imitetur igitur et pietas vestra eos, qui fidem illæsam servarunt, quique pulchrum divinorum præcep-

[1] Deut. XXXII, 39. — [2] Hebr. X, 31. — [3] Gen. III, 19.

torum cursum confecerunt: atque miseræ Theognosti mulieri, ejusque filiis suum vinctum reddite. Sufficiunt his præteritæ molestiæ: ne augeantur ipsis miseriæ, neve, quæso te, ulterius protendantur afflictiones. Fac, eis quam citissime solvas opprimentem dolorem atque calamitatem, in memoria revocando Salvatoris Evangelica monita, quibus nos hortatur, ne solem super iracundiam nostram occidere sinamus[1]. Et rursum in divitem illum invectus: « Stulte, ait, hac nocte animam a te repetunt; quæ autem parasti, cujus erunt[2]? Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua[3]? » Numquid nobiscum ad inferos descendet suavitas vineæ fructus? an ficorum dulcedo? an olei pinguedo? an opum redundantia et imperii gloria? Nonne in corruptionem omnis hominum conatus desinit? nonne, relictis omnibus, spoliati mundanis hujusce vitæ bonis, nudi hinc discedimus sine potestate et imperio? hæc igitur omnia mente revolvens, fac ut vinctum restituatur, ut bene tibi fiat in judicii die.

[1] Ephes. IV, 26. — [2] Luc. XII, 20. — [3] Matth. XVI, 28.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI

EPISTOLARUM

CLASSIS III.

—

EPISTOLÆ SPURIÆ.

EPISTOLA I.

Constantii presbyteri ad matrem.

Hoc demum est veram esse matrem, ac liberos adamare, nempe cum defuerit quidpiam eorum quæ necessaria sunt, filium monere, domoque exigere, atque ejus discessum æquo animo ferre, ac magnam illi ob susceptam peregrinationem gratiam habere. Subegisti vim affectumque naturæ, dum jussisti, ut civitatem solitudine, securitatem metu Isaurico, et consortium vestrum separatione mutaremus, ne quid forte secus, ac convenit, agere cogeremur. Quas ob res magnam tibi gratiam habemus, non quod pepereris, sed quod ita educaveris, et in hoc quoque talem, qualem oportet, matrem te præbueris. Siquidem illæ quæ affectu franguntur, et antequam expediat, filiorum præsentiam expetunt, non jam matres, sed

filiorum parricidæ sunt appellandæ. Sed quemadmodum fortis in hoc fuisti, ac ferro firmior, tibique mercedem a benigno Deo copiosam promeruisti, sic te oramus et obsecramus, ut in cæteris omnibus eamdem philosophiam et constantiam præ te feras, et intelligas unam calamitatem esse, peccatum solum, reliqua vero cuncta fabulam, principatus, præconia, honores ab hominibus delatos : hanc autem per medias tribulationes esse viam quæ ducit ad cœlum. « Per multas » enim « tribulationes oportet nos in» trare in regnum Dei[1]. » Et vero sancti omnes, et qui in veteri, et qui in Novo Testamento memorantur, hanc tenuerunt viam, dum insidias passi sunt, perpetuo vexati, in fugam acti, in exilium pulsi, urbe domoque exacti, præmatura morte sublati, atque ab illis a quibus minime omnium oportebat. Quid enim, quæso, luctuosius aut quid acerbius quam a dextera fraterna mactari, et post coronas tantamque commendationem ac laudem præmatura ac violenta morte vitam finire ? Quid vero acerbius, quæso, quam unicum filium et in extrema senectute datum a paterna manu jubere mactari, et patrem ipsum ejusmodi cædis fieri administrum ? Noli enim hoc mihi dicere, salvum illum, et incolumem postea receptum fuisse. Nam cum nihil horum sciret justus ille, sed omnino se illum jugulaturum, sic illum in montem deduxit, altare construxit, ligna imposuit, gladium arripuit, et jugulum ense transegit, nam et transegit, si animum ejus ac voluntatem spectes : quam ob causam et ubivis gentium in toto terrarum orbe celebratur. Quod si istius nepotem commemorem, et ipsum videbis fraterna vexatum invidia, rursus in exilium relegatum, extorem, ac civitate pulsum, servum, in extera regione mercede operam suam locantem, ac capitis sui periculum reformidantem. Quod

[1] Act. XIV, 21. — [2] Gen. XXIX, 14.

si Josephum, qui venditus fuit et tot annis servus atque in vinculis fuit; quod si Mosem, qui tot à Judæis passus est mala. Nam Apostolorum afflictiones oratione complecti nemo potest. Hæc ergo colligens, et apud te perpendens quanta sit merces patientiæ, sacrificium offer Deo, generose ferendo quæcumque accidunt, et in omnibus illum glorifica. Etenim Job propter ejusmodi verba coronam obtinuit. Tum vero expecta mutationem in melius, neque precari Deum hujus rei gratia desine, atque ad nos scribere stude, nos aliquid litteris nostris profecisse, ut animi tui tranquillitatem foveremus, nisi forte lætitiam nostram turbare malis. Nos enim hic multa voluptate perfundimur, dum sanctissimi Episcopi consuetudine, ac loci hujus quiete, otioque summo oblectamur. Nam et Isaurorum metus conquievit, dum cogente hieme, sua regione se continent. Ne igitur nostram hanc lætitiam conturbes. Quod si ad nos litteræ perferantur, quæ nobis significent, te prout te decet, sublimique tuæ menti convenit, ea quæ contigerint, ferre, hac occasione lætitia nostra non mediocri accessione cumulabitur. Enimvero mirifice nos recreavit fructuosa cum sanctissimo Episcopo consuetudo, sic ut nos propemodum in alios viros mutaverit, nec ullo permiserit peregrinæ regionis sensu affici : tanta bonorum jucunditate redundamus, tot spiritualibus opibus circumfluimus, et eam ob causam Deum continue glorificare non cessamus.

EPISTOLA II.

Ad sororem suam.

Nos quidem charitate conjungit cum naturæ lex, tum quod eodem partu editi fuerimus : at nos non eam tantum ob causam, sed ob aliam, et quæ maxime locum habere debet, te reveremur et amamus, quod nimirum res hujus sæculi pro nihilo habeas, quod fumum abegeris, pulverem oppresseris, lutum conculcaris, levesque tibi alas ad emetiendam viam, quæ tendit ad cœlum, comparaveris : et neque mariti cura, neque liberorum educandorum sollicitudo, neque domus administratio, neque tumultus, quem ista pariunt, cursum tuum interrumpere, aut retardare potuerunt, sed his ipsis quibus impediri posse videbaris, ad majorem usa es volatus celeritatem : et neque illa quæ viros generosos humiliat; siquidem « paupertas, » inquit Scriptura, « virum humiliat[1] ; » dejicere te potuit, sed et subliniorem effecit. Ea namque virtutis est vis, ut non ab iis, quæ similia sunt aranearum telis præpediatur, sed ea multo facilius, quam ipsa aranearum telas dissipans, multum inde lucrum decerpat. Hæc non sine causa tuæ scripsimus venerationi, sed quoniam cum nostro discessu, tum tumultu istic exorto admodum conturbari te conjicimus, et anxiam esse, propterea scribendum ad pietatem tuam duximus, ut cogitans viam quamdam esse res humanas, et angustam quidem eam quæ virtutis est, spatiosam autem quæ vitii, neque illos, quibus cum peccatis feliciter cuncta succedunt, æmuleris,

[1] Prov. x, 4.

sed potius deplores; quandoquidem supplicium illis prosperitas hæc accersit: neque qui viam angustam sectantur, miseros arbitreris, sed beatos potius prædices, si cum virtute viam peragant. Nam et istis majorem occasionem affert, et incrementum honorum et coronarum, istius vitæ afflictio, si cum virtutis auxilio toleretur: siquidem et dives ille non idcirco tantum cruciabatur, quod crudelis et inhumanus esset, sed quod pluribus opibus abundaret, et opipara mensa frueretur. Lazarus vero propterea corona donabatur, quod multa cum patientia gravem ulcerum cruciatum ferret, egestatem, sollicitudinem eorum qui subvenirent, quod abjectus esset, quod contemneretur, quod canum linguis in prædam jaceret expositus. Hæc enim omnia licet antequam nostras litteras acciperes, non ignorares; faciendum nobis tamen existimavimus, ut in memoriam ea tibi scribendo, revocaremus, ne forte tristitia turbari te sineres. Quamvis enim litteris nolim omnia consignare, probe tamen novi quibus malis obsideamini, quam ob causam et epistolam adjeci. Ut igitur etiam dum peregre vivimus, multa voluptate perfundamur, ad nos litteras mitte, quibus significes tantum apud te nostram hanc valuisse cohortationem, quantum voluimus et optavimus. Sic enim fiet, ut, licet longe sejuncti a vobis, multam hinc lætitiam hauriamus: siquidem nos, tametsi tam multa passi nihil eorum sentimus, dum mercedem mente complectimur constitutam ob ea quæ passi sumus, et expectamus fore, ut aliquam in melius mutationem negotia sortiantur, ut et ipsa exordia præ se ferunt. Hæc igitur ipsa tecum reputans, dum ejusmodi patientiæ sudores toleras, noli animum despondere, sed cum omnium aliorum curam gere liberorum tuorum; siquidem major te nunc merces manet, tum pulchram Epiphanium, prout placitum Deo fuerit, educare stude. Non enim ignoras

quanta sit a Deo liberorum educationi merces constituta. Ita cum aliis Abraham nominis celebritatem adeptus est, ita Job coronam promeruit: et assidue beatus Paulus hoc parentibus præcipit dicens: « Educate filios vestros in » disciplina et correptione Domini[1]. » Vacationem nacta es, quæ tibi a supervacuis et importunis curis et inutili anxietate potest immunitatem acquirere; vacationem, quæ multum quæstum parit, unde tibi multi possunt virtutis fructus pullulare, siquidem huic rei omnem operam volueris adhibere. Nam de domina mea matre nihil opus esse arbitror ad te scribere, cum satis sciam inter cætera præclara facinora hoc a te editum, atque copiosum inde te fructum decerpsisse, cum tuis in illam officiis et obsequiis quamlibet ancillam superaveris. Quia tamen hoc quoque a me non omitti par est, audi beatum Paulum dicentem, « Honora parentes, » et addentem, « quod est pri» mum mandatum in promissionibus[2]. » Si ita te gesseris, cum multas tibi coronas acquires, tum multa nos voluptate perfundes, neque quidquam nos esse passos arbitrabimur eorum quæ passi fuimus, hac de causa; sed magnitudine lætitiæ recreati, quam ex bonorum tuorum consideratione capiemus, domi esse nos, vobiscumque versari arbitrabimur, et ex animi sententia nobis cuncta succedere.

EPISTOLA III[3].

Ad Valerium et Diophantum presbyteros.

Sane quidem licet non scripsissem, vos oportuit scri-

[1] Ephes. VI, 4. — [2] Ibid. — [3] Cucuso anno 404.

bere : hoc enim exigit lex charitatis, quæ neque superari se sinit, sed amoris excessu amicos suos vincere perpetuo contendit : cum vero jam et semel et bis scripserim, ne sic quidem ad nos litteras mittere dignati estis, sed tam diuturno silentio usi estis apud hominem, qui frequentia litterarum vestrarum obrui cupiebat. Atque hæc a me dicuntur non ut vos accusem ; non enim meo me pede metiri nescio; sed ut animi mei mœstitiam doloremque testificer. Quanto enim majori cupiditate teneor litterarum, tanto major mihi, dum illis privor, animi dolor inuritur. An vero nos exigua consolatione putatis indigere, qui a matre et sorore procul simus, patria exciderimus, tot amicorum conspectu privemur, solitudinem omnium asperrimam incolamus, et Isaurorum metu simus obsessi? Porro una cum meis negotiis audio mala communia quæ ubique terrarum quotidie pullulant, atque in dies incrementum accipiunt, et gravia quædam minantur naufragia. Utinam ingentem vim doloris possem oratione complecti, tum vero licet nihil ipsi loqueremur, vestri tamen silentii pœniteret. Auget præterea dolorem meum, quod cum nec ad tabellariorum raritatem confugere possitis, id agatis. Quod argumento est : sed nolo quidquam molestum efferre; vobis id expendendum relinquo, num hoc aliquem nostri contemptum despectumque redoleat. Nihil tamen curo sive contemnatis, sive despiciatis tenuitatem nostram : unum id requiro, quocumque tandem modo affecti sitis, ut litteris vestris fruar quæ non mediocrem nobis consolationem pariunt. Nam unus atque alter sæpe ad nos profectus est, et nunc dominus meus reverendissimus frater Libanius, nec tamen vestris nos litteris dignati estis. Nolite, quæso, mœrori meo alterum mœrorem addere. Si enim neque accepta hac epistola scribere ad nos velitis, sive pigritiæ, sive inertiæ dediti, nos tamen scribere non

desinemus, et scribendo propter hoc vestrum silentium lugebimus et ingemiscemus. Hoc enim est in potestate nostra situm. Non tamen mediocriter nobis ad consolationem valet, imovero hoc etiam omisso maximum nobis solatium parit, quod ad ipsam usque solitudinem et ad terræ fines; siquidem in ipsis propemodum finibus jam versamur; celebris vestra fama penetret, et præclara facinora vestra divulget : omnes enim vos prædicant, laudant, corona donant, beatos censent ob fortitudinem, constantiam, quam rebus ipsis testatam esse voluistis, ut illud scripturæ mandatum impleretis : «Usque ad mortem certa pro veritate, et Deus pro te pugnabit[1].» En igitur tot fluctibus impetum facientibus, tanta insurgente tempestate, neque conturbare vos ullus potuit, nec in ulla re lædere, sed et illi qui nobis injuriam inferre conabantur, nec opinantes majorum vobis laudum auctores fuerunt. Quas ob res gaudete, quæso, et exultate, Deumque precari non desinite, qui res perficit, et immutat. Faciet enim cito plus quam petimus aut intelligimus, propter bonitatem suam.

EPISTOLA IV.

Ad Castum presbyterum.

Quam clare fulget, nec latere potest anima fervida prædita charitate! quo pacto tuæ contigit reverentiæ. Nam cum necdum scires, num tibi scripsissemus, tametsi scripseramus, tamen quæ tuarum erant partium ipse præstitisti, cum et litteras ad nos dedisti, et in hoc sinceræ tuæ

[1] Eccli. IV, 33.

benevolentiæ specimen edidisti, nosque summa lætitia et consolatione complevisti. Ut igitur hac voluptate perpetuo fruamur, ac lætemur, quotiescumque facultas dabitur ita fac, quæso, perpetuo. Scimus enim rem esse perdifficilem, quod non facile aliqui huc advenient; quippe quod hic locus sit totius orbis terrarum desertissimus : verumtamen amantibus etiam ea quæ difficilia sunt, facilia fiunt. Si enim sciscitari volueris et curiose inquirere, eos, qui suorum negotiorum causa istinc adveniunt, nancisceris : nihil denique tibi deerit, si qui peragant iter, inquiras. Hæc igitur tibi cum explorata sint, domine mi reverendissime, creberrimas ad nos mitte litteras. Nam et res ipsa omni difficultate aut labore caret, et quæ dimanat ex ea lætitia, nos mirifice reficit ac recreat, et multæ consolationis occasionem suppeditat.

EPISTOLA V.

Ad Cyriacum presbyterum.

In hoc quoque fervidam tuam, sinceram, et constantem charitatem miratus sum, qua ostendisti te nostri magnam non modo dum adsumus, sed etiam dum absumus, rationem habere. Nam licet nihil nos ad tuam reverentiam litterarum dedisse dicas, non tamen potuit illud tibi silentii causam afferre, sed quamvis non siluisse censeres, tres epistolas ad nos misisti. At nos et semel et iterum, et ter et multoties ad te scripsimus, et utriusque specimen egregium est editum, cum tuæ charitatis, quæ litteris nostris non indigeat, tum nostræ æquitatis. Quando igitur non ignoras, quanta reverentiam tuam benevolentia complec-

tamur, cum eo, quod caput est bonorum, ac vinculum perfectionis[1], abundes, fac, quæso, hanc nobis voluptatem impertias. Nam quantascumque litteras acceperimus, licet numero multæ sint, nulla nos earum capit satietas, quod reverentiam tuam singulari amore prosequamur.

EPISTOLA VI[2].

Chalcidiæ et Asyncritiæ.

Nihil opus est ut ulla excusatione utamini, quod non veneritis : nam mihi quidem animo et affectu venistis, et nihilo inferiore loco apud nos estis, quam qui huc venerunt. Quocirca cum perspecta mihi sit insignis vestra benevolentia, et gratiam non mediocrem vobis habeo, et impense veniam do, quod tum propter corporis ægritudinem, tum propter anni tempus, prædonumque metum abfueritis. Vos tamen scribere minime pigeat, nosque de vestra valetudine sæpenumero facere certiores. Nam et longo locorum intervallo disjuncti a vobis de rebus vestris sumus solliciti : ac si forte vos intellexerimus omni tumultu ac perturbatione carere, prosperaque frui valetudine, non vulgari voluptate perfundemur. Hæc igitur cum vobis explorata sint, quam sæpissime de his rebus certiores nos facite, quas nosse desideramus, ut etiam in solitudine degentes multam inde consolationem hauriamus.

[1] Coloss. III, 14. — [2] Cucuso anno 404.

EPISTOLA AD CÆSARIUM MONACHUM

CHRYSOSTOMO (27) FALSO TRIBUTA [1].

Inspeximus litteras tuæ reverentiæ, inspeximus autem non præter lacrymas; quomodo enim non lacrymabimur, et animam ipsam dolore conficimus, videntes fratrem singularem vitam a pueritia eligentem, et ἀκραιφνῶς id est consummate, circa pietatem se habentem, subito hæreticorum jactibus lapsum?

Et dicas fortasse ab errore ad id quod melius est venisse te, et gratiam confiteri his qui admirabilem protulerint librum, quem magnum esse optima tua nominant scripta: qui splendide prædicat concursum essentialem et mixtionem sacram factam ex divinitate et carne. Unam autem ex hoc perfici naturam istud mirabitur insipientis Apollinarii inconsideratio: ista eorum qui introducunt contemperationem et συναλοιφὴν id est commixtionem impiissima intentio, quæ procedens immutat quidem Arrii, Apollinarii, Sabellii, et Manetis nihil: passionem autem excogitari et adponi secundum illos Unigeniti imaginatur deitati, quod a Christianis alienum est.

Posside igitur temetipsum iterum, dilectissime, et ad priorem regredere ordinem, ab abominabili ista abstinens opinione, quæ est Apollinaris et eorum qui Synusiastæ dicuntur. Impia cogitatio assidue puris influens nocere novit, qui secundum nos sunt simplicitati conviventes. Doc-

[1] Scripta habetur tempore secundi exilii.

toris enim eorum est liber, Apollinarii : et si hunc sibi tua reverentia non recte faciens negotiata est. Verumtamen nos recordantes tuæ nobiscum conversationis : sentientes autem ex his quæ scripsistis errorem subsistere erga tuam dilectionem, ex illorum insipientia; non solum erga dispensationis mysterium : magis autem et erga nominum conjunctionem, excogitavimus, Domino cooperante nostræ infirmitati, de omnibus manifestam ostentationem, facere ad redargutionem quidem malæ opinionis eorum qui hæreticum tibi protulerunt librum; correctionem autem tuæ venerationis.

Deum ergo quando dicis, dilectissime, agnovisti id quod simplex est naturæ, quod incompositum, quod inconvertibile, quod invisibile, quod immortale, quod incircumscriptibile, quod incomprehensibile, et istis similia. Hominem autem dicens, significasti quod naturæ est infirmum, esuritionem, sitim, super Lazarum lacrymas, metum, sudoris ejectionem, et his similia, quibus id quod divinum est extra est.

Christum autem quando dicis, conjunxisti utrumque : unde et passibilis dicatur idem ipse et impassibilis : passibilis quidem carne; impassibilis autem deitate. Eadem ipsa et de Filio, et de Christo, et Jesu, et Domino prædicantur : communia enim et susceptibilia duarum essentiarum nomina sunt, quarum conjunctio in hæreticis quidem errorem facit proprio pro communi utentes nomine Christi. Unos autem communibus istis nominibus, quando dispensationis confitendum est mysterium. Si enim Deum dixeris pertulisse qualicumque cogitatione, quod impossibile est dixisti : id quod blasphemum est et immane : sed in aliorum hæresum declinasti impietatem : si iterum hominem dixeris qui pertulit, inveniris purum ædificans templum, templum carnis. Extra inhabitantem nunquam dicitur, quia jam non

est templum. Et forsitan dicunt, et quomodo Dominus dixit, « Ut quid me vultis occidere, hominem qui veritatem » vobis locutus sum quam audivi a Deo[1] ? » Bene et omnino sapienter hoc dicendum est : neque enim ex inhabitanti defraudabatur deitate ; sed significare volens patientem naturam, hominis memoriam fecit : propter quod et Deus et homo Christus. Deus propter impassibilitatem, homo propter passionem. Unus filius, unus Dominus, idem ipse procul dubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existunt, et unaquæque incommixtam proprietatis conservat agnitionem, propter hoc quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus : divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis ; dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus.

Sic et hic divina ἐνιδρυσάσης id est insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt. Agnoscendum tamen inconfusam et indivisibilem rationem, non in una solum natura, sed in duabus perfectis : si enim unius, quomodo id quod inconfusum est, quomodo quod indivisibile, quomodo unitio dicitur aliquando sibimetipsi uniri quæ una est ; aut confundi, aut dividi impossibile est. Quod ergo infernum evomuit unam in Christo naturam dicere ? putamus divinam solam nominantes non omni modo unam negant, nostram dico salutem, aut humanam retinentes naturæ divinæ abnegationem faciunt. Dicant, quæ perdidit quod proprium erat ? Si enim unus est, salva nobis est unitio omni modo, et ea quæ unitioni sunt propria salvari necesse est. Si enim non, nec

[1] Dan. VIII, 40.

unitio, sed confusio et abolitio. Mox autem ad interrogationis fluctuantes responsionem, ad aliquid aliud exiliunt, quod non sit proprium ad interrogationem, et inconstantes emittunt voces. Pertulit Deus et non pertulit, et si petantur modum dicere, ad ignorantiam recedunt proferentes, quomodo voluit : Christi apud ipsos memoria fugiente. Post hæc vituperati in hoc, mox dicunt et Christus non est Deus, sed et homo. Et iterum dicunt : post unitatem non oportet dicere duas naturas. Attende significationem dicti. Unitionem dixisti? unius unitionem non invenis fieri, quomodo prævenientes diximus, « Verbum caro factum est[1] : » sed et speculaneorum querentur subtilitatem, intulit enim, « Et inhabitavit in nobis. » Numquid non tibi videtur quia aliud est quod inhabitat præter habitationem? « Si cognovissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent[2]. » Dominum iterum quando dixeris, non proprium sed commune significatur nomen passionis et impassibilitatis susceptibile. Consueverunt autem et istud prætendere : putamus non corpus Dei et sanguinem accepimus fideliter ac pie suscipiendum, non quia corpus et sanguinem possidet, id quod divinum est natura : sed quia quæ carnis sunt propria facit! o inconsideratio! o impia cogitatio! periclitatur enim apud ipsos dispensationis mysterium, et iterum Dominicum corpus sicut verum corpus confiteri non patiuntur. Per cogitationem enim dici conversum esse hoc in deitatem imaginantur, unam hinc construentes naturam, et ipsam cujus sit non invenientes dicere, ut passionem divinitati undique secundum Apollinarium excogitantes, decidant a promissis bonis. Putamus non contremiscent ista dicere audientes? non cogitant æternum judicium, et Domini vocem dicentis : « Ego sum, et non » mutor[3]. » Caro infirma, spiritus autem promptus[4]. Pater,

[1] Joan. I, 24. — [2] I Cor. XI, 8. — [3] Malac. III, 6. — [4] Matth. XXVI, 41.

» si possibile est, transeat a me calix iste[1]. Tristis est anima » mea usque ad mortem[2]. Palpate et videte quia spiritus » carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere[3]. » Putamus deitati ista apta sunt? Audiant et Petrum dicentem, « Christo pro nobis passo carne[4]; » et non dixit, deitate; et iterum : « Tu es Christus filius Dei vivi[5]. » Viventis dixit, non morientis; et quæcumque his similia divina nos edocet scriptura, cui violenti esse hæretici non desistunt.

Horum istas novitates vocum declinantes, charissime, ad id quod præjacet revertamur, pium et valde pium Christum qui morte circumdatus est confiteri in divinitate perfectum et in humanitate perfectum, unum filium unigenitum, non dividendum in filiorum dualitatem : portantem tamen in semet ipso indivisarum duarum naturarum inconvertibiliter proprietates. Non alterum et alterum, absit. Sed unum et eumdem Dominum Jesum Deum Verbum, carne nostra amictum, et ipsa non inanimata aut irrationabili, sicut impius Apollinarius dicit. Istis mentem intendamus : fugiamus eos qui dividunt naturam. Etsi enim duplex natura, verumtamen indivisibilis et indissipabilis unitio, in una filiationis confitenda persona, et una subsistentia. Fugiamus qui unam naturam post unitionem prodigialiter dicunt : unius enim cogitatione impassibili Deo passionem adjungere impelluntur, dispensationem abnegantes, et diaboli gehennam arripientes. Ista propter mensuram epistolæ sufficere arbitror ad confirmationem tuæ dilectionis, o magnifice.

Explicit epistula (sic) beati Johannis episcopi Constantinopolitani ad Cæsarium monachum tempore secundi exilii sui. Amen : ita legitur fideliter.

[1] Matth. XXVI, 39. — [2] Ibid. 38. — [3] Luc. XXIV, 39. — [4] I Petr. III, 21. — [5] Matth. XVI, 16.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI

ECLOGÆ EX DIVERSIS HOMILIIS.

MONITUM

Homiliæ sequentis extractæ fuerunt ex variis locis S. Chrysostomi, ita ut ex diversis partibus unum conflaretur argumentum. Utile autem visum est, propter eos qui concionandi ministerio sunt addicti, hæc ibi evulgare, ut inde uno obtutu quisque possit videre quæcumque ad eadem referuntur objecta.

—

HOMILIA I.

De Dilectione [1].

Cum benignus Deus noster omnes mutuo vinculo connectere vellet, charissimi, ejusmodi rebus imposuit necessitatem, ut semper unius utilitati alterius quoque emolumentum conjunctum esset. Agricola siquidem non

[1] Ex homiliis in epist. 1 ad Cor.

illud tantummodo seminat frumentum, quod sibi sufficiat; sic enim et se ipsum et alios aliquando perditum iret. Miles quoque non ut se ipsum conservet, sed ut civitates quoque in tuto collocet, periculis exponitur. Præterea mercator non tantum mercium solum apportat, quantum sibi satis sit, sed etiam quod multis aliis sufficiat. Nam cum aliter homines proximi commodis studere nollent, nisi in ejusmodi necessitate Deus illos constituisset, idcirco hac ratione connexas inter se res voluit, ut nos ad proprium commodum pertingere non concedat, nisi per aliorum perreximus utilitatem. Nec enim salutem consequi potest qui hoc careat : sed licet summam secteris philosophiam, alios vero pereunte nihil cures, nullam tamen apud Deum fiduciam habiturus es. « Si enim facul- » tates meas distribuero, » inquit divinus Apostolus, « Et » tradidero corpus meum ita ut ardeat, charitatem vero » non habuero, nihil mihi prodest[1]. » Si vero intelligere velis, quantum præsidium sit, si quis fratres, licet alioqui infideles, amplectatur; si item quis mansuetus ac mitis sit, moresque suaves ostendat, audi quid idem hic beatus apostolus Paulus ad judicem infidelem, ut judicaretur, ingressus, dicat : « Beatum me æstimo, ait, quod apud » te judicandus sim[2]. » Hæc vero non dicebat illi adulans : absit : sed quod illum hac mansuetudine lucrari vellet : Atque ideo etiam illum ex parte lucratus est, et judicem cepit, qui eo usque damnatus esse putabatur. Quam victoriam ipse judex, jam subactus, illustri voce, omnibus præsentibus confitetur dicens : « In modico persuades » mihi, Christianum fieri[3], » Quid igitur Paulus? « Optarem ego quidem non solum te, sed etiam omnes qui ad- » sunt, hoc fieri quod ego sum. » Cum ergo ille quidem, tantam exposcat mensuram, nos vero ne illud quidem,

[1] 1 Cor. XIII, 3. — [2] Act. XXVI, 2. — [3] Ibid. 28.

quod minus est, præstemus, quam veniam merebimur? Nec vero absurdum tibi videatur[1], alium rogare : hoc siquidem ineffabilis sapientiæ Dei opus est. Si enim cum mutua ope egeamus, nos tamen indigentiæ necessitas amicitiam non induceret; sed se solo unusquisque nostrum contentus viveret, annon veluti immansuetæ quædam bestiæ essemus? Vi ac necessitate quadam nos invicem subjecit Deus; et nos tamen quotidie inter nos confligimus. Si igitur frenum istud Deus nobis detraxisset, quis facile sui proximi amicitiam desideraret? Hac enim de causa unam domum, mundum hunc, Deus nobis tradidit, unamque lucernam, solem, nobis accendit[2]; unum item tectum super nos expandit, cœlum videlicet, et unam mensam, id est, terram, concessit. Ac diviti quidem nihil plus aut præstantius; nec pauperi vilius quid, aut minus largitus est; ut magnam nimirum ac indivulsam inter nos haberemus unitatem; nec quisquam dicere posset, hic aut ille amicus meus non est, neque cognatus, neque vicinus : neque ullum mihi cum illo commercium est : quomodo illum conveniam? quomodo alloquar? Non enim qualem amicus erga amicum ostendere debet propinquitatem, talem nos quoque invicem habere familiaritatem oportet, sed qualem membrum ad membrum habet. Et quemadmodum dicere non posses, unde mihi cum illo familiaritas aut cognatio? ridiculum enim illud foret; ita nec de fratre tuo hoc dicere poteris. Quamvis enim neque cognatus sit neque amicus, at homo tamen est, eamdem tecum communem habens naturam, eumdem dominum, et in eodem mundo natus. In pecuniis quidem eos[3], qui nihil debent, laudamus : in charitate autem eos amplectimur et admiramur, qui sibi perpetuo debitores sunt.

[1] Ex hom. in 2 ad Corinth. — [2] Ex comm in Evang. Joan. — [3] Ex homil. in illud. *Ne timueris cum*, etc.

Obsequamur itaque[1], et nos ipsos aliis conjungamus, ac si deficere velit, tu ne fractus cedito, neque absurdum illud verbum dixeris: Si me diligit, diligo; si vero non diligit me dexter oculus meus, ipsum eruo: sed potius cum diligere te non vult, majorem in ipsum ostendito dilectionem, ut ipsum allicias; membrum enim est: membrum autem cum necessitas aliqua a reliquo corpore præcidendum suadet, omnia molimur, ut illud iterum connectamus, majoremque tunc curam adhibemus. Et vero amplior tibi merces erit, si diligere nolentem attraxeris. Si vero ad prandium invitare jubet, non eos, qui reddere nobis valeant, quo scilicet retributio major fiat: multo magis in amicitia facere necesse est. Qui enim cum diligitur, te vicissim diligit, ille vices tibi reddidit: qui vero, cum diligitur, te non diligit, ille Deum pro se debitorem constituit. Et præterea, cum te diligit, non indiget res multa diligentia: cum vero te minime diligit, tunc tuo opus habet adminiculo. Ne igitur causam diligentiæ, causam facias negligentiæ; neque dicas, quoniam jam languet, ideo ipsum negligo: nam languor iste charitatis refrigeratio est: tu vero, quod refrigeratum est, foveto; nam vehementer amari velle, oritur ex eo, quod quis alium vehementer amet. Cum enim non admodum erga aliquem affecti sumus, non etiam singularem ipsius expetimus amicitiam, quamvis magnus, quamvis conspicuus ille sit: Cum vero ardenter quempiam sincereque diligimus, etiamsi homo tenuis et abjectus sit qui amatur, honorificentissimum tamen illud ducimus, quod in ipso nobis causa amoris. Si autem fratre non uti novisti, quomodo recte uti poteris alieno? Si proprium tuum membrum tractare nescis, quomodo externum tibi conciliare et conjungere poteris? Non vis apud alios male audire? ne

[1] Ex comm. in Epist. ad Rom.

igitur tu male de aliis loquaris. Laudari cupis? lauda igitur et tu alios. Misericordiam consequi optas? sis et tu misericors. Veniam obtinere desideras? ipsemet ergo aliis veniam dato. Non vis ut bona tua diripiantur[1]? aliena ergo rapere noli. Tales erga proximos nostros simus, quales ipsos erga nos esse optamus. Sicut enim anima sine corpore non appellatur homo[2], neque etiam corpus absque anima : ita nec charitas erga Deum, nisi proximi dilectionem conjunctam habeat. Vis-ne hunc aut illum demereri? non prohibeo; sed vide ne ad alterius molestiam id fiat : non enim ut contra nos mutuo pugnemus, nobis magistri dati sunt, sed ut omnes mutuo vinculo nobis conjungamur. Quare igitur solus es[3]? quare non multos tibi efficis amicos? Quare non charitatis auctor fis? Quare amicitiam, summam virtutis laudem, non comparas? Sicut enim ex consensu et pacto improbos aliquos esse vehementius Deum exasperat : ita in concordia bonum esse, magis delectat. Ne sis cum multis impius. Ante habitacula et omnia alia, para tibi amicos. Si homo pacificus filius Dei, quanto magis qui amicos facit? Si ille Dei filius appellatur, qui alios solum reconciliat; quo ille non erit dignus præmio, qui reconciliatos amicos facit? Si enim diabolus omnibus inimicos fieri nos jubet; Deus illos contra amplecti et diligere mandat. Et ille quidem luto et lateribus, hoc enim sunt divitiæ, affixos ne noctu quidem vel modicum respirare sinit : hic vero supervacanea ista et inutili cura nos liberat, colligere vero thesauros in cœlis jubet; non cum alterius quidem injuria, sed ex propria justitia : ac rursus, ille post multos labores et ærumnas, cum ibi punimur, et mala propter violatas Dei leges patimur, non solum defendere nequit, sed etiam

[1] Ex Int. 2 ad Corinth. — [2] Ex Serm. in illud. Ne timueris cum. — [3] Ex comm. in Joan. Evang.

flammam auget : hic vero qui poculum frigidæ aquæ dare nobis præcepit, nunquam istius mercedem et retributionem nos perdere sinit, sed liberalissime remuneratur. Quomodo non extremæ dementiæ fuerit, tam clementem tantisque bonis abundantem dominum non amare, sed ingrato et improbo tyranno, qui neque in hac neque in altera vita sibi obsequentibus et conjunctis quidquam prodesse valet, servire? Ne igitur moleste feratis quæ a me dicta sunt[1]. Ego enim non tantum, cum me laudat amicus, sed cum corrigendi causa me reprehendit, tunc maxime ipsum me diligere dixerim. Etenim omnia simpliciter laudare, et quæ recte facta sunt et quæ secus, non amantis, sed impostoris et derisoris est : laudare vero, cum quid recte fit et opportune, ac reprehendere cum aliquid delinquitur, id nimirum amici et benefici est hominis. Non igitur hostem cum me laudat, amplectar; sed amicum qui me arguit approbo. Ille, etiamsi me amet, mihi ingratus est : hic vero, licet vulnus infligat, amabilis tamen est : « Fideliora enim sunt, inquit, vulnera amici, » quam spontanea oscula inimici[2]. » Amicus enim sive juste sive injuste incuset, probro tamen non afficit : sed id facit, me corrigere volens : hostis vero etiamsi juste corripiat, non tamen emendandi causa, sed convitiandi libidine accusat. Nihil igitur cum concordia comparandum, dilectissimi : sic enim singuli multorum instar erunt. Si enim unanimes fuerint duo aut decem[3]; jam unus non est unus, sed singuli illorum quasi decem fiunt : ac si inimicum habeant, qui illorum unum invadat, ille non secus, ac si decem adortus fuisset, ita capitur. Si forte unus illorum egestate premaiur, in egestate tamen non erit : a majore enim parte indigentia velut umbra oc-

[1] Ex Serm. quod utile sit reprehensiones ferre. — [2] Prov. XXVII, 6. — [3] Ex comm. in Evang. Joan.

cultur, quilibet illorum viginti manus habet, et viginti oculos, et totidem pedes, animas quoque decem possidet. Non enim suis singuli tantum operantur, sed etiam iis quæ sunt reliquorum. Si vero etiam centum fuerint, rursus eodem modo se res habet. Idem et in Persia et Romæ esse potest : et quod natura nequit, id charitatis vis potuit. Si itaque mille tibi sint amici aut bis mille, cogita quantum rursum exsuperatura sit illorum potestas. Admirabile enim hoc est, quod ex uno mille facere possit charitas. Quam igitur ob causam hanc charitatis facultatem nobis non comparamus et nos in tuto collocamus? Quousque ad unum aut duos illam restringimus? Quamvis enim pauper alioqui sit, qui amicos habet, multô tamen divitibus opulentior est. Nam quæ ipse de se ipso dicere non præsumit, ea amicus pro ipso dicet : et quæ sibi ipse amicus tribuere non potest, per alium tribuit. Fieri etiam non potest, ut adversi quid eveniat ei, qui tot satellitibus custoditur. Non enim ita sinceri et fideles sunt Regis stipatores, sicut isti. Illi siquidem coactione et timore custodiam præstant; hi vero benevolentia et amore. Et Rex quidem custodes suos metuit, amicus vero plus amicis quam sibi ipsi confidit. Ac præterea, quinam adeo firmus est[1], adeo prægrandium lapidum coagmentatione munitus, et hostium incursibus inexpugnabilis murus, sicuti est mutuo amore sese prosequentium, atque in concordia sibi devinctorum congregatio? hæc enim etiam diaboli insultus repellit. Et merito illud quidem : qui enim se invicem contra ipsum consociant et instruunt, illius molitionibus insuperabiles fiunt, atque illustria charitatis erigunt tropæa. Et quemadmodum fides in lyra, licet multæ sint; ad unam tamen consonantiam spectantes, suavissimum carmen resonant : ita qui in una voluntate

[1] Ex orat. de perfecta charitate.

conjuncti sunt, canorum charitatis sonitum reddunt. Nihil enim dilectione dulcius esse potest. Quid igitur amicus sincerus non præstet[1]? quam voluptatem, quod emolumentum, quam securitatem non afferat? Etiamsi sexcentos thesauros dixeris, nihil tamen cum sincero amico conferendum dices. Et sicuti fulgida corpora colorem in vicina loca emittunt; ita amici quoque, quo locorum perveniunt, suam beneficentiam veluti spargunt. Melius igitur est in tenebris vitam agere, quam amicis carere. Non enim ita febris corporum naturam perurere solet, sicut animos absentia eorum quos amamus. Talis enim res est charitatis dilectio[2], ut eos, qui nobiscum una non sunt præsentes, sed disjuncti, interim a nobis desiderantur, quotidie in mente nobis sistat. Et a præsentibus quidem omnibus cor amantis avertit, et cum desiderato conjungit. Si vero quis, cum dilectum videt, imo etiam cum illius recordatur, animo erecto et mente sublimi est, omniaque leviter fert, ista recordatione oblectatus; quando aut triste aliquid sentiet, aut formidabile ac periculosum quid extimescet ille, qui in mente habet ac memor est illius, qui vere nos diligere dignatus est? nunquam sane. Si enim[3], cum ab hominibus præ potentibus diligimur, omnibus terribiles et metuendi sumus, multo magis a Deo diligamur. Quamvis igitur aut opes, aut corpus, aut animam ipsam pro charitate ista impendere oporteat, ne parcamus. Nec enim sufficit, quod verbis dicamus nos diligere: sed rebus ipsis id demonstrare oportet, cum ille non verbis duntaxat, sed rebus ipsis suam in nos charitatem ostenderit. Si enim in potentum ædibus famulus quis[4], ubi res domini sui probe curaverit, non quæ sua sunt, domini sui fecit, sed quæ sunt domini, sua fecit,

[1] Ex epist. ad Thess. — [2] Ex comm. in Evang. Joan. — [3] Ex comm. Epist. 2 ad Cor. — [4] Ex comm. in 1 ad Tim.

et perinde ipsius rebus utitur ac suis, multique e domesticis magis ipsum quam herum timent, et quia sua ipsius negotia sprevit, non sprevit sua, sed majora adeptus est: multo magis in spiritualibus id verum erit. Ne igitur res nostras curemus: sed eas despiciamus, ut eas possideamus. Si enim eas nihili pendamus, Deus illas curabit: si vero nos illas curemus, Deus easdem despiciet. Si itaque quis sincere diligere velit[1], et charitatis vim cognoscere, ad hujus alumnum, beatum Paulum dico, currat, et docebit ipsum, quantus sit labor, quantoque animo opus sit, ut dilecti separationem quis sustineat. Iste enim, iste, inquam, qui veluti carne exutus et corpore deposito, nuda propemodum totum terrarum orbem anima peragravit, qui omni ex animo perturbatione eliminata, incorporearum virtutum liberam doloribus naturam imitans, alia omnia facile ferebat, perinde ac si in alieno corpore et carceres, et vincula, et exilia, et flagella, et minas, et et mortem, omneque suppliciorum genus pateretur, ab una vero sibi dilecta anima separatus, adeo confusus et conturbatus fuit, ut in qua dilectum visurum se sperabat, non invento eo, protinus e civitate prosiliret. Quid hoc, o beate Paule? tu vinctus quidem compedibus et in carcere positus flagella incumbentia sustinens, et scapulas sanguine habens circumfusas, mysteria docebas, sacro baptismate initiabas, et sacrificium offerebas, nec unicum salvandum despiciebas; in Troadem vero profectus, cum terram expurgatam, et ad satus excipiendos præparatam invenisses, tam præclarum ex manibus lucrum abjecisti, et confestim inde exiliisti? Utique, inquit, magna enim mœroris vi occupatus fui, et vehementer mentem perturbabat Titi absentia: atque ita me vicit et superavit, ut me id facere cogeret. Vides-ne quomodo maximum sit

[1] Ex epist. 2 ad Olympiadem.

negotium, dilecti separationem placide ferre posse? quam grave sit et acerbum? quam excelso opus sit et forti animo? Non enim diligentibus satis est, animo duntaxat amore copulatum esse, neque hoc illis ad consolationem sufficit, sed corporali etiam indigent præsentia : ac si ista destituantur, haud exigua pars lætitiæ præcisa est. Papæ, quam ignitus est charitatis amor. En, Paulus qui contra ignem imperterritus erat[1], adamantinus ille, firmus, immotus, inflexibilis, dicens : « Quis separabit nos a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius[2]? qui terræ et mari se opponit, qui adamantinas portas mortis irridet, hic ut carorum vidit aliquorum lacrymas, ita confractus et contritus est, ut affectum jam non occultaret, sed continuo diceret : « Quid facitis plorantes et cor meum affligentes[3]? » Quid, quæso, inquis? num adamantinum illum animum lacrymæ frangere potuerunt? Utique dicit, magna enim charitatis est vis : ipsa me superat et vincit. Etenim adversus omnia reluctor, sola charitate excepta. Quis non obstupescat? Quis non miretur? Imovero quis digne satis admiretur[4] et obstupescat generosam illam et ad cœlos pertingentem animam, quod ligatus et carcere conclusus a tanta distantia Philippensibus litteras scriberet? Nostis enim quantum spatium intersit Macedoniam inter et Romam. At neque viæ longitudo, neque temporis diuturnitas, neque negotiorum multitudo, neque periculum et sibi continuo succedentia mala, neque aliud quidquam dilectionem et memoriam discipulorum exemit, sed omnes illos in mente continuit. Non ita manus illius catenis constrictæ erant, sicut discipulorum desiderio animus conjunctus et affixus fuerat. Et

[1] Ex I ad Thess. — [2] Rom. VIII, 36. — [3] Act. XXI, 13. — [4] Ex Serm. in illud, *sive occasione.*

quemadmodum Rex aliquis conscenso sub auroram solio, ubi in regali aula consedit, sexcentas protinus ex omni loco recipit epistolas : ita porro ille in carcere velut in regia quadam aula considens, multo frequentiores accipiebat et transmittebat litteras eorum, qui cunctis ex locis ad ipsius sapientiam de omnibus negotiis suis omnia referebant. Et tanto quidem plura negotia administrabat quam Rex, quanto amplius illi imperium creditum fuerat. Ejusmodi enim est vis charitatis[1], ut non præsentes duntaxat, et qui propinqui nobis sunt atque videntur, sed etiam longe distantes complectatur, conglutinet et conjungat, utque nec temporum diuturnitas, neque viarum distantia, nec quidquam ejusmodi rerum, animæ amicitiam dirimere possit et divellere. Et vero ita diligere amantem oportet[2], ut si etiam anima ab ipso peteretur, et fieri posset, non deneget. Nihil enim cum sincero amico conferendum. Exultat enim amicus, dum eum cernit, quem diligit, lætitiaque perfunditur : connectitur etiam illi nexu quodam animæ, ineffabilem habente voluptatem. Ac si recordatus illius tantummodo fuerit, mox cogitatione assurgit et elevatur, ac in singulos dies ipsum videns, non satiatur, nec quidquam habet, quod alterius non sit : eadem illi, quæ sibi, optat.

Novi ego quemdam, qui, cum sanctos viros pro amico interpellaret, rogabat, ut pro illo primum, deinde pro se orarent. Novi etiam Paulum, qui non rogatus libenter animam suam dabat, et in gehennam incidere pro sibi dilectis optabat. Sic nimirum ignito affectu diligere oportet, ne quis debitorem illum habere videatur. Qui enim diligit[3], non imperare solum, sed etiam sibi imperari vult : magis optat subditus esse, quam aliis pro potestate jubere.

[1] Ex Serm. in viduam juniorem. — [2] Ex comm. in epist. 1 ad Thess. — [3] Ex Serm. de perfecta charitate.

Qui diligit, mavult beneficium tantum conferre, quam accipere: debitorem enim habere amicum potius cupit, quam se illi debere. Qui diligit, ille et gratiam conferre vult amico, et gratiam tamen conferre non vult videri: et ipse auctor beneficentiæ esse vult, et auctor tamen ejusdem esse videri non vult. Nec tamen mihi hic simpliciter amicos intelligite mensæ socios, et qui solo nomine amici appellantur. Si quis amicum habeat, qualem dico, verba facile intelliget[1]. Vita præsenti amicus dulcior est. Multi itaque post amicorum mortem non amplius vivere optaverunt: revera enim amicus ipsa luce desiderabilior est. Melius enim nobis foret solem extinctum esse, quam amicis esse privatos. Non pauci enim solem videntes, in tenebris sunt: qui vero abunde habent amicos, in angustia minime esse possunt. Si tamen cujusquam amicitia tibi obsit, prorsus eam a te rescinde. Si enim non raro aliqua e membris nostris resecamus[2], cum insanabilia ea sunt ac cæteris noxia, multo magis in anima id faciendum est. Nihil enim tam perniciosum est, quam improba societas: quæ enim necessitas non potest, persæpe tum ad perniciem, tum ad utilitatem potest amicitia. Qui porro cum hostibus regis amicitiam init, regis amicus esse nequit. Longe vero præstantius est odium, quod propter Christum sustinemus[3], quam amicitia, quam propter Christum habemus. Cum enim propter Deum diligimur, nos debitores illi sumus honoris: cum vero odium sustinemus, ille nobis honorem debet. Quicumque igitur non propter Christum contemnimus pecunias[4], sed potius propter nos, horreamus, cum mente recolimus illud, quod beatum Paulum ad Christum amandum permovit. Ille siquidem non Christum, propter ea quæ Christi sunt, sed hæc propter

[1] Ex comm. in epist. ad Thess. — [2] Ex comm. in Matth.— [3] Ex comm. in epist. ad Tim. I. — [4] Ex comm. in epist. ad Rom.

illum diligebat, atque unum hoc timebat, ne charitate erga Christum excideret: hoc enim illi gehenna ipsa formidabilius erat: sicut in dilectione manere, regno desiderabilius. Cum igitur ille ob Dei amorem etiam in gehennam incidere eligat, si utraque hæc ipsi proponerentur, nos vero ne præsentem quidem vitam despiciamus, numquid vel calceis ipsius digni sumus, qui tantum a magnanimitate ipsius distamus? Ob hanc causam etiam Christus dicebat[1], « Qui perdiderit animam suam propter me, inve-
» niet eam: et, qui me confessus fuerit coram hominibus,
» confitebor et ego eum coram hominibus, confitebor et
» et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est[2]. » Grandis enim huic facto labor inest, et qui ipsam propemodum naturam transcendat. Atque hoc probe noverunt illi, qui hisce coronis digni sunt habiti. Nullus enim sermo id exprimere poterit; adeo generosi opus est animi et supra modum admirabile. Nihilominus hanc tam præclaram rem remota charitate nihil magnopere nobis conferre asserit Paulus, etiamsi paupertatem conjunctam habeat. Cur ergo ita locutus sit, id jam ostendere conabor, ubi illud prius quæsivero, quomodo ille, qui universas suas facultates egenis distribuit, possit non habere charitatem. Nam ut ille, qui paratus est ut ardeat, quippe dona gratis data habet, non diligat, fieri fortasse potest: at qui non solum facultates suas elargitur, sed etiam in cibos distribuit, quomodo non diligit? Quid igitur dicendum est? An quia id, quod non erat ac si esset, supposuit? quod quidem semper facere consuevit, quando exsuperantiam aliquam vult exprimere: ut cum ad Galatas scribens, inquit; « Li-
» cet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter
» quam quod accepistis, anathema sit[3]. » Et vero neque

[1] Ex comm. in epist. 1 ad Corinth. hom. 32. — [2] Matth. x, 39. et x, 32. — [3] Galat. 1, 8.

ipse, neque Angelus hoc facturus erat: sed ut rei exsuperantiam ostenderet, posuit etiam illud, quod omnino futurum non erat. Et rursum, quando ad Romanos scribit et inquit: « Neque Angeli, neque principatus, neque potes» tates poterunt nos separare a charitate Christi[1]; » neque enim id Angeli erant facturi; sed etiam hic, quod non est, supponitur. Quemadmodum et in sequentibus, cum dicit, « Neque creatura alia; » et enim nulla alia est creatura: sed totam ipsam complexus fuit; atque omnia tum supera tum infera edixit. At nihilominus etiam hic, quod non est, secundum suppositionem dicit, quo excellentissimum suum amorem declaret, id nimirum, quod et hoc loco, inquiens, licet quis omna sua det, si Christum non habeat, nihil ei prodesse. Aut igitur hoc dicere vult; aut quia vult, ut dantes conglutinentur accipientibus, et non nude sine affectu dent, sed ut misericordia et commiseratione flectantur, ut mitigentur. Et eleemosyna a Deo lege sancita est, siquidem sine ista pauperes alere Deus potuit: sed ut nos charitatis vinculo connecteret, atque ut erga nos mutuo incalescamus, illos a nobis ali mandavit, idcirco etiam alibi dicit: « Melior est sermo bonus quam donum[2].» Et ecce sermo præstantior, quam datum bonum. Et ipse dicit: « Misericordiam volo et non sacrificium[3]. » Cum enim ita fieri soleat, ut in quos beneficia contulerimus, eosdem amore amplectamur; et qui beneficia acceperint, erga benefactores suos melius afficiantur, ille amicitiæ constituens vinculum, hoc ita lege confirmavit. Atque ut noveritis quam res præclara sit, verbis ipsam depingamus, quando eam rebus ipsis nusquam apparentem cernimus; et consideremus, si ipsa ubique locorum abunde foret, quanta bona fierint. Neque enim legibus, neque carceribus ullis opus esset; non punitionibus, non suppliciis, nec ulla

[1] Rom. VIII, 38. — [2] Eccli. XVIII, 16. — [3] Osee. VI, 6.

ejusmodi re. Si enim omnes diligerent et diligerentur, nihil injuriæ quisquam alteri inferret, sed cædes, pugnæ, bella, seditiones, rapinæ, bonorum direptiones et universa demum ejusmodi mala e medio tollerentur, et solo nomine nota foret improbitas. Hoc porro miracula minime efficiunt, sed potius vana gloria et arrogantia incautos effecerunt. Et quod in charitate plane stupendum est, alia quidem omnia bona conjuncta habent quædam mala; veluti cum quis paupertatem colit, non raro ob id ipsum inflatur: si quis dicendi peritus sit, etiam insana gloriæ cupiditate laborat: humilis vero frequenter ob hoc ipsum in conscientia superbit. At vero charitas ab omni ejusmodi corruptela libera est et exempta. Neque enim contra sibi carum hominem aliquando sese quis extulerit. Nec tamen mihi unum aliquem proponas amantem, sed indifferenter omnes, et tunc charitatis virtutem perspicies. Imovero, si placet, primum unum aliquem qui diligitur, et unum qui diligit, ponas, diligentem, inquam, sicut oportet. Etenim ejusmodi homo non secus terram incolet, quam ipsum cœlum ubique scilicet tranquillitate fruens, et innumeras sibi ipse coronas contexens. Talis enim ab invidia, ab ira et livore et arrogantia, inani gloria et prava cupiditate, ab omni turpi amore, omnique vitio immunem suam animam conservabit. Sicut enim nemo seipsum malo affecerit; sic nec iste suos proximos. Qui vero talis est, cum ipso Gabriele, in terra versans erit. Ac talis quidem est qui charitatem habet. Qui vero miracula facit, et scientiam summam habet absque illa, etiamsi innumeros excitet mortuos; nihil tamen illi magnopere proderit, dum videlicet ab omnibus separatus, nulli conservorum se conjungere sustinet. Ideo etiam Christus Dominus sinceræ erga se charitatis signum esse asseruit, proximum diligere. Inquit enim, « Si me plus his diligis,

» Petre, pasce oves meas[1]. » Vides quomodo hic denuo insinuaverit, diligere, martyrio esse præstantius? Equidem si filium quis haberet percarum, pro quo etiam vitam profunderet, ac deinde quis patrem quidem ejusmodi amaret, filii vero plane rationem nullam haberet, ille vehementer patrem exacerbaret, ut qui proprium amorem ob filii contemptum non agnosceret. Quod si in patre et filio hoc evenire solet, quanto magis in Deo et hominibus? Omnibus siquidem patribus filiorum suorum amantior Deus est. Atque idcirco, cum dixisset : Primum et maximum mandatum est, « Diliges Dominum Deum tuum, subdidit, » secundum vero[2], » et non conticuit, sed adjecit « Simile » huic : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. » Et vide, quomodo eadem propemodum excellentia etiam hoc præceptum exigat. De Deo enim loquens, ait, « Ex toto corde » tuo ; » de proximo vero, « Sicut teipsum : quod æquale e t illi, « Ex toto corde tuo. » Et quidem si studiose hoc observaretur; non servus, non liber esset; non princeps, non subditus, non dives, non pauper, non parvus, non magnus; nec etiam diabolus unquam cognitus fuisset : qui non dico de hoc tantum, sed et si etiam alius aliquis talis, imo si et centum, et sexcenti ejusmodi forent, nihil tamen possent, illa existente. Facilius enim fœnum ignis insultum sustinuerit, quam diabolus flammam charitatis. Ipsa est muro fortior, adamante firmior, et si quam aliam fortiorem illa materiam dixeris, omnia longe superat firmitas charitatis. Hanc neque divitiæ, neque paupertas vincit : imo ne paupertas quidem ulla ibi fuerit, aut nimiæ opes, ubi charitas erit, sed ea duntaxat, quæ ab utroque sunt, bona. ex illis siquidem abundantiam assequimur, ex hac vero tranquillitatem; ita ut neque divitiarum curas, neque egestatis metum sustineamus. Et quid dico quæ ex

[1] Joan. xxi, 17. — [2] Matth. xxii, 38.

illa proveniunt lucra? Ipsum enim diligere secundum se, quantum sit animadverte, quantam lætitiam adfert; in quanta animam constituit gratia: id quod ipsa maxime habet eximium. Etenim reliquæ partes virtutis dolorem aliquem habent conjunctum, ut sunt jejunium, sobrietas, vigilantia, æmulatio, desiderium, despicientia: charitas vero cum lucro etiam ingentem habet voluptatem, dolorem vero nullum. Et hæc ut impigra quædam apis undique quæ utilia sunt, colligens in amantis animam reponit. Ac si privatus aliquis serviat, liberum tamen servitium exhibet. Qui enim amat, non tam imperare quam sibi imperari gaudet. Et ipsum quidem imperare per se dulce est; charitas tamen rerum naturam commutat, atque omnia bona in manibus habens opitulatur, quavis matre benignior, omni regina opulentior; hæc quæ laboriosa sunt, levia facillimaque reddit: virtutem nobis expeditam, vitium autem difficillimum efficiens. Considera vero, cum sumptus facere hominibus molestum esse videatur, ipsam hoc ipsum jucundum efficere. Auferre res aliorum dulce apparet; at ipsa hoc jucundum videri non permittit, sed facit ut veluti rem ærumnosam fugiamus. Rursus vitupeperare omnibus dulce esse videtur: ipsa vero hoc quidem acerbum efficit, laudare vero dulce. Nihil enim nobis ita gratum est, ut laudare quem diligimus. Rursus ira voluptatem quamdam habet; sed in charitate nequaquam: quin omnes illius nervi succisi sunt; ac si forte amantem amatus contristet, ira tamen nusquam apparet, sed lacrymæ et obtestationes et supplices preces: tantum abest, ut exasperetur. Et sicubi peccantem cernat, luget et contristatur quidem; ipse tamen dolor aliquam etiam voluptatem adfert. Charitatis siquidem et lacrymæ et mœstitia, omni risu gaudioque suaviores sunt. Non ita certe recreantur ridentes, sicut qui propter amicos plorant. Quod si

minime credis, cohibe illorum lacrymas, et comperies eos ita affligi ac si atrocia quæque passi essent. Sed obscœna voluptas, dicet aliquis, est in amando. Apage, et male loqui desine, o homo: nihil enim ab ejusmodi voluptate tam immune est, quam vera charitas. Nec enim mihi popularem et sordidum illum amorem dixeris, et qui vitium potius est, quam charitas; sed eam dilectionem quam Paulus requirit, quæ eorum, quos amplectitur, commodum spectat; et videbis, quod illi ipsos parentes amore vincant. Et quemadmodum qui pecunias amant, eas expendere nequaquam volunt, sed malunt in angustiis esse, quam videre pecunias diminui; sic ille qui erga quempiam bene affectus est, innumera mala perferre mavult, quam sibi dilectum detrimentis affici videre. Quid ergo, inquies, si inimici fuerint et gentiles, annon odisse oportet [1]? Oderis quidem, verum non ipsos, sed doctrinam illorum; non hominem, sed improba facta, et perversam mentem. Homo siquidem opus Dei est, error vero opus diaboli. Si enim hostes Dei odio prosequi oporteat, non impios modo, sed peccatores etiam odisse oportebit; atque ita ipsis bestiis pejores erimus, omnes scilicet aversantes, et veluti Pharisæus ille, superbia inflati. Verum non ita Paulus jussit: sed quomodo? « Corripite, ait, inquietos, consola- » mini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad » omnes [2]. » Quid igitur vult, cum inquit; « Si quis non » obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate: et ne » commisceamini cum illo [3]? » Maxime quidem de fratribus istud dictum est: non tamen ita simpliciter, sed et hoc ipsum cum aliqua mansuetudine. Nec enim ab his sequentia distraxeris, sed et quæ subjiciuntur, apponas. Nam ubi dixisset, « Ne commisceamini, » adjunxit, « et no- » lite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. »

[1] Ad Epist. 1 ad Cor. hom. 33. — [2] 1 Thess. v, 14. — [3] 2 Thess. III, 14.

Vides-ne quomodo opus malum, et non hominem odisse jusserit? Diaboli enim illud opus est, ab invicem nos divellere. Et magnopere ille semper studuit charitatis nexum dissolvere, ut correctionis viam interciperet, et illum quidem in errore, te vero in perfidia et odio retineret; atque hac ratione tandem viam ad illius salutem veluti muro intercluderet. Cum enim et medicus ægrotantem odit ac fugit, æger vero medicum aversatur, quando tandem ægrotans revalescet, si videlicet neque hic illum accersat, neque ille hunc adeat? quam vero ob causam ipsum aversaris et fugis? An quia impius est? atqui ob id ipsum accedere oportet et mederi, ut morbo afflictum erigas. Si vero desperate laboret, tu quod tuum est facere jussus es: nam et Judas incurabili morbo laborabat, nec tamen Deus illi curam adhibere omisit. Ne igitur et tu defatigeris: quamvis enim magna adhibita diligentia ab impietate ipsum minime liberes, mercedem nihilominus, perinde ac si liberasses, recipies, et ut ille mansuetudinem tuam miretur efficies; atque hac ratione omnis gloria in Deum redundabit. Etiamsi enim miracula facias, etiamsi mortuos suscites, etiamsi aliud quidlibet facias, nunquam tamen ita Gentiles suspicient, ut si mitem te ac mansuetum, morumque suavitate utentem conspiciant. Nec vero et hoc exiguum officium est; multi enim prorsus ab improbitate desistent. Nec enim quidquam est, quod ita allicere homines possit, sicuti charitas. In illis quidem, signis dico et miraculis, invidia te persequentur homines; in charitatis autem officio et te observabunt, et amore complectentur; dum vero amant, etiam veritati progredientes inhærebunt. Quod si non confestim quis fidelis evadat, ne obstupeas, nec simul omnia requiras, sed illum interea, donec approbet, amare sinas, et eo paulatim progrediens pertinget. Cum igitur virtutum opifex sit

charitas, omni diligentia eam animis nostris inserere studeamus, ut nobis quam plurima bona proferat, utque affluentem assidue ipsius fructum, qui perpetuo floreat, et nunquam marcescat, habeamus. Hac enim ratione etiam sempiterna bona consequemur. Quæ nos omnes consequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto ac bono Spiritui gloria, in sæcula seculorum. Amen.

HOMILIA II.

De oratione.

I. Magnum bonum est oratio, si grato animo fiat; si, inquam, nosipsos assuefaciamus[1], ut non solum accipientes, sed etiam non accipientes, gratias Deo agamus. Ille siquidem aliquando dat, aliquando non dat. Ac utrumque quidem utiliter: adeo ut sive accipias, sive non accipias, acceperis tamen, dum non accepisti; et sive impetres sive non impetres, impetraveris tamen dum non impetrasti. Nonnunquam enim non accepisse utilius est. Nisi enim subinde præstaret nos petita non consequi, omnino nobis daret. Utiliter autem frustratum esse, est obtinuisse. Nec porro indigne feramus, quod tardius nobis, quæ petimus, dentur[2]; sed ob id ipsum magnam tolerantiam et æquanimitatem ostendamus. Numquid enim etiam antequam peteremus, dare nobis Deus non poterat? Sed idcirco expectat, ut occasionem a nobis accipiat juste nos dignandi sua providentia. Sive igitur postulata consequamur, sive non consequamur, in oratione perseveremus: Nec solum cum impetramus, gratias agamus, sed etiam cum non impe-

[1] Ex hom. 1 in statuas. — [2] Ex comm. in exæmer.

tramus. Nam frustrari, cum Deus ita vult, non deterius est, quam aliquid consecutum esse. Neque enim nos scimus, quæ nobis conducunt, sicut ipse novit. Quamobrem sive aliquid consequamur, sive non consequamur, gratias agere debemus, et cum gaudio suscipere quæ ipsi placita fuerint. Nec enim Deus quasi preces nostras abnuens, sed perseverantiam nostram sapienter quærens, nosque ad se attrahere volens, sæpe cunctatur. Quoniam et benignus in liberos pater sæpe, cum a filio rogatur, non annuit: non denegare volens, sed perseverantiam filii per hoc eliciens. Nam quod orans exaudiatur[1], primo quidem ex eo oritur, quod quis dignus sit qui accipiat: deinde quod secundum Dei leges oret: tertio quod frequenter: quarto quod assidue, et nihil temporale petat: quinto quod utilia quærat. Quemadmodum igitur ex istis rebus fit, ut preces exaudiantur, sic ex adverso fit, ut non exaudiantur, etiamsi, qui petunt, justi sint. Quid enim Paulo justius erat? quia tamen inutilia petebat, exauditus non est. « Propter quod, » ter Dominum rogavi, inquit, et dixit mihi, sufficit tibi » gratia mea[2]. » Quid vero iterum Moyse justius? Sed neque ille exaudiebatur, dicente Deo; « Sufficiat tibi. » Cum enim peteret, ut in terram promissionis ingrederetur, atque hoc non expediret; Deus non permisit. Præter hæc vero etiam aliud est, quod facit ne preces exaudiantur: si nimirum in peccatis permanentes oremus. Quod de Judæis quoque ad Jeremiam Deus dicebat, « Ne ores pro populo isto: » annon vides quid isti faciant[3]? » Non destiterunt, inquit, ab impietate, et tu pro ipsis preces offers? At non exaudiam te. Rursus si contra inimicos oremus, non modo non audimur, sed Deum etiam irritamus. Medicina enim est oratio: sed si ignoremus, quomodo adhibere medicinam oporteat, virtutem etiam ipsius nunquam percipiemus.

[1] Ex expos. Psal. 7. — [2] 2 Cor. XII, 8. — [3] Jerem. VII, 16.

Tantum igitur orationis perseverantia bonum est[1], ut ab illa Chananæa discimus : quoniam quod Apostolis rogantibus Christus non concessit, ipsa perfecit, et sua tolerantia ad opus perduxit. Nam pro nostris delictis, a nobis potius, qui rei sumus, quam ab aliis pro nobis, vult rogari. Hominibus enim cum supplicamus[2], et pecuniarum expensis, et servili adulatione, multoque circuitu et advocatione opus habemus. Sæpe enim non continuo beneficium conferre domini solent, aut colloqui; sed necesse est, prius ministros et rei familiaris dispensatores, ac procuratores ipsorum, pecuniis et verbis, omnique ratione demereri, ut deinde per illos petita quis accipere valeat. Apud Deum vero non ita res habet : neque enim mediatoribus indiget cum rogatur, nec ita cum per alios rogatur ad beneficentiam proclivis est, quam si per nos ipsos rogetur. Multa enim Deus vult ut ab ipso postulemus[3]; et magnam pro hac re habet gratiam. Solus enim iste debitor, cum ab eo aliquid exigitur; gratiam habet, et quæ mutuo non dedimus, præstat. Et siquidem vehementer urgere videat exigentem, etiam quæ a nobis non accepit, solvit : si vero segniter, etiam ipsemet cunctatur; non idcirco quidem quod dare nolit, sed quod gratum ei sit a nobis postulari. Neque enim odio quodam, aut nos aversans, dare petita differt; sed cunctanter dando nos apud se assidue retinere volens. Quemadmodum etiam patres filios suos tenere amantes, faciunt : illi siquidem filiorum segniorum assiduitatem ipsa donationis procrastinatione velut arte quadam moliuntur. Exauditus es? Propter hoc gratias age, quod exauditus sis. Non es exauditus? persevera ut exaudiaris. Nihil tibi opus intercessoribus, nec magno circuitu, nec ut blandimentis alios tibi concilies; sed quamvis desertus

[1] Ex comm. in Evang. secundum Matth. — [2] *Ex eodem.* — [3] Ex homil. in illud, *Sive occasione*, etc.

sis, quamvis sine patrono, si ipsemet Deum precatus fueris, omnino impetrabis. Si enim inter homines, licet infinities offenderimus, si tamen sub auroram, et media die et vesperi in illorum conspectum veniamus qui nobis offensi sunt, ipsa assiduitate et perpetuo aspectus occursu facile illorum odium dissolvimus, multo magis apud Deum id fieri poterit. Non enim ita annuere consuevit[1], cum ab aliis pro nobis rogatur, quam si nos ipsi oremus, licet innumeris malis referti simus. Audiant qui segniter orant, quique tarditatem in dando graviter ferunt. Cum enim dico, precare Deum, ora eum, supplica illi; ait: rogavi semel, iterum, tertio, decimo, vigesimo, et necdum accepi. Ne desistas, donec acceperis: imo ne tunc quidem, sed etiam tum persevera. Et si nondum acceperis, pete ut accipias: cum vero acceperis, gratias agito, quod acceperis. Multi in Ecclesiam ingrediuntur, innumeros orando absolvunt versus; et egrediuntur, et nesciunt quid dixerint. Labia moventur, auditus vero non percipit. Tu non audis orationem tuam, et Deum vis illam exaudire? Genua, inquis, flexi, at mens tua extra volitabat, corpus intra erat, et animus tuus extra. Os tuum preces recitabat, et mens tua numerabat fœnora, commercia, commutationes, possessiones, amicorum congressus. Diabolus enim cum nequam sit, et noverit quod orationis tempore res magnas conficiamus, tunc nos aggreditur; sæpe enim in lecto supini jacemus et nihil cogitamus; venimus ad orandum, et mox infinitæ cogitationes sese ingerunt; ut nos fructu illius vacuos, et penitus in irritum laborantes reddat: Ac non raro absoluta oratione discessimus tanquam qui nec auditu perceperimus, quæ dixerimus[2]. Cum igitur hoc animadverterimus, confestim ipsam resumamus: ac si hoc ipsum denuo nobis contingat, etiam tertio et quarto

[1] Ex hom. in expos. hist. Chananææ. — [2] Ex hom. in statuas.

eam recitemus, nec prius ab oratione desistamus, donec integram ipsam sobria mente et attenta cogitatione coram Deo effundamus. Quod si diabolus sentiat, non ante nos cessare quam studiose et vigilante animo ipsam dixerimus, cessabit nobis ultra insidias struere, sciens, nihil amplius ex insidiis emolumenti se habiturum, quam ut nos eamdem orationem frequenter repetere compellat. Si enim hominem adeuntes tantum adhibeamus studium[1], ut persæpe ne prope quidem astantes conspiciamus, sed mentem nostram contendamus, solum illum, quem accedimus, imaginemur; multo magis nos coram Deo hoc facere oportet, precibusque esse intentos, nec huc atque illuc cogitationem circumducentes. Si enim lingua quidem verba proferat, mens vero foris circumvagetur, res domesticas circumspectans, aut forensia negotia sibi cogitatione formans, nulla nobis in reliquo erit utilitas, sed major condemnatio. Si enim hominibus quidem tanto assistimus tempore[2], militantes et ærumnas ferentes, servilia munia obeuntes, et sæpe circa finem ipsa spe excidentes; Domino nostro a quo omnino remunerationem longe laboribus majorem est accipere, debita cum sollicitudine assistere non sustinebimus? Et quanta hæc punitione digna? Etiamsi enim nihil accepturi essemus, numquid non ipsum assidue cum ipso colloqui, innumerorum bonorum instar est? Enimvero magnum bonum est oratio[3], et per ipsam cum Deo colloqui. Si enim virtute præditum hominem quis alloquens, non exiguam inde percipiat utilitatem; quantis ille bonis fruetur, qui Deum alloqui dignus habitus est? Quomodo igitur non absurdum fuerit[4], servos jubere, ut toto tempore nobis serviant, nos vero minimum otii Deo tribuere? Non nosti tu utilia, homo? frequenter perniciosa et peri-

[1] Ex comm. in hexaëmer.— [2] Ex comm. in Evang. Joan.— [3] Ex comm. in hexaëmer. — [4] Ex comm. in Evang. S. Joan.

culosa petis: sed ille magis curam gerens tuæ salutis, non ad tuam petitionem respicit, sed antequam petas, quid tibi conducat, providet. Nam si patres carnales[1], non prorsus quæ filii petunt, concedunt; non quod petentes aspernentur, sed quoniam eorum majorem curam gerunt: multo magis Deus id facit, qui et plus diligit, et exactius omnibus [quid] nobis prosit perspectum habet. Cum ergo defatigatus orando fueris[2], et non acceperis, cogita tecum quoties audiveris pauperem te invocantem, et non exaudiveris: et ille indignatus non est: nec te contumeliis affecit. Ac tu quidem ex crudelitate hoc facis, Deus vero ex benignitate. Si ergo tu conservum propter crudelitatem non audiens, te accusatione dignum non censes; Dominum propter benignitatem servum non audientem accusas? Si ergo beatus David[3], cum rex esset, et innumeris immersus curis, et undique distractus, septies in die Deum invocabat: quæ nobis excusatio et venia esse possit, qui tantum habemus otii, nec assidue ipsi supplicamus; atque hæc, cum tantum lucrum percepturi simus? fieri enim non potest, non inquam fieri potest, hominem eo, quo par est, studio orantem, et continue Deo supplicantem, aliquando peccare. Qui enim mentem suam accendit, animumque erexit, atque in cœlum se ipsum transtulit; et ita dominum suum invocavit, suorumque peccatorum recordatus, de ipsorum remissione ei locutus est, et propitium ac mitem fieri rogavit, ab ipsa in his sermonibus mora, omnem deponit sæcularem curam, spe elevatur, et humanis perturbationibus superior efficitur. Non enim ita fontes aquarum hortos florentiores reddunt, sicut plantam orationis fontes lacrymarum irrigantes ad maximam extollunt altitudinem, et orantem coram Domino sistunt: hinc

[1] Ex hom. 5 in S. Apost. Paulum. — [2] Ex comm. in epist. 1 ad Thess. — [3] Ex hom. 5 in Proph. Annam.

enim maxime etiam fit ut exaudiatur[1]. Quoniam si corpore in terra prostrato, et ore incassum nugante, mens totam domum et forum pervagetur, quomodo talis dicere poterit, se in conspectu Dei orasse? In conspectu enim Domini orat, qui totam animam suam colligit, et nihil habet cum terra commune, sed in ipsum se transfert cœlum, atque omnem ex animo expellit humanam cogitationem[2]. Sic enim orantem oportet orare, ut totam suam mentem colligens et contendens, animo dolente Deum invocet, et neque prolixos extendat sermones, neque in longum orationem producat, sed pauca et simplicia verba dicat. Non enim in verborum multitudine, sed mentis sobrietate positum est, ut quis exaudiatur. Atque hoc ex precibus Annæ matris Samuëlis videre est. Illa quippe dicit, « Adonaï Domine, Deus Sabaoth, si respiciens respexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, et dederis ancillæ tuæ semen viri, dabo ipsum in conspectu tuo dicatum, usque ad diem mortis ipsius, et vinum et siceram non bibet, et ferrum non ascendet super caput ipsius[3]. » Qualis hæc verborum multitudo? Nihilominus, quoniam cum attentione et sobrietate hanc orationem fecit, omnia quæ voluit perfecit, et deficientem naturam correxit, et matricem conclusam aperuit, et in multam se ipsam induxit fiduciam, ex sterili petra abundantem segetem metens. Oportet igitur orantem nec longos extendere sermones, et assidue orare. Breves enim et frequentes orationes emitti et Christus et Paulus præceperunt, parvis ex intervallis. Nam si sermonem in longum extenderis; in negligentiam frequenter lapsus, multam diabolo subrependi, supplantandi et cogitationem abducendi facultatem dederis, ab iis quæ dicuntur. Si vero continuas et crebras orationes emittas, totum tempus fre-

[1] Ex hom. 3 in Prophet. Annam. — [2] Ex hom. 2 in Prophet. Annam. — [3] 1 Reg. 1, 11.

quentia interpolans, facile modestiam exhibere poteris, et ipsas orationes cum multa perages vigilantia. Vis orationis vigilantiam discere, solertiam et assiduitatem? abeas ad Annam, disce quid illa fecerit. « Surrexerunt, inquit, omnes a mensa, » et illa statim non ad somnum conversa est, non ad requiem[1]. Unde mihi etiam ad mensam sedens sobria fuisse, nec ullis cibis onerata videtur: nec enim tot emitteret lacrymas. Si enim nos cum sobrii sumus et jejuni, vix ita oramus, imovero nunquam ita oramus: multo magis illa post mensam ita non orasset, nisi etiam in mensa jejunantibus similis fuisset. Revereamur viri, mulierem; revereamur, inquam, qui pro regno supplicantes oscitamus, pro filio precantem et lacrymas fundentem. Et hic quoque mihi pietatem mulieris considera: Vox, inquit, ejus non audiebatur, labia vero ipsius movebantur. Sic qui obtinere aliquid vult, ad Deum accedat, non ignavus, non oscitans, non deficiens, neque se scabens aut negligenter arguens. Annon etiam ante orationem desiderium mulieris noverat? Sed si ante petitionem dedisset, non apparuisset mulieris studium, non virtus fuisset manifesta, non tantum inde præmium acquisivisset. Sed et ipsius sapientiam videamus: postquam enim eam Heli sacerdos ebriam existimavit, vide quid ad ipsum dicat: « Ne des ancillam » tuam in filiam pestis; quoniam ex multitudine medita- » tionis sermones meos extendi usque nunc[2]. » Hoc vere contriti cordis est, cum injuria nos afficientibus offensi non sumus, nec indignamur; sed etiam nos excusamus. Nihil enim ita cor sapiens facit sicut tribulatio, et secundum Deum luctus. Opus est itaque nos, et mensam auspicantes et finientes, Deo gratias agere. Qui enim ad hoc paratus est[3], nunquam in ebrietatem incidet aut vinolen-

[1] Ex comm. in epist. 1 ad Ephes. — [2] 1 Reg. 1, 16. — [3] Ex hom. 2 in Prophet. Annam.

tiam: nunquam crapula disrumpetur: sed orationis expectationem pro freno sensibus impositam habens, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet; et multa quidem animam, multa vero corpus benedictione implebit. Mensa namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet; sed fonte largius, omnia nobis bona adferet. Ne tantum itaque prætermittamus emolumentum. Absurdum enim est[1], servos quidem nostros, si aliquando partem aliquam appositorum a nobis accipiant, et gratias nobis agere, et cum benedictione recedere: nos autem tot bonis perfruentes, nec tantum honoris Deo rependere. Propterea enim multa tam in communibus, quam in privatis rebus præter sententiam nobis eveniunt, quoniam non circa spiritualia primum, tum vero circa sæcularia negotia studium exhibemus. Nonne scis, quod si veniens Deum adoraveris, et præsentis hic occupationis sis particeps, magis tibi illa, quæ in manibus habentur, facilia reddantur.

Sed sæculares habes curas? Propter has saltem huc occurre, ut allecta per hanc exercitationem Dei benevolentia, ita tutus prodeas; ut ipsum habeas auxiliatorem, ut superna juvante manu, dæmonibus inexpugnabilis fias. Nam si preces consequaris spirituales, si communis orationis particeps fias, si Dei compares auxilium, si ipsius armis munitus ita progrediaris; jam neque diabolus ipse contra te respicere poterit, nedum homines improbi, qui injuria te afficere et calumniari student. Quod si e domo in forum egressus, et hujusmodi armis nudus inventus fueris, omnibus insidiantibus expugnabilis eris. Neque mihi quispiam dicat[2], fieri non posse, ut homo sæcularis, foro affixus, continue per diem oret, et ad Ecclesiam ex-

[1] Ex hom. in illud dictum: *Si esurierit inimicus tuus.* — [2] Ex hom. 5 in Prophet. Annam.

currat : potest enim, et quam facillime. Nam licet in Ecclesiam currere facile non sit, pro foribus illic constitutus, et foro judiciali affixus orare potest. Et hoc multi fecere frequenter; et clamante intus magistratu, comminante, contendente, furente, pro foribus stantes signo muniti, et pauca verba mente orantes, ingressi mutaverunt eum atque mitigaverunt, et mansuetum ex fero reddidere, nihilque aut a loco, aut a tempore, aut a silentio ad orationem istam impediti sunt. Nec enim tam voce opus est, quam cogitatione : neque manuum extensione, quam animi intentione : neque figura, sed intellectu. Quoniam et Samuëlis mater Anna, non quia claram et magnam edidit vocem, propter hoc audiebatur; sed quia intus in corde multum clamabat : « Vox ejus non audiebatur, inquit, et » exaudivit eam Deus. » Ne igitur nos excusemus dicentes, non esse facile quempiam orare sæcularibus negotiis implicitum, et prope se oratoriam domum non invenientem. Nam ubicumque sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Sed etiamsi genua non flectas, etiamsi pectus non percutias, nec manus in cœlum extendas, si mentem solum ferventem exhibeas, orationem perfectam consummaveris. Licet enim, et forum petentem, et solum ambulantem, prolixas orationes facere. Licet et in officina sedentem, et pelles consuentem, animam Domino consecrare. Licet etiam servo et ementi, et ascendenti, et descendenti, et culinæ astanti, cum ad Ecclesiam ire non poterit, orationem facere prolixam et ferventem. Non enim locum Deus veretur, sed unum solum exquirit, fervidam mentem et continentem animam. Nam et Paulus non in oratorio, sed supinus in carcere jacens, neque erectus stans, neque genua flectens : non enim sinebat lignum, quo pedibus vinctis tenebatur : quoniam jacens studiose oravit, carcerem concussit, et

commovit fundamenta, carcerisque custodem ligavit, et post hæc ad sacram initiationem deduxit. Et Ezechias haud rectus stans, neque genua flectens, sed supinus propter ægritudinem in lectulo jacens, cum ad parietem se ipsum convertisset, quoniam Deum ferventer et casto animo invocavit; prolatam revocavit sententiam, et magnam sibi conciliavit benevolentiam, atque ad pristinam rediit sanitatem. Et latro in cruce distentus, paucis verbis cœleste regnum assecutus est : et Jeremias in cœno et in lacu, in lacu ferisque Daniel, et Jonas in ipso ceti ventre Deum deprecati, imminentia mala universa dissolverunt, et cœlestem gratiam sibi conciliaverunt. Quid igitur orans dicere debes? Quod Chananæa[1]. Sicut enim illa dicebat : «Miserere mei, filia mea male a dæmonio vexatur;» ita et tu dicito : Miserere mei, anima mea male a dæmonio vexatur; magnus siquidem dæmon, peccatum : dæmonium habens, misericordiam invenit; peccans odio habetur. Miserere mei, breve verbum, et clementiæ pelagus continet; ubi enim misericordia, ibi sunt omnia bona. Etiamsi extra Ecclesiam sis, clama, et dic : Miserere mei; etsi non movens labia, sed mente clamans : nam et tacentes Deus exaudit. Non quæritur locus, sed loci principium. Jeremias in cœno erat, et Deum exoravit[2]: et Job erat in sterquilinio[3], et Deum reddidit propitium : Jonas etiam in ventre ceti, Deum sibi obsequentem habuit. Etiamsi in balneo sis, ora, ubicumque sis, ora. Templum es, ne locum quæras. Mare erat ante Judæos, et post terga Ægyptii; et medius Moyses, nihil loquens : multa enim in oratione angustia; et dicit ei Deus : «Quid clamas ad me[4]? Et tu igitur, cum tibi advenerit tentatio, ad Deum confuge, Dominum invoca. Numquid enim homo est, ut locum pe-

[1] Ex hom. in explic. hist. Chananææ. — [2] Jerem. XXXVIII. — [3] Job. II. — [4] Isaï. XIV.

tas? Deus semper prope est. « Adhuc loquente te dicam : » Ecce adsum. » Nondum orationem fecisti; et ipse medicinam præbet. Si enim mentem puram ab impuris affectionibus habeas, licet in foro sis, sive in via, sive in Judicio constitutus, sive in diversorio, sive in officina stans, sive ubicumque tandem sis, Deo poteris invocato petitionem obtinere. Quid enim manuum in oratione vult extensio? Hæ multis sceleribus ministerium exhibent[2]: et idcirco jubemur eas extollere, ut orationis ministerium sit eis vinculum nequitiæ; et a malitia abductio : ut cum rapturus es, aut alterum oppressurus vel percussurus, recorderis, te has ut patronas ad Deum emissurum, et per has spirituale illud sacrificium oblaturum esse : neque ipsas confundere, vel actionis pravæ ministerio fiducia privare debere. Eas igitur emunda per eleemosynam, per clementiam, per indigentium tutelam, et ita eas ad orationem offer. Si enim illotis illis ad orationem uti non velis, multo minus in peccatis eas extendens fueris justus. Si, quod minus est, illotis manibus orare times, multo magis quod gravius est, expavesce. Illotis enim manibus orare non adeo absurdum est : eas autem innumeris criminibus contaminatas habere, hoc multam indignationem affert et exitium. Vis discere quanta sit orationis in Ecclesia factæ potentia[3]? Vinctus aliquando fuit Petrus, multisque circumdatus erat catenis : « oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo, » et statim eum a carcere liberavit. Quid igitur hac oratione potentius fuerit, quæ columnam et turrim Ecclesiæ adjuvit? Et catechumenis quidem permissum hoc nondum est, quoniam necdum ad hanc pervenere fiduciam : vobis autem et pro terrarum orbe, et pro Ecclesia, quæ usque ad terminos terræ exten-

[1] Hexaëm. — [2] Ex explicatione Psalmi 140. — [3] Ex hom. de non maledicendo.

ditur, et pro gubernantibus ipsam et præsidentibus orationes emittere præcipitur. Cum animi igitur alacritate obedite, opere testantes magnam vim esse orationis in Ecclesia a populo concorditer oblatæ. Nam cum inter homines[1], populo sontes viros, cum ad mortem trahuntur, petente, Rex multitudine motus, sententiam deponat; multo magis Rex cœlestis a vobis placatus petita præstabit. Non audistis, ita Petrum de carcere ereptum esse, quoniam oratio fundebatur sine intermissione pro eo? Quanto majus esse nostra creditis exiguitate, ad Deum pro tanto accedere populo et supplicare? Nam si pro me ipso precari fiduciam non habeo, multo minus pro aliis: probatorum enim hoc est. Cum igitur etiam ipse offenderim, quomodo pro alio deprecabor? Quod enim unus pro multis oret, res magnæ est fiduciæ, multæque indigens libertatis: multos autem simul congregatos pro uno supplicationem facere, nil grave videbitur. Oratio quidem domi etiam fieri potest; sic autem, ut in Ecclesia, non potest[2]; ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audiris, sicut cum fratribus tuis. Hic enim majus quid est, unanimitas videlicet et consonantia, caritatisque vinculum, et sacerdotum orationes. Propterea namque sacerdotes præpositi sunt, ut multitudinis orationes, cum sint infirmiores, horum velut potentiorum precibus se conjungentes, pariter cum illis in cœlum ascendant. Si namque Petrum Ecclesiæ adjuvit oratio, et illam ex carcere columnam eduxit, quomodo tu, quæso, ipsius potentiam contemnis? Quemadmodum enim charitatis virtus intervallo non arcetur[3], ita nec orationis efficacia: sed sicut illa inter se distantes conjungit, ita et hæc procul

[1] Ex expos. epist. 2 ad Thess. — [2] Ex hom. 3 de incomp. Dei naturæ. — [3] Ex orat. contra noviluniorum observat.

positos plurimum adjuvare poterit. Nam et Moyses, quanquam corpore pugnantibus non aderat, non tamen minus quam pugnantes, sed et multo plus ad illam contulit pugnam, manuum extensione suorum extollens vires, et tremendas faciens adversariis. Nullum enim officium adeo magnum fuerit, nisi aliis etiam lucrum communicarit. Sive enim jejunus maneas, sive humi dormias, sive favillam comedas, sive lugeas continue, et nulli prosis alteri, nil magnum efficis. Nam et a Moyse multa magnaque miracula et signa sunt edita[1] : sed nihil ipsum tam magnum effecit, quam illa beata vox, quam ad Deum emisit, dicens : «Si dimittis quidem eis peccatum, dimitte : sin autem » minus, et me dele[2]. » Et vero David hoc ipsum ostendens, aiebat : «Ego pastor peccavi, et ego malum feci : et hi, » grex, quid fecerunt? Fiat manus tua super me et super » domum patris mei[3]. » Magna quidem et hæc, et angelica conversatione digna. Pauli vero dicta multum hæc superexcedunt[4]. Gloria namque futura optavit excidere pro aliorum salute. Jonas vero, quoniam propriam utilitatem quæsivit, etiam de vita periclitatus est; et civitas quidem stabat, ipse vero submergebatur. Magna quidem et reliqua Moysi virtutis merita : summum tamen et sanctæ illius animæ culmen, quoniam ex libro deleri elegit pro Judæorum salute. Pauli vero votum ex multa superavit abundantia. Nam ille quidem cum aliis perire malebat, hic autem non simul perire, sed sospitibus aliis, ab æterna solus gloria excidere optabat. Bonum est igitur Sanctorum exoratione frui[5]; sed cum et nos sumus cooperatores : quod si non adfuerit, nihil aliorum prodest auxilium, verum etiam cum illo perimus. Quid enim Judæis profuit Jeremias? Nonne ter ad Deum accessit, et ter audivit; «ne ores ne-

[1] Exod. XXXII. — [2] Ex 1 epist. ad Cor. — [3] 2 Reg. XXIV, 17. — [4] Ex Serm. 1 Apost. Paulum. — [5] Ex comm. in epist. 1 ad Thess.

» que preceris pro populo isto, quoniam te non exaudiam? » Quid Saüli profuit Samuel, ad ultimum usque diem orans, et pro eo lugens? Quid autem et Israelitis profuit? nonne dicebat, Absit autem a me hoc peccatum in Domino, ut cessem orare pro vobis? nonne cuncti perierunt? Nam Deum audi dicentem per Prophetam : « Si steterint Noë, » Job, et Daniel, non liberabunt filios suos et filias, quo» niam nimium invaluit illorum malitia[1]. » Quid ergo? nihil prosunt orationes? Prosunt et quam plurimum : sed cum nos quoque cooperamur. Et si scire cupis quantum contulerint, cogita mihi Cornelium et Tabitham : audi quoque Deum dicentem : « Protegam civitatem istam prop» ter me, et propter David puerum meum[2]. » Sed quando? tempore Ezechiæ justi. Alioqui si malorum quoque valebant preces, quare non etiam cum Nabuchodonosor veniret, Deus hoc dixit, sed civitatem tradidit? quoniam magis invaluerat peccatum. Et hic ipse rursum Samuël pro Israëlitis oravit, et obtinuit : sed quo tempore? cum et ipsi Deo grati fuerunt, tunc hostes in fugam convertit. Et quid mihi opus est, dicet aliquis, aliorum oratione, cum ego Deo placeo? Quid ais, homo? Paulus non dixit, quid mihi opus est oratione? nec Petrus dixit, quorsum mihi oratio? licet orantes eo digni non essent, imo nec pares : et tu dicis, quid mihi opus est oratione? Petrus non dixit, quid mihi opus est oratione? « Oratio, inquit, fiebat sine » intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo[3]; » et statim liberavit eum ex vinculis : et tu dicis, quid mihi opus est oratione? Propter hoc indiges, quoniam te indigere non credis. Nam si Deus nostrum in orationibus torporem et negligentiam exquirat[4], et quod in ipsius conspectu positi et orantes ipsum, neque tantum ei exhibemus honorem,

[1] Ezech. XIV, 14. — [2] 4 Reg. XIX, 33. — [3] Act. XII, 5. — [4] Ex hom. in statuas.

quantum dominis servi, quantum ducibus milites, quantum amicis amici : amicum enim alloquens hoc cum attentione facis : Deo autem pro peccatis occurrens, pro tot criminibus veniam petens, et remissionem rogans tibi fieri, torpes ; et genibus tuis humi positis, circa forúm et domum mentem tuam vagari frequenter permittis, ore tuo frustra nugante et incassum : nec hoc semel et bis, verum et frequenter patimur. Si hoc tantum exquirere Deus voluerit, an veniam habebimus? an excusationem assequi poterimur? Non, arbitror ego. Si vero curiosos aspectus nostros Deus examinet, et pravas concupiscentias quas in mente habemus, turpes et impuras cogitationes admittentes ex incauta oculorum vagatione : si detractiones, quibus per singulos dies alter alterum vituperat, in medium producat ; et intempestiva judicia quibus proximum condemnamus, nullum habentes negotium, dolosque quos alter in alterum suimus, nunc quidem præsentem laudantes fratrem, et tanquam amicum alloquentes, absentem vero criminantes : numquid pro his rationes reddere poterimus? quid vero loquar invidiam, per quam bene se gerentibus frequenter invidemus, non inimicis tantum, verum etiam amicis, et aliis mala patientibus, lætamur, et propriæ ærumnæ putamus consolationem alienas calamitates? Nam si sæcularibus et præsentibus abstinere jubemur[1] : quomodo miseri non sumus et infelices, hæc a Deo poscentes, quæ præcepit etiam habentes abjicere? Si vero non pro fidelibus tantum[2], sed etiam pro infidelibus orare jubemur, cogita quantum mali sit contra fratres imprecari : Quid agis, homo? Ad Deum accedis, ut propitium reddas, et imprecaris alteri? Nisi dimittas nec tibi dimittetur : et tu non solum ipse non dimittis, sed et Deum, ne dimittat,

[1] Ex comm. in Evang. secundum Joan. — [2] Ex comm. in epist. 1 ad Tim.

exposeis? Si non dimittenti non dimittitur, etiam Dominum, ne dimittat, oranti, quomodo dimittetur? Si enim inimicos habere dedecus est, ipsis imprecari cogita quantum sit malum. Cum enim te purgare debeas, quod inimicos habeas, tu ipsos etiam accusas[1]? Et quam veniam consequeris, etiam maledicens, ac tali in tempore, quo non mediocri tibi opus sit misericordia? Nam et pro tuis oraturus peccatis accessisti. Noli igitur alienorum recordari, ne propria commemores. Si enim dixeris, percute inimicum, os tuum obstruxisti, et linguæ jam abstulisti libertatem. Primum quidem, quoniam judicem statim ab exordiis irritasti : deinde, quoniam contraria petis, et orationis formæ repugnantia. Nam si pro remissione peccatorum accedis, quomodo de punitione verba facis? Contrarium enim facere oportebat et pro adversantibus supplicare, ut cum fiducia pro nobis quoque possemus orare. Si igitur anima imprecante nihil scelestius, nec lingua talia loquente quidquam impurius, cur omnia non expedis, ut orans nihil dicas, quod tuum irritet Dominum? Homo es, fera ne fias. Propterea tibi factum est os, non ut mordeas, sed ut medearis. Recordare quid te monuerim, inquit Deus; ut parcas et remittas : tu vero etiam me rogans meorum fieri mandatorum eversionis participem, et devoras fratrem, et linguam cruentas, sicuti furentes ex propriis artubus dentes. Quomodo diabolum lætari credis atque ridere, cum talem audierit orationem? quomodo irritari Deum et averti simul et odisse, cum talia rogaveris? Considera, ad quem accedas, homo, contra inimicos tuos. Numquid enim ad alium accedis Deum? Illum adis, qui dixit; « Orate pro inimicis vestris[2]. » Quomodo igitur adversus eos clamas? Quomodo Deum rogas, ut propriam dissolvat legem? Non est ista supplicis forma. Nemo rogat

[1] Ex comm. in epist. ad Cor. — [2] Matth. v, 44.

ut alius pereat, sed ut ipse salvetur. Quid igitur supplicis quidem habitum induis, verba autem habes accusatoris? Et cum pro nobis quidem oramus, scalpimus nos et oscitamus : cum vero adversus inimicos, vigilantes hoc agimus. Quoniam enim diabolus novit, quod in nos ipsos ensem agimus, tunc nos non circumfert, neque distrahit, ut magis nobis noceat. Sed injuriam, inquis, passus sum, et affligor. Itaque contra diabolum ora, qui nos super omnes afficit injuria; hic enim et inimicos parit. Sin autem adversus inimicos oraveris, orationem quam ille quærit, orabis : sicut contra si pro inimicis, adversus istum. Hic enim est implacatus hostis : at homo, quæcumque faciat, amicus est et frater. Quid igitur vere inimicum omittens, membra propria mordes? Hæc ergo scientes, dilectissimi, studeamus secundum mandata et voluntatem Domini conversari, ut cœlorum quoque regnum consequamur, in Christo Jesu Domino nostro : cui gloria et imperium cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

De pœnitentia.

Propterea de Pœnitentia continue sermonem moveo[1], ut neque peccans desperet, neque recte vivens altum sapiat. Justus es? ne deficias : es peccator? ne desperes : ac si quotidie pecces, quotidie pœnitentiam agas : id quod in antiquis domibus facere solemus, cum vetustate quassatæ fuerint, quassata subducimus, et nova supponimus, nec unquam ab assidua cura desistimus. Si antiquatus

[1] Ex hom. in illud: Etsi hesterna die.

fueris a peccato, per pœnitentiam te renova. Non possum, inquies, resipiscens salvus esse? Et maxime potes. Totam vitam in peccatis consumpsi, et si pœnitentiam egero salvabor? et maxime. Unde constat? Ex Domini clementia. Ne tuæ confidas pœnitentiæ: non enim tua pœnitentia tanta valet peccata abstergere. Si sola foret pœnitentia, jure timeres: sed quoniam cum pœnitentia, commiscetur Dei benignitas, confide quoniam tuam vincit nequitiam. Multum namque misericors est Deus, atque adeo clemens, ut neque unigenito parceret, ut ingratos servos redimeret. Nec mihi dicas, multa et magna crimina commisi, et quomodo possum salvari? Tu non potes, Dominus tuus potest, et ita delet peccata, ut nec eorum vestigium remaneat. In corporibus quidem hoc non licet: sed quamvis millies elaboret medicus, et vulneri remedia adhibeat, vulnus quidem tollit, cicatrix vero permanet, vulneris circumferens argumentum aspectus deformitatem. Et licet in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem obducere potest. Ipsi namque naturæ imbecillitas obsistit, et artis impotentia, vilitasque medicamentorum. Deus autem cum delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque vestigium remanere permittit, sed cum sanitate pulchritudinem quoque largitur: cum liberatione a pœna etiam justitiam dat, et prævaricatum non prævaricato similem reddit. Si enim vel innumera homo aliquis vulnera habens, pœnitentiam egerit, et boni quidpiam fecerit, ita Deus ea delet, ut neque cicatrix, neque vestigium, neque indicium appareat peccatorum. Sicut igitur in corpore vulnera sunt et medicamenta; itidem in anima sunt peccata et pœnitentia. Et animadverte, quid dicam: vulnus et medicina; peccatum et pœnitentia: vulnus quidem est peccatum, medicina vero pœnitentia: vulnus putredinem habet, medicamentum putredinis purgationem obtinet.

Numquid est putredo in medicamento? numquid in vulnere curatio? Nonne proprium hæc, et proprium illa habent ordinem? Numquid potest hoc in illud, aut illud in hoc transmutari? nequaquam. Veniamus et ad animæ vitia. Peccatum confusionem habet : pœnitentia fiduciam possidet. Sciens itaque Satanas, quod peccatum quidem confusionem habeat, rem scilicet, quæ peccantem satis repellere queat : pœnitentia vero fiduciam contineat, rem idoneam, quæ pœnitentem alliciat; permutavit ordinem, et confusionem pœnitentiæ, fiduciam autem peccato addidit. Et in peccato quidem hominem erubescere non sinit; novit enim, quod, si erubesceret, peccatum fugeret : in pœnitentia vero facit ut erubescat; novit enim quod erubescens pœnitentiam non agat. Quem enim pœnitet malorum quæ gessit[1], licet peccatis condignam non exhibeat pœnitentiam, hujus tamen ipsius habiturus est remunerationem. Qui igitur a vitio nondum occupati sunt[2], hos admoneo, ne capiantur : facilius enim est casum evitare, quam lapsos resurgere. Detentis autem atque confractis, si se continuo pœnitentiæ tradere velint, magnam salutis spem polliceor. Etenim tam bona quam mala, cum diutius nobis adhæserint, potentiora fiunt. Et planta quidem nuper terræ insita, facile revellitur : multo vero tempore radicibus firmata, non itidem. Ædificium quoque recens fundatum, haud difficulter ab infestantibus subvertitur : bene vero firmatum, multa diruere conantibus exhibet negotia. Fera etiam, quibus in locis multo tempore cum delectione est commorata, difficulter inde expellitur. Et quemadmodum febris ab initio aggressa, laborantes non vehementer siti exurit; cum vero invaluerit et flammam extulerit, jam sitim excitat insanabilem; ac si quis ipsis concesserit, ut affatim potu sese impleant, non extinguit,

[1] Ex epist. 2 ad Theod. lapsum. — [2] Ex comm. in epist. ad Cor.

sed accendit fornacem : sic et vitioso affectui contingit. Hunc nisi circa initium in animam nostram se inferentem prohibuerimus, et fores occluserimus, ingressus insanabilem suscipientibus affert morbum. Ut igitur animo degener et segnis[1], licet multum ad pœnitentiam tempus accipiat, magni nihil efficiet, nec, ob torporem, sibi Deum reconciliabit : ita excitatus et animi alacritate fervens, multoque cum studio pœnitentiam ostendens, brevi etiam temporis momento, multi temporis peccata delere poterit. Et qua ratione, audi. Nonne ter Petrus negavit? Nonne vilis ancillæ verba veritus? Quid ergo? multum-ne temporis ad pœnitentiam ei necessarium fuit? Nequaquam : sed eadem nocte et lapsus est, et resurrexit. Post illum namque gravem casum; negationi enim nullum malum est æquale; rursus eum ad priorem reduxit honorem pœnitentia, et Ecclesiæ præsidentiam ei per totum orbem terrarum tradidit; et quod omnibus majus est, ipsum majorem omnibus Apostolis in Dominum charitatem habere nobis monstravit. Quid vero Ninivitæ? Venit ad ipsos propheta, sententiam aperit veluti regalem quamdam epistolam, supplicium continentem, et clamabat dicens : « Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur[2]. » Audierunt illa talia, et non increduli fuerunt, neque contempserunt, sed continuo omnium fit ad jejunium concursus, virorum, mulierum, puerorum; neque brutorum natura a tali immunis fuit ministerio. Ubique saccus, ubique cinis, ubique luctus et lamentationes. Etenim et ipse Rex diademate coronatus, e regali solio descendit, saccum sibi substravit, et cinere se conspersit : et erat rem cernere terribilem atque inusitatam, obscuratam sub sacco purpuram. Quod enim purpurea vestis non valuit, hoc potuit saccus : quod diadema non expe-

[1] Ex hom. in Jonam et Dan. et tres pueros. — [2] Jon. III.

divit, hoc feliciter perfecit cinis. Cogitemus igitur quot quilibet nostrum habeat onera peccatorum[1], et æquivalentes exhibeamus misericordias : imovero et longe plures, ut non modo peccata deleantur, sed ut etiam in justitiam nobis eleemosynæ computentur. Nisi enim tot fuerint bona, ut et crimina exuant, et ex relictis aliquid in justitiam nobis reputetur, nemo nos a supplicio liberabit[2]. Cum enim hominem irritas, amicos rogas et vicinos et janitores, et pecunias impendis, multosque dies consumis accedens et supplicans. Etiamsi semel, aut bis, aut millies te irritatus rejiciat, omnino tamen animum non despondes, sed magis contendere pergens majorem adhibes supplicationem. Cum vero Deus universorum provocatur, nos oscitamus, et supini jacemus et deliciis vacamus : et quando tandem reconciliare ipsum poterimus? quomodo vero eum hoc ipso non magis irritamus? Ad majorem enim indignationem et iram commovetur, cum peccantes non dolent, quam cum peccata admittunt. Neque dicas, nimium peccavi, et Deum indignantem invocare non possum. Nam si judicem illum, qui neque Deum timebat, neque homines verebatur, vidua flectere potuit, multo magis bonum conciliabit assidua deprecatio. Itaque licet amicus non sis, licet indebita poscas, licet paterna bona devoraveris et absumpseris, longoque tempore ab aspectu abfueris, etiamsi succensentem et indignantem adieris, modo redire velis, et universa recipies, iramque et condemnationem statim extingues. Propositum enim Deo est[3], fratres, paciente ac leni in peccatores animo esse. Dupliciter ad salutem misericors est; tum ex pœnitentia ipsis salutem comparans, et ipsorum posteris in virtute profectum facturis beneficium reservans. Et ut denuo sermonem resu-

[1] Ex comm. epist. ad Ephes. — [2] Ex comm. Evang. Matth. — [3] Ex hom. quæ incipit, *Semper quidem divinus Apost.*

mam; Deus longaminitate utitur, ut et peccans pœnitentiam agat, et ne ex eo genitis salutem præcludat. Quamvis enim peccator sine pænitentia delinquere pergat, parcit frequenter radici, ut fructus conservet, frequenter tamen etiam ipsorum expectans salutem. Et quomodo, audi. Thare pater Abrahami idolorum fuit et cultor et factor : sed in hac vita impietatis pœnas non dedit : et merito. Nam si Deus antevertens, radicem præcidisset, unde tantus fidei fructus exortus fuisset? Quid Esaü malignius? Quid illa nequitia impudentius? Nonne fornicator erat, et immundus, ut inquit Paulus? Nonne matricida et parricida? Nonne fratricida, quantum in ipsius fuit proposito? Nonne a Deo fuit odio habitus, ut scriptura testatur, dicens : Jacob dilexi, Esaü vero odio habui? Si ergo fuit fornicator, et fratricida et immundus, et odio habitus, quare non e medio tollitur? quare non exciditur? quare non illico debitum patitur supplicium? Quare? Vere bonum est, fratres, causam dicere. Si succisus fuisset, maximum justitiæ fructum mundus amisisset : et qualem audi : Esaü genuit Raguel, Raguel Zara, Zara Job.

Vides quantus tolerantiæ flos perditus fuisset, si præveniens Deus a radice pœnas exegisset? Nullus igitur in vitio positus desperet[1] : in virtute dormitet nemo. Neque hic confidat; nam frequenter ipsum etiam meretrix antevertit : neque ille desperet; poterit enim etiam primos anteire. Cum enim in vehementem Dei charitatem redierimus, priorum non meminit, non est Deus ut homo. Non enim exprobrat præterita, neque dicit, quare tanto tempore defecisti? cum pœnitentiam agimus : sed gratos habet, quandocumque accesserimus, dummodo, sicut decet, accedamus. Quid enim Manasse pejus? Quid vero beatius Salomone? Attamen ille quidem Deum reconci-

1 Ex comm. in Matth.

liare potuit : hic autem, quia dormitavit, lapsus est. Propterea etiam Esaü veniam consecutus non est[1], quia pœnitentiam, ut oportebat, non egit. Lacrymæ enim non ex pœnitentia erant, sed ex offensione et ira. Etiam Judas pœnitentiam egit : nam se ipsum strangulavit. Si vero perfectam pœnitentiam videre velis, audi Petri pœnitentiam post negationem. Quoniam enim verisimile erat ipsum altum sapere, ut qui sibi conscius esset, quod plus quam alii Christum diligeret, idcirco foras egressus flevit amare. Nec hoc solum, verum et innumeris se post hæc immisit periculis. Pœnitentiam egit et David, ita dicens : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis » meis stratum meum rigabo[2] : » et jam olim commissum peccatum, post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Pœnitentem enim non oportet irasci, nec efferari, sed quasi judicatum conteri, quasi non habentem fiduciam, quasi jam condemnatum, tanquam qui ex sola misericordia salutem consequi debeat, ut visum in benefactorem ingratum, et reprobum, et innumeris dignum suppliciis. Ne igitur scenicus desperet[3], neque præsumat Ecclesiasticus. Nam ad hunc quidem ait Deus : « Qui videtur stare, videat ne cadat : » ad illum autem, « Numquid qui cadit, non resurget? » Ille enim quod habet, custodire debet ; hic vero, fieri, quod non est : ille sanitatem conservare, hic ab ægritudine liberari : laborat enim. Ad illum itaque dicit, « Ecce sanus factus » es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat[4] : » ad hunc vero, « Vis sanus fieri, tolle grabatum tuum et » abi domum tuam[5]. » Licet enim octo et triginta annos habeas, sicut paralyticus ille, si modo sanus fieri studeas, qui prohibeat nemo est : tantum resurgere velis. Ingre-

[1] Ex comm. Epist. ad Hebr. — [2] Psal. VI, 7. — [3] Ex comm. in Evang. Joan. — [4] Joan. V, 14. — [5] Ibid. 8.

diaris modo viam eo tendentem, et velociter progrederis. Ne fores occludas, ne obstruas ingressum. Breve est præsens tempus, exiguus labor: qui etiamsi multus foret, neque ita tamen deficere oporteret. Si enim hunc pulcherrimum pœnitentiæ laborem non subeas, omnino in illo mundo laborabis, et alio modo ærumnas patieris. Si vero et hic et illic labor, quare non hunc eligimus, qui copiosum affert fructum, magnamque retributionem? Nam si nos qui indigni sumus[1], beneficiis Deus afficit, et erga eos, qui peccaverunt, benignus est; si deserta malitia virtutem fuerimus sectati, quæ non assequemur? quibus non fruemur bonis? Mentis enim compotes beneficia potius, quam pœna, ad obediendum mandatis attrahunt. Si igitur etiam priusquam bonum aliquod exhibeamus, imo cum jam ultione digna fecerimus, tanta nos beneficentia Deus dignatus est: si grati simus, et pro jam acceptis beneficiis gratiarum actionem exhibeamus, et in melius faciamus mutationem, quanta rursus nos sua munificentia non dignabitur? Nam si nos[2], offendentes servos, si meliores se fore promiserint, et acceptamus, et pristino restituimus honori, frequenter autem ipsis majorem impertimur libertatem: multo magis Deus in nobis hoc faciet, si æqualem peccatis pœnitentiam exhibeamus. Et hoc ex iis quæ circa beatum Davidem contigerunt, manifestum est. Quoniam enim supplantatus cecidit, in adulterium et cædem lapsus, non mansit deinceps in ruina jacens: sed et denuo surrexit, et contra hostem cum Deo se opposuit: quem et tam generose devicit, ut etiam defunctus ex se progenitos tueretur. Salomoni enim grandem illam iniquitatem auso, milleque digno mortibus facto, propter Davidem Deus ait, se regnum permittere integrum: ita dicens « Disrumpens

[1] Ex Hexaëmero. — [2] Ex epist. 2 ad Theod. lapsum.

» scindam regnum de manu tua, et dabo ipsum servo tuo : » verumtamen in diebus tuis hæc non faciam, propter David patrem tuum ; De manu filii tui tollam illud[1]. » Et vero Ezechiæ de supremis periclitaturo[2], licet justus esset, rursus propter beatum illum se succurrere dixit : « Protegam, inquit, civitatem hanc propter David puerum meum[3]. » Sicut igitur in iis qui suum ostendunt gratum animum[4], propter congruentem sibi bonitatem sententias a se latas Deus revocat, et pœnitentiam agentes admittit, et ab imminente liberat pœna : ita rursum, cum aut bona aliqua daturum se promittit, aut præfinitum pœnitentiæ tempus ; indignos autem factos cernit, et tunc sua revocat promissa. Non enim tam malum est peccare, quam in peccatis permanere. Idcirco etiam Deus præveniens, beneficia in nos confert, et rursum prævaricatores venia dignos efficit, et pœnas statim non infert ; ut per omnia nos ad pœnitentiam attrahat, et per quæ beneficia præstat, et per quæ longanimitatem suam ostendit : frequenter vero etiam per quæ quosdam castigat, ut per omnia correcti, pœnæ effugiant periculum. Multum peccasti[5] ? jam desiste, contraria via revertere, Deo persolve gratias, quod te non in mediis sustulerit peccatis ; noli et alium quærere terminum, ut male opereris. Ne dicas : erit tempus, quando converti oporteat. Multi dum aliena rapuerunt, abrepti sunt, et ad certum abierunt supplicium : time et tu ne idem tibi accidat. At multis, inquies, Deus tempus dedit, ut in extrema senectute confiterentur. Quid ergo, numquid et tibi dabit ? forte dabit, inquis. Quare dicis forte, et aliquando, et frequenter ? Considera quod de anima consilium agites ; contrarium quoque ponas, et cogites, atque dicas : quid vero si non det ? Quid

[1] 3 Reg. XI, 11. — [2] Ex comm. in Genes. — [3] 4 Reg. XIX, 33. — [4] Ex Hexaëmero. — [5] Ex comm. in epist. 2 ad Cor.

vero, inquis, si det? Dedit quidem ipse? verum hoc illo securius est et utilius. Si enim jam inceperis, totum lucratus es, sive accipias tempus, sive non accipias: si vero semper maneas, propter hoc ipsum non accipies. Tu vero ad bellum quidem egressus, non dicis, nil opus est de rebus meis disponere; forte redibo: neque cum de conjugio deliberas, inquis; ducam uxorem pauperem; multi enim etiam sic præter opinionem divites evaserunt: neque cum domicilium extruis, ponam fundamenta cariosa; multæ ita domus constiterunt: de anima vero consilium capiens imbecilliora capessis, ponens illud Forte et Aliquando et Sæpe, incertisque te ipsum rebus committis? Non incerto, inquis, sed Dei clementiæ; Deus enim clemens est; scio et ego: sed hic idem misericors etiam illos, quos dixi, abripuit. Vis cognoscere[1], quam benignus sit Dominus noster? Ascendit publicanus innumeris plenus vitiis, et uno hoc dicto, «Propitius esto mihi[2],» descendit justificatus. Et per prophetam vero inquit Deus, «Propter peccatum » contristavi illum: et vidi quod contristatus sit, et mœs- » tus incesserit, et sanavi vias ipsius.» Quid cum ista clementia conferendum? ut solum tristaretur, peccata dimisit. Nos vero nec ipsum hoc facimus: propter quod etiam maxime Deum irritamus. Qui enim ob exigua quædam propitius factus est, si nec ista assequatur, graviter et indigne fert, extremasque de nobis pœnas sumit: enormis siquidem hoc contemptus est. Quis ob peccata aliquando saltem contristatus fuit? quis ingemuit? quis pectus suum percussit? Nullum esse existimo: sed plurimis quidem diebus homines lamentantur propter defunctos domesticos, propter pecuniarum jacturam; cum vero singulis diebus animam perditum imus, minime ad animum reducimus. Qua igitur ratione Deum placare poteris, quando

[1] Ex Serm. in epist. I ad Cor. — [2] Isai. LVII, 17.

te peccasse ne quidem cognoscis? Certe, inquis, peccavi. Certe mihi lingua dicis: dic mente, et simul cum verbo ingemisce, ut continue gaudio perfundaris. Etenim si propter delicta indoleremus, si ingemisceremus ob iniquitates, nihil præterea nos contristaret, dolore isto omnem animi ægritudinem depellente. Quemadmodum igitur passerem laqueo comprehensum nihil juvant alæ[1], sed frustra et incassum alas concutit: ita nec tibi quidquam cogitationes proderunt, si a mala cupiditate captus fueris. Quod si in hac vita ne in uno quidem dedecus pati nolumus[2], in tot millibus quid ibi faciemus? Non enim a pristinis malis tantum desistere[3], sed etiam meliora ostendere bona, pœnitentia dicitur. Inquit enim: « Declina a malo, » et fac bonum[4]. » Nec enim nobis ad sanitatem satis est, sagittam tantum extraxisse, sed etiam medicamenta vulneri adhibenda sunt. Contingit autem aliquem pœnitentia ductum[5], multa et magna bona facere; interea vero crimen illis recte factis æquale denuo committere. Et hoc maxime in desperationem conjiciat; tanquam iis quæ extructa fuerunt, subversis, frustraque ab ipso elaboratis. Illud vero considerare oportet, et hanc expellere cogitationem: quod nisi prævenientes recte factorum mensuram æqualem peccatis posthæc commissis reposuissemus, nihil nos vehementer et funditus submergi prohibuisset. Nunc vero quasi fortis quidam thorax, acutam et amaram sagittam effectum suum habere non permisit, sed ipse divisus magnum a corpore periculum avertit. Non igitur tam grave est pugnantem vulnerari, sed post acceptam plagam desperare, vulnusque negligere. Nullus mercator semel naufragium passus et mercibus amissis,

[1] Ex hom. in statuas. — [2] Ex epist. 2 ad Cor. — [3] Ex comm. in Evang. secundum Matth. — [4] Psal. xxxvi, 27. — [5] Ex epist. 2 ad Theod. lapsum.

navigare destitit : sed mare ac profunda freta denuo permeat, pristinasque recuperat divitias. Frequenter athletas conspicimus post multos lapsus, coronatos. Jam vero miles quoque non raro, postquam fugit, strenuum sese exhibuit, hostesque devicit. Multi etiam qui christum ob tormentorum metum abnegarunt, denuo certamen inierunt, et martyrii corona redimiti abierunt. Quod si istorum quilibet ex primo vulnere desperasset, nequaquam sequentibus bonis potiti fuissent : quæ adipisci omnibus nobis contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

De Jejunio et Temperantia.

Vis intelligere quantum hominibus ornamentum sit jejunium[1], quanta munitio, quantum præsidium? Considera mihi beatum illud et admirandum genus Monachorum. Hi enim vitæ hujus tumultus fugientes, sursum ad montium cacumina festinantes, compositisque in tranquilla solitudine, velut in tuto portu, tuguriis, jejunium tanquam totius vitæ comitem et consortem, assumpserunt. Idcirco ipsos ex hominibus Angelos effecit : nec illos solum, sed quoscumque in urbibus sui cupidos invenerit, ad idem philosophiæ culmen exaltat. Illud nos ad paternam domum reduxit. Illud etiam qui antehac desidiosi et molles erant, sub maternas manus hodie reduxit. Quod si tantum in vobis studium excitavit, dum expectatur, quantam in vobis pietatem efficiet, ubi advenerit? Si huic voci Adamus obedivisset,

[1] Ex Serm. in Joan. et Dan. et tres pueros.

non illam secundam audivisset dicentem, « Terra es et in » terram reverteris. » Sed quoniam huic obsequi noluit, hinc mors, tristitia, sollicitudines, vitaque omni morte gravior existit. Et quemadmodum per injuriam contempta mortem contemptori attulit : ita vicissim cum honore excepta, pro morte vitam revocavit. Magnam enim illam et admirandam Ninivitarum urbem, quæ humi prostrata, et inclinato ad barathrum capite jacebat, et jamjam desuper imminentem acceptura erat plagam, veluti cœlitus adventans quædam virtus, ex ipsis tortoris manibus eripuit, vitæque restituit. Videamus itaque quomodo Ninivitæ jejunaverint[1], et qua ratione a divina ira liberati sint. Homines, inquit, et jumenta, oves et boves ne pascantur. Quid, quæso, dicis? Etiam bruta animantia jejunant, et equi et muli sacco induuntur? Plane, inquit. Quemadmodum enim divite aliquo homine mortuo, non famulos duntaxat et famulas, sed equos etiam sacco indutos cognati ad sepulcrum sequi jubent; quo videlicet calamitatis magnitudinem indicent, et ad commiserationem omnes permoveant : eadem ratione, cum urbs illa interitura esset, animalia rationis expertia sacco cooperiunt, et inediæ jugo gravant. Brutæ, inquit, animantes ratione cognoscere iram Dei nequeunt; per famem igitur eam discant. Ad quas enim punitionis aliqua pars perventura est, easdem jejunii quoque participes fieri oportet. Quod si forte aliqui ex hoc cætu[2], corporis imbecillitate prohibeantur, quominus jejuni maneant; illos ego moneo, ut et infirmitati corporis solatium quærant, et disciplina hac spirituali se ipsos non privent, sed tanto majus studium et sollicitudinem ostendant. Ea enim de causa a cibis Deus abstinere jubet, ut videlicet carnis lasciviam refrenantes, ad mandatorum Dei perfectam observationem domitam ipsam

[1] Ex hom. in statuas. — [2] Ex hexaëm.

reddamus. Si vero nullum ex jejunio adjumentum nobis ipsis allaturi simus, ob corporis imbecillitatem; et insuper majorem socordiam ostensuri, maximis utique detrimentis afficiemur. Nam cum nihil prosit jejunium, si interim facienda omittamus; multo magis damnum patiemur, si jejunii remedio non valentes uti, segniores nos ad implenda mandata Dei exhibeamus. Ac si illi, qui sæcularia tractant negotia, nunquam munus aliquod capessunt, nisi proveniens ex eo lucrum prospexerint: multo magis conveniens est, ut nos id ipsum factitemus; nec jejunii hebdomadas leviter prætereamus, sed suam quisque conscientiam perscrutemur, et rationem examinemus, videamusque, quid hac quidem hebdomade emendatum sit, et quid illa: quid augmenti in insequentem conceperimus, et quantum in nostris affectibus correxerimus. Nisi enim res hoc modo nostras instituerimus, et tantam propriarum animarum curam egerimus, nihil prorsus emolumenti ex jejunio atque abstinentia, quam sustinemus, consequemur. Quamobrem si ob corporis debilitatem jejunus totam diem permanere nequeas[1], nemo vere prudens te ob id accusare poterit. Mitem enim ac benignum habemus Dominum, et qui nihil, quod vires nostras superet, a nobis requirit. Neque enim simpliciter ciborum abstinentiam ac jejunium a nobis exigit fieri; neque ob id, ut impasti maneamus solum; sed ut nos ipsos a mundanis negotiis avertentes, omne otium spiritualibus rebus impendamus. Quod si sobrio animo vitam nostram perageremus, atque erga res spirituales omnem sollicitudinem ostenderemus; ad cibum quoque capiendum non nisi ut satisfaceremus necessitati, accederemus, et in bonis operibus omnem vitam consumeremus, non magnopere jejunii adjumento nobis opus foret. Sed quoniam mollis at-

[1] Ex hexaem.

que ignava est humana natura[1], et voluptati ac dissolutioni potius dedita; idcirco velut amantissimus quidam parens, jejunii remedium benignus Dominus nobis excogitavit, quo videlicet et voluptatum illecebræ in nobis exciderentur, et curam, quam pro rebus sæcularibus gerimus, ad spiritualium operum exercitationem transferremus. Sed inveniuntur multi homines, qui contra jejunium ceu bestias pugnaturi, ita helluatione sese armant; ac se ipsos discerpentes, sibique caliginem offundentes, magna cum dementia jejunii placido ac sereno aspectui occurrunt. Ac si quidem interrogavero, quam ob causam hodie ad balneum curris? respondes, ut mundo corpore jejunium suscipiam. Etsi rursus quæsiero, quare te inebrias? iterum respondes: quoniam jejunium jam ingressurus sum. Quomodo vero non absurdum est, puro quidem corpore, impuro autem ac temulento animo pulcherrimum jejunium excipere? Assuefaciamus igitur nos tantum comedere[2], quantum ad vitæ conservationem necessarium est; non autem escis distendamur et gravemur. Nec enim ideo facti sumus aut vivimus, ut comedamus et bibamus, sed ut vivere possimus, manducamus. Non enim vita propter alimentum[3], sed alimentum propter vitam a principio factum est: ad necessitatem, fratres, non ad voluptatem vitæ sumptus comparatus est. Abjecto igitur eo, quod naturæ superfluum est, necessarium duntaxat amplectamur. Quid enim mensa illa sanctius esse possit, ubi temulentia quidem et edacitas, omnisque luxuria submota exulat, et loco illius admiranda quædam de divinorum mandatorum custodia contentio introducta est? et vir quidem uxorem observat, ne in perjurii barathrum incidat: custodit autem

[1] Ex hom. in Prophet. Jonam, et Dan. et très pueros. — [2] Ex hom. 1 in Divitem et Lazarum. — [3] Ex hom. in illud. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias.

virum uxor : et mulcta gravissima transgressori constituitur : ubi præterea nec herum a famulis reprehendi pudet ; nec dominum domesticos corrigere piget ? Ejusmodi domum si quis Ecclesiam diceret, nihil a vero aberraret. Ubi enim tanta sobrietas viget[1], ut pro divinis legibus in tempore solliciti sint, atque omnes præsentes de hoc inter se certent et contendant; ibi omnem diaboli malignam potestatem propulsaram, Christum vero in tam præclara suorum servorum contentione præsentem adesse, manifestum est. Sed magna, inquit, peccato conjuncta est voluptas; virtuti autem labor et sudor non exiguus. Et quæ tibi, quæso, gratia habebitur, aut unde mercedem accipies, si res cum labore conjuncta non fuerit? Etenim non paucos ostendere possum, qui feminis commisceri naturaliter horrent : hos igitur castos appellabimus, aut coronis dignos censebimus? Neutiquam. Castitas enim continentia quædam est[2], et cum impugnantes voluptates superamus. Sæpe enim perturbationum fluctus, marinis æstibus immaniores, mentem nostram obruunt, atque ingentem ei inferunt confusionem. Sed qui ignavus est et negligens, continuo ingruente tempestate tumultuatur, consternatur, turbatur, submersam ab affectionibus animam et naufragium patientem circumspectat : fortis autem et animosus tanquam rectore navis in gubernaculis, ita ratione supra affectiones constituta, non ante omnia tentare desistit, quam naviculam ad tranquillum philosophiæ portum direxerit. Nec porro feminarum conversationibus robur nostrum molliri[3], nervosque infringi patiamur : grandis enim ex ea re, et ineffabilis in nostros animos irrepit malitia. Et quid quod amore ebrii eam non animadvertamus? Etenim vel hoc

[1] Ex comm. in Evang. secundum Joan. — [2] Ex serm. quam sit utile Prophetias de Christo et gentibus, et Judæorum ruina obscuras esse. — [3] Ex serm. de introductis virginibus.

ipsum omnium est gravissimum, quod ne intelligamus quidem, nos adeo enervari et cera ipsa molliores evadere. Quemadmodum enim aliquis leonem superbum et terribilem comprehensum, pilis ipsius detonsis, dentibus evulsis, et unguibus rescissis, turpem et deridiculum reddit, et pueris superatu facilem, qui ante formidabilis atque intolerabilis erat, soloque rugitu omnia concutiebat; eadem ratione etiam feminæ, quoscumque ceperint, diabolo obsequentes et captu faciles reddunt; molliores, magis præcipites, impudentes, vesanos, iracundos, temerarios, importunos, ignavos, crudeles, servili ingenio, illiberales, improbos, garrulos: et, ut summatim dicam, quoslibet muliebres et pravos affectus ipsorum mentibus imprimunt. Fieri igitur non potest, ejusmodi cum tanta affectionum similitudine feminis cohabitantem, et in earum conversatione viventem, non circulatorem aliquem aut futilem hominem esse. Si enim locutus aliquid fuerit, totum de tela et lana erit, lingua jam simili muliebrium sermonum colore infecta. Si vero quid agat, plane servili modo id facit, longe a Christiana libertate se ipsum abducens, atque ad res magnas gerendas factus inutilis. Si igitur planum nobis facere velis[1], quod scurrilia loqui minime gaudeas; eadem audire etiam ne sustineas. Jam vero quando tandem labores pro continentia ferre poteris, si risu verbisque obscœnis paulatim diffluas? Bene enim nobiscum agi putandum est, si pura ab omnibus istis anima, religiosa sit et casta. Nec mihi quisquam dicat: Salvari non possum, nisi dimittam uxorem[2], nisi dimittam liberos, nisi dimittam occupationes. Numquid enim conjugium tibi impedimento est? Adjutrix tibi data est mulier. Numquid matrimonium inimicum aut malum? At potius malum quoddam est fornicatio. Ego meo periculo spon-

[1] Ex comm. in Matth. — [2] Ex hom. in Ozium.

deo tibi salutem. Quod si improba sit uxor, ne hoc in excusationem adducas : siquidem et ipsius Job uxor maligna erat et perversa, eique ut Deum blasphemaret, suadebat. Quid igitur? num turrim illam concussit? num adamantem illum subegit? petram-ne illam superavit? Nequaquam; sed illa quidem incussit, turris autem firmior facta est : fructus quidem decerptus est, sed arbor non concussa : folia deciderunt, et radix immota permansit. Quemadmodum ergo rector navis, qui in portu naufragium faceret[1], nullam veniam consequeretur : ita etiam homo qui ex conjugio cautelam obtinuit, si aliena violet matrimonia, aut aliam quamlibet feminam curiose aspiciat, neque apud homines, neque apud Deum ullam habere poterit veniam, etiamsi millies naturæ cupiditatem prætendat. Quæ enim ex ejusmodi libidine voluptas oriri possit, si timor adsit, si sollicitudo et periculum, si carcerum et suppliciorum metus, si judicis ira et gladius, et infernus et exitium cogitetur? Enimvero homo talis etiam umbras et parietes, ipsosque lapides tanquam vocem emittentes, ita suspectos habet et veretur; omnia, inquam, timet et formidat, tantorumque malorum expectatione in animo mordetur. Non igitur impedimentum est conjugium, sed custodia potius est continentiæ. Ejusmodi enim res est virginitas[2], tantoque opus habet labore, ut cum e cœlo Christus ex hominibus Angelos facturus venisset, ut hic supernam civitatem plantaret, ne tunc quidem eam præcipere sit ausus, aut inter leges referre : sed mortem quidem; qua quid gravius esse possit? pro se oppetere, crucem quoque continue ferre, et inimicis benefacere jussit : virginitatem autem servare nequaquam lege sancivit, sed in auditorum libera voluntate manere reliquit, dicens : « Qui potest capere, capiat[3]. » Enim vero magna hujus rei est dignitas,

[1] Ex hom. 3 in Oziam. — [2] Ex epist. 2 ad Olymp. — [3] Matth. XIX, 12.

et admodum occultus iste virtutis ager. Atque hoc etiam illi manifestum faciunt, qui in veteri testamento multa alioqui præclara gesserunt. Magnus enim ille Moyses caput illud prophetarum, familiaris Deo amicus, qui tanta usus est dicendi libertate, ut sexaginta hominum millia, qui culpabiles erant, punitioni et divinitus immissæ plagæ subtraheret; ille talis tantusque vir, mari quidem præcepit, et pelagus divisit, et saxa dirupit et aërem mutavit; qui Nili aquas in sanguinem convertit, et omnem creaturam transformavit, aliaque decem millia admiranda, et multa virtutis opera monstravit : ad hæc vero certamina ne oculos quidem intendere potuit, sed conjugio ejusque præsidio opus habuit : nec ausus est in virginitatis pelagus sese dare, ejusdem fluctus reveritus. Et patriarcha, ille filii sacerdos, crudelissimum illum in naturam affectum superare valuit, filiumque occidere potuit, et puerum Isaac in ipso ætatis flore, in ipso adolescentiæ vigore, unigenitum, legitimum, et præter omnem expectationem sibi datum, eumque in montem educere potuit, gladium arripuit, et per jugulum adegit et cruentavit : sed tamen qui tale et tantum facinus perficere potuit, ut naturæ excederet limites, ad virginitatis certamina se accingere non est ausus; sed et ipse isthæc certamina timuit, et connubii solamen amplexus est. Job etiam vir justus[1], qui diaboli faciem contudit, qui dum feritur, non ferit : qui omnia tentationum genera sustinuit, et harum singula cum quadam exuperantia; quæcumque enim acerba esse videntur et sunt, ea omnia in unum ipsius corpus effusa, atque in ejusdem animam inspersa sunt; ille igitur cum talis et tantus vir esset, qui tot naturæ tormenta proculcavit, ille idem inquam non est ausus in hanc pugnam sese dimittere : sed et conjuge usus est, et tot liberorum factus pa-

[1] In illud, *Sive occasione*, etc.

rens. Nequaquam enim cœlibatum lege jussit Deus : Quem decet gloria et honor, et adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V

De prosperitate et de adversitate.

Vulgus hominum, cum divitiis abundant[1], cum celebres sunt, cum pro voto omnia ipsis affluunt, cum hostes sibi subjecerunt, tum Deum ipsorum meminisse arbitrantur; ideoque ignorant quando Deus ipsorum obliviscitur. Qui enim memoriæ signum non noverunt, oblivionis quoque signum nesciunt. Memoriam quippe nihil ita apud Deum parit, ut virtutis studium; sicut e converso oblivionem nihil ita attrahit, ut in peccatis esse. Et tu ergo, homo, cum in calamitatibus versaris, ne dixeris, Deus oblitus est mei; sed tunc magis cum in peccatis versaris, omnia tibi prospere succedunt. Anima quippe sobria et vigilans[2], non solum quando res prospere succedunt; verum etiam cum contraria quædam rerum vicissitudo accidit, parem gratiarum actionem exhibet, nec per rerum mutationem vel mollior vel remissior efficitur. Sicut enim abundantium aquarum cursus, ubi affluentem aquam susceperit, bullas excitat, quarum aliæ simul atque enatæ sunt, rumpuntur; aliæ vero plus intumescentes, postea et ipsæ evanescunt; ita et hujus vitæ pelagus alios tantillum insurgentes obruit; alios vero diutius superstites, tandem submergit. Et quid turbaris[3], inquit, si hic ejectus, ille

[1] Ex interp. Psal. 12. — [2] Ex Hexaëmero. — [3] Ex Epist. 1 ad Olymp,

introductus est? Christus crucifigebatur[1], et Barrabas latro expetebatur, præferebaturque homicida Servatori. Cum enim in deterius res aliquando mutantur, tunc adulatorum larvæ mutantur; tunc simulantium chorus deprehenditur, et rei simulatio. Omnium ora aperiuntur dicentium, execrande, improbe, perversissime: nonne hesterna die adulabaris? nonne manus ejus osculabaris? Larvæ erant illa: venit tempus, et larvam abjeci, mentemque aperui. Multi etiam improspere agentibus condolent amicis[2]; bene rem agentibus non collætantur[3]. Illud enim, Gaudere cum gaudentibus, non modicum est recte factum; imo multo majus est quam flere cum flentibus, et patrocinari iis qui in periculis sunt. Multi enim cum periclitantibus periculum subiere, sed cum bene rem agentibus non collætati sunt; imo etiam ægre tulerunt: atque ita cum graviora sustinuissent, in levioribus defecerunt. Nihil enim ita iniquos insanosque homines reddit[4], ut cum ad multorum gloriam inhiant; et nihil ita claros et adamantinos efficit, ut cum illam despiciunt. Quamobrem admodum virili et forti opus est animo, ut tanto venti impetui resistatur. Nam cum prospere agit, sese aliis omnibus præfert; cum autem contraria patitur, sese defodere optat, ita nempe a mœrore submergitur. At tres pueri in fornacem conjecti, neque sic pietatis obliti sunt. Ideoque ignis instar muri factus est illis, et flamma quasi vestis, et quasi fons ipsa fornax: quæ postquam vinctos susceperat, solutos reddidit. Accepit mortalia corpora, et quasi ab immortalibus abstinuit. Naturam non novit, sed pietatem reverita est. Ligavit pedes tyrannus, ligarunt ipsi pedes, nempe vim ignis. O novum et inauditum miraculum! Vinctos solvit flamma, ac deinceps ipsa a vinctis ligata est. Mutavit enim

[1] Ex eadem. — [2] Ex Int. ep. 1 ad Cor. — [3] Ex eodem. — [4] Ex Int. in Evang. Matth. — [5] Ex orat. in statuas.

rerum naturam adolescentium pietas; imovero non naturam mutavit; sed, quod longe mirabilius erat, manente natura, vim cohibuit. Non enim ignem extinxit, sed ardentem sine effectu reddidit. Et quod plane mirum inexpectatumque est, non corporibus sanctorum tantum, sed etiam vestibus pepercit. Ac sicut Pauli et Apostolorum vestes, morbos dæmonesque pellebant, et umbra Petri mortem fugabat; ita et hic puerorum calcei vim ignis extinxere. Quomodo hæc verbis efferam nescio: miraculum enim verba omnia exuperat? Nam vis ignis extinguebatur et non extinguebatur: nam cum corpora sanctorum attingebat, extinguebatur; et cum vincula rumpereo portebat, non extinguebatur. Vincula ergo dirupit, et talos non attigit. Vides-ne quanta vicinia? nec deceptus est ignis, neque ulterius quam vincula grassari ausus est. Cur autem vinxit illos in fornacem injecturus? Ut majus miraculum fieret; ut signum splendidius esset; ut ne putares, oculorum illusionem esse ea quæ videbantur. Si enim ignis ille non fuisset ignis, non vincula absumpsisset, non foris sedentes corripuisset. Jam vero in iis qui foris erant vim suam ostendit; iis vero qui intus erant obsequium suum monstravit. Et ut vidit tyrannus pueros nihil esse passos, audi quomodo mutatus fuerit. « Servi Dei Altissimi, » inquit, egredimini, adesse[1]. » Nonne paulo ante dicebat: « Et quis est Deus, qui de manibus meis vos possit eri» pere[2]? » Quid factum est; unde ista mutatio? Foris enectos cernis, et eos, qui intra sunt, evocas? Unde inductus es ut talia philosopheris. Vides-ne quantopere rex immutatus sit? Ideo Deus omnia evenire permisit, quæ tyrannus voluit, ut ostenderet, neminem eos lædere posse, quos ipse custodiat. Etenim in Job quoque id ipsum præstitit. Permisit diabolo ut totam suam potestatem ostenderet.

[1] Dan. III, 93. — [2] Ibid. 15.

Et postquam omnia tela sua exhauserat, neque illius insidiarum modus relictus fuerat, tum e certamine athletam eduxit, ut splendida et indubitata victoria esset. Sed etiam beatus Paulus, qui totum orbem illuminavit, in tempore vocationis suæ excæcatus est; sed excæcatio ejus, orbis illuminatio fuit. Quia enim male viderat, bene excæcavit illum Deus, quo utiliter visum reciperet. Et quia admodum persequebatur Ecclesiam, et ita vehemens inaccessusque erat, validius frenum recipit; ut ne impetu affectus illius abductus, dictis non obsequens esset; utque disceret contra quem bellum gereret, quem nec punientem modo, neque etiam beneficiis afficientem ferre posset. Neque enim tenebræ ipsum excæcarunt[1]; sed lucis superabundantia ipsum obtenebravit. Quid vero Petrus? Ingressus[2], inquit, Jesus in unam navicularum Simonis, rogavit eum paulum a terra discedere. Vides-ne quomodo intret in naviculam is qui navicula opus non habebat, ut naviculæ dominum lucraretur. Cur enim Simonem rogat Dominus? Cur Simon cum per totam noctem laborasset ac nihil cepisset[3], re infecta manebat? Sed ægre ferebat, vacuis manibus, lavans retia et laborem labori addens; et cum nihil proficere posset, mœstus erat. Ideo Dominus, videns illum ægre ferentem, dixit illi: Ad breve tempus mihi commoda naviculam tuam, o nauta, ut ingressus, doceam turbam illam, quam vides, me sequentem! Simon autem adhuc in mœstitia demersus, ut votum non assecutus, dicit Domino: Unde venis, o homo? cur mihi molestus es? Aliam circumspice naviculam, si velis in stagno versari. Vides me lugentem, quod panis mihi non suppetat, et verbum Dei te suppeditaturum polliceris? Non video unde pecuniam mutuo sumam, ut socrum et uxorem alam, et tibi

[1] Ex serm. in stagnum Genesaret, et in Petrum. — [2] Luc. v, 3. — [3] *Græculi nugæ.*

naviculam substernam, ut interdiu perinde atque noctu frustra laborem? Si naulum affers, intra in naviculam meam; si non affers, abscede, rogo: me namque donum, non verbum, alet. Dominus infit: Ne ægre feras, Simon, vere ut nauta loqueris, ne damno tibi fore adventum meum putes; sed abundantiam potius, quam indigentiam allaturum. His auditis Simon, et spe mercedis tantillum vultu exhilaratus, in naviculam Dominum recipit. Jesus autem sedens, inquit, ex navicula docebat turbas. Id audiens Simon, obmurmurare cœpit, et intra se dicere, an ab hoc me mercedem accepturum sperem? in nocturnum damnum incidi, et quis mihi occurrit hodie? Hic de paupertate loquitur, dicit neminem debere aliquid possidere: num vult ut naviculam meam vendam, ut pretium pauperibus distribuam? an ab hoc mercedem expectem? Deinde ad Dominum accedens dixit: verba tua pulchra sunt, vox tua suavis, doctrina honoranda; attamen quod constitutum est imple. Tunc Dominus ad Simonem: Mercedem a me accipere quæris; adduc in altum, et laxate retia ad capturam. Respondet Simon: Rursum-ne piscabor, laxabo retia, laboremque suscipiam? Utinam nec noctem vacuis manibus attigissem. An tu peritior in hac naviculari arte es? an aliquid possides in profundo maris? Potes esse doctor; num etiam piscium captor es? Exi a me: video enim te nihil afferre. Cur tempus teram? Annon hæc initio tibi testificatus sum? Tunc Dominus Simoni: Ne me ut egenum intuearis, Simon: ne manus et sinum meum consideres: non in manibus, sed in ore meo mercedem fero. Adduc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Ille vero reponit: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo retia. Et cum hoc fecissent, concluserunt magnam piscium multitudinem: rumpebantur autem retia ipsorum. O res stu-

pendas! Non deest Petro sollicitudo. Rumpebatur rete, Christum contemplabatur, pisces cogitabat, et miraculum perpendebat. Non poterat pondus extrahere, et adjutores evocavit. Concurrentes enim, inquit, qui in alia navicula erant, ubi erant Jacobus et Joannes, cœperunt pisces colligere, et quantum colligebant, tantum multiplicabantur. Festinabant enim pisces, quis prior Domini præcepto ministraret. Parvi magnis præsiliebant, qui mediæ magnitudinis erant majores præveniebant, majores altius quam parvi saltabant. Non expectabant piscatorum manus; sed se ipsos in naviculam conjiciebant. Fundum stagni evacuabatur. Nullus piscis in ima parte manere sustinebat. Sed ruptis retibus, alii in naviculam se conjiciebant, alii extra retia manebant hiantes ut caperentur, et procul istis manere non sustinebant. Quid ergo Simon? Qui in duo negotia inciderat, qui per noctem laboraverat et nihil ceperat, qui interdiu in verbo Jesu omnia ceperat; ut hæc vidit, procubuit ante Dominum dicens, Abscede a me, Domine, quia vir peccator sum. Novi demum quinam sis. Nunquam tantam vidi piscium capturam. Solent enim, Domine, pisces intra sagenam includi; contrarium nunc video patratum miraculum: foris pisces sagenam tenent. Reprime demum divinum mandatum tuum. Relinque stagno saltem pisces duos ad propagationem. Abscede a me, Domine: non te depello, sed me ipsum miserum prædico; abscede a me, quia vir peccator sum. Quid ergo Jesus? Ne timeas, Petre, ab hinc homines eris capiens. O Domini virtutem! O Petri prudentiam! Solum audivit, et statim obedivit. Non pisces vendidit, non uxori commisit; sed navicula in terram ducta, relictis omnibus secutus est eum. Ideo quoque Lazarum[1], qui in sinu Abrahæ erat, videbat dives; ut sicut illi graviorem id efficiebat crucia-

[1] Ex serm. in divitem et Lazarum.

tum, quod in atrio divitis sederet, et aliena videret bona; ita et diviti id gravius ipsa gehenna parit supplicium, quod Lazari voluptatem videat; ut non solum ex cruciatuum natura, sed etiam ex comparatione honoris illius, intolerabiliori supplicio plecteretur. Et sicut ex paradiso Adamum ejiciens Deus, e regione paradisi illum collocavit, ut frequens aspectus affectum renovans, majorem amissorum bonorum pareret sensum; ita etiam hunc ex adverso Lazari constituit, ut cognosceret quibus bonis se ipsum privasset. Et quare non ad Lazarum, sed ad Abrahamum dives preces fudit? Pudebat nempe illum et erubescebat, et ut ille affici solebat ita illum æstimans, putabat illum esse omnino injuriæ memorem. Si enim ego, inquiebat, qui tanta fruebar rerum copia, nulla affectus injuria, despiciebam hominem tot malis obrutum, nec micas ipsi impertiebam; quanto magis ille ita contemptus, a gratia mihi conferenda alienus erit. Et Abrahamum vocavit, quem illa ignorare putabat, nescius quod Patriarcha ea quæ dicebat non ex se proferret; sed leges ipsi divinas legeret. Et digitum requirebat illum, quem linguis canum frequenter objici passus erat. Sed vide Abrahami benignitatem. Non dixit: Inhumane, crudelis, sceleste, cum in tantis malis reliqueris hominem, humanitatem nunc et misericordiam et veniam memoras? non te pudet, non erubescis? Nihil horum dixit; sed quid? Fili, recepisti bona tua. Animam enim humiliatam ne amplius conturbes[1], inquit: sufficit illi hoc supplicium, ne insultemus ejus calamitatibus: quod in mea est potestate, inquit, hoc tibi do: hinc vero istuc migrare non est nostrum. Audiamus quid dicat dives Abrahamo: «Pater Abraham[2], miserere mei, »et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in »aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac

[1] Luc. XVI, 25. — [2] Ex Serm. in statuas.

» flamma[1]. » Cur ergo preces non emittit ad Lazarum, sed ad Patriarcham? jure certe. Neque enim pauperem illum vel respicere quidem audebat; inhumanitatem enim et feritatem erga illum suam in mentem revocans, suspicabatur ipsum ne responsione quidem se dignaturum esse; ideo non illi, sed Patriarchæ supplicat. Attamen neque ita quid amplius lucratus est. Vides-ne quanto ille fruatur honore et dignitate[2], qui ad ostium sedebat, despectus, pauper, cum fame perpetuo pugnans, ulceribus obsessus, canibus objectus? Libenter enim ea frequenter verso, ut nemo eorum qui in egestate, in morbis, in fame versantur, se ipsum ut miserum despiciat: sed cum patientia et gratiarum actione omnia ferens, jam bona spe alatur, ineffabiles illas expectans retributiones, laborumque mercedes, quas nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quem decet gloria, imperium, honor et adoratio cum Patre et sancto Spiritu nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

De doctrina et correptione.

Nuper quidem contra eos agebamus[3], qui oratione deserta, per illud tempus extra Ecclesiam versantur. Jam vero cum iis expostulaturus sum, qui in Ecclesia sunt; non quia intra eam manent, sed quia manentes nihilo melius sese habent, quam qui foris commorantur; dum nimirum tremendo illo tempore inter se confabulantes, divinos

[1] Luc. xvi, 24. — [2] Ex iisdem. — [3] Ex hom. 4 de incomprehensib.

sermones contemnunt. Quid facis, o homo? vides-ne tot de fratribus tuis captivos hic prope astantes? scelesta enim et immanis catena est dæmonum exagitatio, omnique ferro gravior; et tu de rebus inconvenientibus interim colloquia misces? Annon aspectus solus sufficiebat, ut te timore percelleret, atque ad condolendum aliis permoveret? En frater tuus in carcere est, et tu in socordia. Quam tandem, obsecro te, veniam habebis, qui adeo sine affectu es, adeo inhumanus, adeo crudelis : fratri tuo condolere non vis? at tibi ipsi saltem metuas et exurgas. Non times, ne forte dum aliis colloqueris, dum otio et desidia langues, dum securus agis, dæmon aliquis inde prosiliens, anima tua otiosa et scopis purgata inventa, magna cum securitate domum tuam sine ostio repertam invadat? Nonne universos homines in communi fontes lacrymarum illo tempore emittere oportebat, ac madidos vultus, omniumque fletum apparere, et gemitus fieri circa Ecclesiam universam? Post participationem mysteriorum, post usum lavacri, post conjunctionem cum Christo factam, lupus ille ex grege agnos rapere, et in sua potestate retinere potuit; ac tu tam grande malum cernens non lacrymaris? quomodo ista excusatione sunt digna? Si vicini tui ædes incendio correptas videres[1], etiamsi omnium mortalium tibi infestissimus esset, dic, quæso, annon ad incendium restinguendum accurreres, metuens ne paulatim progressa flamma, etiam tua vestibula apprehendat? Idem ergo tuis quoque fratribus misere a dæmonibus exagitatis facito. Rogus enim quidam est et immane incendium dæmonum vis. Observa porro animam tuam, ne dæmon progrediens eam occupet; ac si præsentem cernas, magno studio ad Dominum confugito, ut dæmon videns ardentem et excitatum animum tuum, inaccessam sibi deinceps

[1] Ex eadem.

mentem tuam existimet. Si enim oscitantem et otio diffluentem, ac veluti desertum hospitium conspiciat, subito invadet. Si vero paratum te, alacrem et velut e cœlis pendentem videat, ne intueri quidem te in posterum audebit. Quamvis igitur fratres tuos despicias, at tibi saltem parcas, et improbo dæmoni accessum ad animam tuam obstruas. Nihil enim viam ad nos intercludere illi solet, sicut oratio et prolixa precatio. Si vero intelligere velis[1], quantum bonum sit, una cum propria salute etiam alios homines Deo lucrifacere posse, audi Prophetam in persona Dei dicentem: « Qui separat, inquit, pretiosum a vili, » tanquam os meum erit[2]. » Quod autem dicit, hunc sensum habet: Qui ab errore ad veritatem proximum velut manu ducit; aut a peccato ad virtutem, quantum homo valet, viam ei monstrat, ille me imitatur. Si enim ipse, cum Deus esset et ineffabilis illius essentiæ particeps, crucem sibi amplexus, et alia omnia humana propter nos et salutem nostram sustinuerit; quid nos non tenemur præstare iis, qui eamdem nobiscum naturam habent, et membra nostra sunt, quo eosdem e faucibus diaboli eripere, et ad virtutis iter traducere valeamus? Si enim in sensilibus epulis ita res habeat[3], ut homines familiaribus suis et amicis aliquid asservantes, maximum id charitatis indicium exhibeant: multo magis eximiam nobis laudem pariet, si in spiritualibus id præstemus. Etenim si quis proximum suum docere studeat, non tam benigne illum afficit, quam ampliorem sibi retributionem procurat, et duplex lucrum consequitur: quia videlicet majorem a Deo remunerationem obtinet, et præterea conando erudire fratrem, a se dictorum reminiscitur, memoriamque renovat. Si enim quis posita filii aut amici aut cognati inanimi

[1] Ex comm. in hexaëm. — [2] Jerem. xv, 19. — [3] Ex hom. in statuas.

statua[1], præsentem esse putet, ac per mortuam illam effigiem sibi imaginetur eum, qui jam pridem abiit : multo magis nos per divinas scripturas Sanctorum præsentia fruimur, habentes, non corporum quidem, sed animorum ipsorum imagines expressas : siquidem dicta ipsorum imagines quædam sunt eorumdem animorum. Quemadmodum igitur medici infirmos lectulis affixos non cogunt domum suam apportari[2], sed ipsimet, ut illorum morbis medeantur, ad illos currunt; ita tu quoque pro viribus labora, atque omnem diligentiam et curam adhibe, ut fratres animo ægrotantes liberare possis, memor, admodum brevem esse hanc præsentem vitam. Quod si ista lucra non consectemur, nulla in altero sæculo nobis speranda restat salus. Sæpe una anima lucrifacta innumerorum acervum peccatorum tollere valet, et in illo die novum esse piaculum. Si enim Tabitha illa quæ viduas vestivit[3], earumque inopiam sublevavit, a morte ad vitam denuo rediit, earumque quibus ipsa misericordiam impertiverat lacrymæ, animam defunctæ ad corpus reduxerunt, cum mortuorum resurrectio nondum apparuisset[4] : quid hominum opera tua conservatorum lacrymæ efficere non possint? Sicut enim istam viduæ circumsistantes a morte ad vitam revocarunt : ita te quoque circumsistentes qui hic servati fuerint, efficient, ut magnam experiaris humanitatem, teque ab inferni flammis eripient. Nam si pro pecuniarum sumptibus et largitionibus tot coronæ, tanta merces, tanta fiat retributio : quomodo non plurima bona pro allato animabus auxilio, nobis reddentur? Nemo recte suum commodum quærere potest, absque proximi sui salute. Siquidem Paulus, inquit, Nemo quod suum est, quærat, sed singuli quæ sunt alterius ; probe sciens ,

[1] Ex hom. in statuas. — [2] Ex hom. 6 contra Judæos. — [3] Act. IX, 39. — [4] Ex hom. 5 contra Judæos.

quod proprium cujusque emolumentum in proximi utilitate contineatur. Sicut enim qui injuriam aliis inferunt, et aliena diripiunt; ubi istuc abiverint, et eos qui talia sunt passi, conspexerint; omnino enim videbunt eos, ut ex historia de divite et Lazaro manifestum est; nec os aperire, nec verbulum efferre et sese defendere poterunt, sed ingenti pudore et desperatione pleni ex illorum conspectu ad supplicia abibunt: sic qui alios erudiunt et admonent, ubi illos viderint, qui illorum opera servati sunt, sibi in altero sæculo patronos esse, magna fiducia replebuntur. Nec mihi quisquam dicat; quid mihi cum illo est negotii[1]? peregrinus est et ignotus. Quamdiu enim fidelis fuerit, et eorumdem tecum mysteriorum particeps, atque ad eamdem tecum Ecclesiam convenerit, omnibus et fratribus et cognatis tibi conjunctior est. Ut enim non qui furantur solum, sed etiam qui, cum possint, non impediunt, easdem pœnas dant: ita etiam non solum impii, sed etiam qui ab impietate eos abducere possunt, id tamen facere renuunt, idem omnino cum ipsis supplicium luent. Quilibet igitur ex vobis unum aliquem fratrem recuperet, diligenter adlaboret, anxius et sollicitus sit, ut ad crastinam congregationem magna cum fiducia, munera Deo offerentes conveniamus, munera, inquam, omnibus pretiosiora, animas nimirum eorum reducentes, qui in errore versati sunt. Etiamsi injuriam ferre oporteat, etiamsi vulnera accipere, etiamsi aliud quidlibet sustinere necesse sit, omnia tamen faciamus, ut recuperare tandem illos possimus. Nam etiam illi qui adversa valetudine afflictantur, non raro calcitrare et contumelias dicere solent: sustinemus nihilominus ista, nec ejusmodi conviciis movemur, unum duntaxat in optatis habentes, ut nimirum hominis ita indecore se gerentis sanitatem videamus. Quo-

[1] Ex hom, 2 contra Judæos.

modo igitur non absurdum fuerit, eos qui corporis incolumitati prospiciunt, tantum adhibere studium et diligentiam: tot vero animabus misere pereuntibus, ignavum esse; et nihil gravius nobis contingere existimare, dum membra nostra computrescunt? Quid agis[1], o homo? Vides-ne, dic mihi, fratrem tuum ad præcipitium ferri, suæque curam abjecisse salutis, et quid faciendum sit non intelligere, ei tamen manum non porrigis? non incusas, non arguis, sed mavis ipsum non offendere aut molestus videri, quam salutem ejusdem procurare? Et quam apud Deum veniam aut excusationem es habiturus? Non audivisti, quid olim Judæis præceperit Deus? ut jumenta videlicet inimicorum suorum errantia non negligerent; nec si cecidissent, præterirent. Ergo-ne Judæis quidem præcipitur ne inimicorum ut jumenta negligant; nos vero fratrum animas quotidie supplantatas despiciemus? Et quomodo non extremæ crudelitatis et feritatis fuerit, ne tantam quidem curam nos impendere hominibus, quantam illi bestiis? nimirum una hæc res omnia evertit, hæc vitam nostram perturbavit, quod neque cum corripimur, fortiter feramus, neque corripere ipsi alios velimus. Idcirco, et molesti aliis sumus, cum reprehendimus; quoniam cum ab illis reprehendimur, exasperamur. Si namque vidisset frater tuus se a te laudari, cum te reprehenderet, ipse quoque eamdem tibi pro reprehensione gratiam referret. Fratrem corrigere desideras[2]? lacrymas profunde, preces deo offer, seorsim illum acceptum admone, consilium da, obsecra, charitatem tuam erga lapsum ostende: persuadeas illi, te non ostentandi et insultandi libidine, sed cura quadam et sollicitudine commotum de errore ipsum commonefacere: amplectere pedes ipsius; ne eru-

[1] Ex Serm. quod utile sit ferre reprehens. — [2] Ex hom. in statuas.

bescas, si quidem revera ipsi medicinam afferre velis. Hæc enim etiam medici frequenter faciunt, dum ægrotos morosos deosculantur, et rogantes eis persuadere conantur, ne salutarem medicinam repudient. Quamvis mortem subire pro correctione fratris necesse esset; nihil tamen reformides: martyrium tibi hoc est: siquidem et Joannes martyr erat; et quidem nec sacrificare idolis, nec eadem adorare jussus est, sed pro sacris legibus, quas violari cernebat, caput suum deposuit. Tu igitur similiter usque ad mortem pro veritate decerta, et Dominus pro te pugnabit. Sufficit homo unus zelo inflammatus, ad universum populum corrigendum. Et ne mihi aliquis dicat, Nihil mihi cum fratre commercii est; cum solo diabolo nihil commercii habemus, cum hominibus vero multa habemus communia. Nam ejusdem nobiscum naturæ sunt participes, eamdem terram incolunt, iisdem alimentis nutriuntur, eumdem habent Dominum, easdem leges acceperunt. Ne igitur ista dixerimus, sed quam par est, pro fratribus nostris sollicitudinem ostendamus. Quomodo enim non absurdum est, nos quidem, si pugnam forte in platea ortam videamus, accedere et pugnantes inter se reconciliare; et quid dico pugnam? si vel asinum lapsum conspiciamus, cuncti manus porrigimus, eumque elevare contendimus: fratrum vero pereuntium nullam rationem habere, quomodo id non nefarium est? Noli igitur desistere, fratrem, quem ad exitium ruere cernis, cohortari[1]; etiamsi convicia in te jaciat, etiamsi contumeliis te afficiat, etiamsi inimicum se fore tibi comminetur, etiamsi quidvis aliud intentet; omnia constanti animo perferas, quo salutem ipsius lucrifacias. Si hic tibi inimicus fiat, Deus amicus tuus erit, et amplis in illa die bonis te remunerabitur. Magnum quidem bonum est, inopia presso-

[1] Ex hom. 2 contra Judæos.

rum misereri, sed nihil tale tamen, quale est ab errore alios avocare: Nihil enim cum anima conferendum, ne mundus quidem universus. Quamvis igitur immensam pecuniæ vim pauperibus elargiaris, nihil tamen tale præstabis, quale si vel unam animam convertas. Qui enim istud facit, Paulum imitatur et Petrum, non pericula quidem, sicut illi, subeundo, famem item et pestem atque alia incommoda perferendo; tempus enim jam pacis est; sed alacris ad omnia et prompti animi signa ostendendo. Et quid dico Petrum et Paulum? Os Christi erit[1]; qui enim separat pretiosum a vili, inquit, tanquam os meum erit. Licet igitur etiam domi sedentibus istum piscatum exercere: si quis amicum aut cognatum aut familiarem habeat, hæc faciat, et similis erit Petro et Paulo. Et quamvis nec hodie persuaseris, nec ullo tempore, ut obtemperet, induxeris, tu tamen perfectam mercedem consequeris: et si non omnibus, e multis tamen aliquibus persuadere poteris. Quoniam et ipsi apostoli, etsi non omnibus persuaserint; quia tamen ad omnes sermonem habuerunt, mercedem quoque pro omnibus receperunt. Noli igitur, cum multos docere non potes, etiam pauculos contemnere: noli majora desiderando a minoribus te ipsum abstrahere. Si centum convertere non possis, decem conare, et si decem nequeas, ne quinque contempseris: ac si nec istos convertere valeas, unum negligere ne velis[2]. Non enim ab emendatorum numero, sed ab emendantium mente Deus coronas definire consuevit. Enimvero non ideo culpabiles sumus, si auditoribus, quæ proponimus, non persuadeamus, sed si illos monere negligamus: hortari enim solum nostrarum partium est; illorum vero obtemperare. Et ut nobis non admonentibus, illisque interim innumera recte

[1] Ex comm. in epist. ad Corinth. — [2] Ex Serm. 1 in divitem et Laz.

gerentibus, tota merces ipsis solis reponetur, nobis vero nihil emolumenti inde accedet; ita si vicissim nobis adhortantibus ipsi non pareant, omnis pœna eosdem comprehendet; nobis vero culpa non erit; sed amplum a Deo præmium tribuetur. Qui enim sibi dicenti faciles attentosque habet auditores[1], facile illorum obedientia dicendi laborem solatur: si vero quis assidue verba faciens non audiatur, nec a dicendo desistat, is utique majore honore dignus fuerit, eo quod Deo ita videatur, et quod nemine etiam obsequente, omnes sui muneris partes impleat. Sed quamvis tamen nobis major ex vestra inobedientia merces existat; eam nihilominus imminui potius desideramus, salutemque vestram augeri, quod magni præmii loco gloriam vestram ducamus. Si ergo quempiam sive animæ sive corporis medela indigentem conspicias[2], ne apud te dixeris, quam ob causam iste vel iste hunc non curavit? aut ego sæcularis sum, uxorem et liberos habeo: Sacerdotum ista sunt, Monachorum sunt. Dic mihi, obsecro, si aurum alicubi positum invenias, dicis-ne apud te ipsum, quare iste aut iste hoc aurum non sustulit? Minime vero: sed aliis omnibus illud præripere studes. Idem igitur tibi animus sit, si quando lapses errore fratres videris; curam eorum veluti thesaurum inventum reputes: qui enim separat pretiosum a vili, inquit, tanquam os meum erit. Et quidnam cum ista re conferri poterit? Quod enim neque jejunium, neque humi dormitio, neque aliud quidquam præstare nobis potest, hoc procurata fratris salus efficere potest. Nec ego ista enuntio, ipsemet Deus hoc asseruit, inquiens: quod si vel unum aliquem liberaveris, tanquam os meum, erit os tuum. Ne igitur prætereuntes dicamus, quænam commiserint, sed studium diligentiamque adhibeamus, ut ipsos corrigamus: nec illud consideremus, utrum magnus

[1] Ex comm. in Evang. Joan. — [2] Ex Serm. 3 contra Jud.

sit perversorum numerus, sed potius cogitemus, qua ratione eos ab errore abducamus. Et enim ante peccatum fratres obfirmare ne labantur, non exiguam nobis salutem comparat: erga vero errore jam lapsos magnam ostendere sollicitudinem, et ipsum non mediocrem laudem parit. Ac medici quidem, ipsis quoque recte valentibus ea indicant, quæ sanitatem conservare, omnemque depellere languorem valeant: illos autem, qui rebus his neglectis in adversam valetudinem inciderunt, minime negligunt, sed tunc maxime curam suam demonstrant, ut eos a morbis liberent. Et tu igitur[1], si quando fratrem corrigere necesse sit, etiamsi vitam profundere oporteat, ne recuses. Dominus noster propter nos mortem subiit; et tu ne verbum quidem emitteres? Et quam habebis veniam, quam-ve adferes excusationem? Quomodo ante tribunal Christi cum fiducia consistes, quæso, qui jam tot animarum interitum nihil pensi habes? Utinam mihi novisse illos liceat: vestram utique non expeterem operam, sed ipse quam citissime emendarem. Age porro[2], si justa sententia aliquem condemnatum ad supplicia duci videres, eumque e carnificis manibus eripere valeres, nonne quidvis faceres, ut a supplicio eum liberares? Fratrem igitur cum conspicias, non a carnifice, sed a diabolo ad barathrum perditionis trahi, ne consilium quidem adferre dignaris, ut ipsum ab immani illa bellua eripias? Et quam veniam tandem impetrabis? Sed fortior te est ac potentior? Mihi illum manifestum ob oculos statue: caput mihi potius auferri patiar, quam permittere, ut sacra vestibula ingrediatur. Quomodo enim non absurdum est[3], pueros quidem cum vexatione ac molestia ad negotia principio inducere, quæ exordia quidem habent laboriosa, finem vero utilem

[1] Ex hom. 2 contra Jud. — [2] Ex hom. 1 contra Jud. — [3] Ex explic. epist. 1 ad Corinth.

ac bonum; nos vero contrario modo in spiritualibus rebus affectos esse? Enimvero siquis extraneus aliunde ad nos veniret[1], et tum religionis disciplinæque Christianæ negotia, tum politiæ nostræ confusionem probe intelligeret, nescio quosnam alios magis, quam nos ipsos, hostes Christi judicaturus esset. Ita enim vitæ nostræ rationem instituimus, perinde ac si de industria viam mandatis ipsius contrariam ambulare decrevissemus. Cum enim, quæ facere nobis præcipit, volentibus levia sint ac facilia: quæ vero prohibet, aspera difficiliaque existant: et nos quæ prohibita sunt, faciamus; quæ vero præcepta, negligamus; nonne nos ei obnitentes, ut hostes ista committere dicent? Sed sicut bonis in more positum est[2], ea proximis suis suadere, per quæ ipsi probi evaserunt: ita improbi illarum rerum proximis auctores esse consueverunt, per quas ipsi facti sunt perversi. Unum namque et idem improbitatis illorum genus est: et loco consolationis pœnæ suæ putant aliorum perniciem.

Quis nostrum, quæso, cum domi fuit[3], Christianum aliquem libellum in manus sumpsit, et quæ in eo continentur, evolvit, scripturamque scrutatus est? Nemo facile reperietur, qui hæc dicere possit. Calculos quidem et tesseras apud proximos reperiemus, libros vero aut nusquam, aut apud paucos: et hi quidem non habentibus nihilo sunt meliores; quod eos colligatos et in scriniis repositos perpetuo servant, quodque omne ipsorum studium sit, ut subtilis sit membrana, eleganter efformatæ litteræ; nullum autem, ut legant. Non enim propter utilitatem et usum sibi libros compararunt; sed ut opulentiam et ambitionem suam ostendant, tantum in illis studium posuerunt. Tanta est hæc vanissima jactantia.

[1] Ex epist. ad Demetr. — [2] Ex Serm. 5 in Oziam. — [3] Ex interp. Evang. secundum Joan.

Neminem namque ambitiosum dicere audio, quod ea, quæ in libris continentur, calleat, sed quod aureis litteris sint perscripti. Eunuchus ille barbarus et innumeris curis implicatus currui insidens legebat[1], licet non intelligeret, quæ legebat. Si vero tantum etiam in via legendi studium ostenderit, cogita quantum domi agens impenderit: si tempus quo iter faciebat, sine lectione abire non patiebatur; quanto magis, dum domi sederet? Si, cum nihil intelligeret, numquam a lectione cessavit; quanto magis postquam doctrina imbutus fuit? Quemadmodum enim famem sentire bonæ valetudinis corporis indicium est[2]: ita divinos sermones studiose audire, sanitatis animæ maximum argumentum merito quis fecerit[3]. Cur enim vobis tam frequenter quæstiones proponimus, earum vero solutionem non afferimus? Ut vos assuefaciamus, non semper præmansum cibum capere, sed ut subinde etiam responsionem ad propositam sententiam inferatis. Atque hac in re columbas imitamur, quæ pullos suos, quamdiu quidem in nido manent, proprio ore nutriunt: cum vero ipsos ex nido jam exigere possunt, alasque firmatas conspiciunt, non amplius id faciunt, sed granum quidem in ore portantes, pullis ostendunt: quibus avide expectantibus et accedentibus, matres escam in pavimentum demittentes, ipsos per se colligere monent. Eodem igitur modo et nos facimus, spirituale videlicet nutrimentum ore tenentes et convocantes, ut vobis pro consuetudine solutionem indicemus: quando vero jam accessistis[4], et vos accepturos speratis, verba omittimus, ut ipsi per vos sensum percipiatis. Et sicuti citharœdi digitos discipulorum suorum accipientes, eos vocibus formandis sensim

[1] Ex Serm. in divitem et Lazarum. — [2] Ex Hexaëmero. — [3] Ex Serm. in illud, *Saulus adhuc spirans.* — [4] Ex homil. in illud. Simile est regnum cœlorum homini patri familias.

aptant, et ad perite tangendum instruunt, ut ex mutis tum digitis tum fidibus eos qualibet voce suaviorem et dulciorem sonum efficere doceant : ita nos quoque facimus. Nam quemadmodum in cithara, fides ipsas quidem tum artifex pulsat, tum imperitus : et hic quidem molestia afficit auditorem, ille vero demulcet et oblectat : et iidem quidem digiti eædemque fides sunt, sed non eadem peritia ; ita in divinis quoque scripturis res sese habet ; multi siquidem divina eloquia seu oracula aggrediuntur, sed non omnes tamen lucrum inde reportant, nec omnes fructum percipiunt. Causa vero est, quoniam ea quæ dicta sunt, nec intellectu penetrant, nec arte instructi citharam capessunt : quod enim in citharæ pulsu ars est, id in divinis legibus est operum demonstratio. Et quemadmodum adversa valetudine laborantibus non oportet brevem et opere subitario paratam mensam apponere[1], sed præparare studiose cibos necesse est ; ut si æger hoc nolit, aliud sumat ; et si illud non admittat, aliud capiat ; et si hoc rejiciat, aliud acceptet ; atque hac ratione, diversitate ciborum, molestiam vincamus, varieque instructa mensa animi morositatem deliniamus : eodem modo in spirituali epulo agendum est, cum imbecilles sumus ; quo scilicet ex multis variisque exemplis facilior vobis utilium electio fiat. Ne igitur graviter adhortationem meam feratis[2] ; si enim quid indigne ferendum alicui erat, mihi maxime erat, qui toties verba ad vos faciens non audior ; nequaquam autem vobis, qui semper quidem auditis, nunquam tamen obtemperatis. An nescitis[3], quod divinam disciplinam negligentes, propter contemptum et humanæ naturæ dignitatem perdiderint, et tanta nobilitate exciderint? Altissima voce propheta Isaïas, in

[1] Serm. de obscuritate Prophet. — [2] Ex comm. in Evang. Joan. — [3] Ex Serm. *in Saulus adhuc spirans.*

civitatem Judæorum metropolim, Jerosolymam dico, hominibus frequentem, ingressus, in mediis plateis stans, universo populo circumsistente clamabat; volens ostendere eum, qui divina oracula non auscultaret, hominem non esse; « Veni et non erat homo : vocavi, et non erat, qui audiret. » Cum igitur venisset, et nemo esset qui audiret, ad elementa sermonem convertit, et ait : « Audi cœlum, et ausculta » terra ; » ego namque, inquit, ad homines missus sum, ad homines, inquam, mente præditos : quoniam vero neque rationem neque sensum habent, ideo ad elementa sensu carentia verba facio, in eorum accusationem qui intelligentia præditi sunt, dignitate vero ista non utuntur. Et Jeremias in media Judæorum turba stans[1], in ipsa urbe, tanquam nullo præsente, ita clamabat : « Cui loquar, et » quem contestabor? » Quid dicis? Tantam hominum multitudinem vides, et adhuc quæris, cui loquar? Utique, inquit; hæc enim turba multitudo est corporum auditu carentium. Incircumcisæ enim aures eorum, et audire non possunt. Si igitur Prophetæ eos homines, qui præsentes quidem adsunt, non tamen studiose iis quæ dicuntur, auscultant, homines esse negent; quid nos de illis dicemus, qui non solum non audiunt, sed ne quidem intrare hæc sacra limina volunt? Non enim si quis corpore humano et voce præditus sit, ille homo est; sed si quis animum hominis et affectum habeat. Scio quod non pauci illibenter sermonem de correptione audiant[2] : sed quid prodest, si taceamus? Etiamsi enim siluero, nec quicquam verbis movero, fieri tamen non potest, ut ejusmodi silentio vos a pœnis liberem : sed contrarium omnino inde evenit, auget supplicium talis taciturnitas ; nec vobis duntaxat, sed etiam mihi pœnam accersit. Quid porro boni nobis verba conferunt, cum ad opera nihil prosunt et ju-

[1] Jerem. VI. — [2] Ex comm. in Matth.

vant, imo etiam obsunt et retardant? Quid prodest sermone aliquem exhilarare et opere contristare? delectare auditum, et pœnis afficere animam? In hac igitur vita tristitiam inferre necesse est, ne extremum in altera luamus supplicium, et intolerabilem sustineamus pœnam. Non igitur moleste graviterque ferre dicta oportet, sed suscipere et laudare, Si vero aliqui forte infirmiores sint[1], et hanc nostram defensionem non æquo animo ferant, illis ergo responderim, me non leges proprias vobis exponere, sed cœlitus delapsas prælegere litteras, atque omnino esse necesse illi, cui tale ministerium creditum est, aut omnia illis litteris contenta libere dicere; si modo utilitatem auditorum, et non delectationem ubique exquirat; aut auditorum inimicitias suspicando, et propriam et aliorum salutem per ineptam istam benevolentiam prodere. Quod enim de divinis aliquid mandatis celare, tum dicenti, tum auditoribus admodum periculosum sit: et magistri, nisi omnia Dei præcepta citra prævaricationem exponant, homicidii rei judicentur, Paulum rursus testem vobis constituo. Idcirco autem præ omnibus semper ad sanctam illam animam me confero, quoniam Pauli verba oracula quædam sunt et divinæ leges, cum non Paulus sit, qui loquitur, sed Christus qui animam illius monet, atque per eum omnia loquatur, quæ ille dixit. Quid igitur, inquit? « Mundus ego sum a sanguine omnium[2]. » Quare? « Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis » omne consilium Dei. » Si ergo subterfugisset, quominus annuntiaret, non fuisset mundus a sanguine, sed veluti homicida judicatus fuisset. Et merito sane; homicida enim solum corpus interimit et præsenti morti tradit: qui vero ad gratiam concionatur, et segniores reddit auditores, ille animas perdit, easque ad sempiternas pœnas

[1] In illud quod periculosum ad gratiam concionari. — [2] Act. xx, 17.

ac cruciatus transmittit. Quis igitur adeo crudelis et inhumanus[1], quis adeo rigidus est, et affectuum expers, ut assidue de ira Dei dicentem et disserentem accusare audeat, cum is, si taceat, talem pœnam toleraturus sit? Equidem si ego tacens peccata silentio occultare possem, merito quilibet indigne ferret, et juste conqueretur, quod non tacerem. Jam vero, cum nobis tacentibus omnino necesse sit ibi manifesta fieri delicta, quidnam emolumenti silentium meum afferre possit? Qui ad auditorum commodum respicit, etiamsi se ipsum laudibus efferat, non solum reprehendendus non est, sed corona etiam dignus: ac si quidem taceat, vitio illi vertendum est. Etenim si David de Goliath tacuisset, minime ipsum ad pugnam exire permisissent, neque illustre illud statuere tropæum. Idcirco etiam ad vos jam frequenter sermonem habui[2], et jam prædico, non amplius exhortans, sed præcipiens et denuncians: qui vult, audiat, qui vero non vult, negligat; quod si in his quæ a vobis perpetrantur, sceleribus perseveretis, non patiar, neque admittam vos, neque vos hæc limina transire concedam. Ad quid enim morbo laborantium multitudine indigeo? Duodecim erant discipuli, et audi quid ad illos Christus dicat: Vultis et vos abire? Si enim semper assentemur, quando tandem amissa reparabimus, quando proderimus? Sed multæ, inquit, sunt aliæ sectæ, et ad alias sententias transeunt. At frigida et hæc ratio: melior enim est unus, qui facit voluntatem Domini, quam decem millia iniquorum. Et tu vero, dic mihi, utrum malles decem millia habere servorum fugitivorum, et furum, an unum bonum et benevolum? Qui vult, exiliat; non tolero quemquam. Hæc verba omnia everterunt; ut abeat, inquiet aliquis, et ad diversam sectam sese transferat: imbecillis est, animum non-

[1] Ex interpret. epist. 2 ad Cor. — [2] Ex interpret. epist. ad Coloss.

nihil inflecte. At quousque? quamdiu? semel, iterum, et tertio? an perpetuo? En spondeo et contestor secundum beatum Paulum, quoniam, si iterum veniam, non parcam. Etenim, quando ego coram tribunali Christi judicabor, vos quoque procul stabitis, et gratia apud vos parta, me rationem reddente. Præstat igitur dolore verborum delinquentes pungi, ut a rerum turpitudine liberentur. Non ignoro[1], omnes nos reprehensione aliquo modo dignos esse, quodque nemo nostrum gloriari possit, se cor mundum habere : sed non istud adeo malum est, quod mundum cor non habeamus; sed quod non habentes, ad eum nos non conferamus, qui ipsum mundum efficere potest. Novi quod verba ista mordeant : sed quid faciam? Si non acerba medicamenta adhibeamus, vulnera non tollentur : sin adhibeamus, dolorem non sustinetis. « Angustiæ mihi sunt undique. » Sed manum paulisper cohibere necessarium est : sufficiunt enim dicta, ad obtemperantium correctionem. Quod si inemendabiles perseveremus, in ipsas Judicis manus trademur. Quam vero horribile sit incidere in manus Dei viventis, satis cognitum vobis est. Et quidem qui nihil prorsus recte gessit[2], omnino torpet, ac deses cito animum despondet : qui vero conscius sibi est, quod vel unum aliquod præceptum impleverit, is concepta ex eo bona spe, majore iterum studio ad reliqua procedit : additoque deinde alio, ad aliud progredietur. Si enim in divitiis ita se res habet, ut quo quis plures accumulaverit, tanto plures semper concupiscat, multo magis in spiritualibus id contingere, quis animadverterit. Quocirca vos oro atque obtestor, ut horum meorum verborum, non isto solum præsenti die memineritis, sed etiam domi vestræ, et in platea, et ubicumque tandem versemini. Uti-

[1] Ex hom. in Seraphim. — [2] Ex hom. in statuas.

nam vero mihi vobis semper præsentem esse liceat : nec prolixa ista reprehensione quidquam opus foret. Quoniam vero id fieri non potest, verba mea loco mei memoriæ vobis inhæreant : et cum mensæ assidetis, me ad vos ingredi arbitremini, vobisque astantem ea quæ modo hic dico, inculcare. Ubicumque de me apud vos sermo habebitur, ante omnia hujus præcepti memineritis, atque has, pro mea erga vos dilectione, mihi vices rependite. Atque hoc quidem non solum iis, qui maledictis alios lacessunt, sed iis etiam, qui alios disserentes audiunt, suadeo, ut aures suas diligenter muniant, ac Prophetam imitentur, dicentem : « Detrahentem secreto proximo suo, hunc » persequebar[1]. » Et dic ad delatorem ; siquidem laudare aliquem et commendare tibi animus foret, aperirem aures meas, sermonemque tuum libens amplecterer : si vero vituperare velis, dictis tuis aditum præcludo, non enim stercus et sordes suscipere possum. Quod enim mihi emolumentum fuerit, audire hunc aut illum improbum esse? Quin gravissimum potius damnum et summa calamitas inde nascitur. Quam enim habituri sumus excusationem aut veniam, si res nostras minime considerantes, tam anxie inquiramus et curiose scrutemur alienas? præstat utique bene ignorare[2], quam male discere. Qui enim causam plane nescit, citius ad verisimilem causam pertingere potest : alius vero, quoniam veram causam non novit, dum sibi aliam fingit, quæ non est, haud facile veram capere poterit; sed majore labore ac sudore indiget, ut priorem ex animo tollat. Si forte aliquem videas sacra vasa præparantem, aut alium Ecclesiæ circa parietes et pavimentum ornatum ; noli id, quod prope jam paratum est, vendi aut destrui jubere, ne mancam ac mutilam reddas animi ipsius promptitudinem. Si vero quis

[1] Psal. c, 5. — [2] Ex comm. in Matth.

te interroget priusquam paraverit; pauperibus ut eroget, moneas. Despicias autem vitæ hujus delectamenta, tanquam non permanentia: et similiter tristia, tanquam quæ nihil nobis obsint. Ut enim qui in aliena regione commorantur, omnia faciunt et moliuntur, ut felicem in patriam reditum parent, et in dies sollicitantur, ut patriam videant: ita qui futura bona amore complectitur, neque præsentis vitæ molestiis deprimetur, neque commodis extolletur, sed utraque instar iter facientis transcurret. Sic igitur et nos affectos esse oportet: et quamvis paucos annos hic vivere contingat, multi tamen, ob futurorum desiderium, nobis ii videri debent. Hæc autem dico, non quod præsentem hanc vitam incusem; absit; nam et hæc ipsa Dei quoddam opus est: verum ut ad futurorum vos amorem incitem, ne nimio affectu præsentibus inhæreatis; aut corporibus affixi, instar illiberalis vulgi affecti sitis, qui si vel infinitos annos vivant, paucos tamen esse dicunt. Quibus quid vesanius esse possit? siquidem cœlo postposito ac cœlestibus bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, umbris inhiant; et dum assiduis fluctibus, tempestatibus ac naufragiis exercentur, transmittere tamen Euripum hujus præsentis vitæ nolunt. Verum non ita beatus Paulus: sed is festinabat et contendebat: atque unica tantum res ipsum retinebat, hominum scilicet salus, et ne regno Dei exciderent. Quod nobis omnibus adipisci contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

De Humilitate Animi.

Cum peccatum cum animi humilitate coiverit[1], ita expedite currit, ut justitiam, quæ cum arrogantia est, superet et antevertat. Si vero cum justitia eam copulaveris, quo non evadet? Apud ipsum plane Dei tribunal consistet, in medio Angelorum, magna cum fiducia. Si enim propria confitentes delicta, tantam sibi fiduciam conciliant, quas non adipiscentur coronas ii, qui cum multorum sibi bonorum conscii sint, animum tamen suum humiliant? Quamvis igitur innumera desuper construxeris, eleemosynam, sive orationes, sive jejunia, sive omnem virtutem; nisi hanc pro fundamento jeceris, frustra et abs re superstruentur. Nihil est enim, nihil in nostris recte factis, quod absque ea consistere possit: sed sive temperantiam dixeris, sive virginitatem, sive pecuniarum contemptum, sive quidvis tandem, omnia impura, detestanda et execranda sunt, si animi humilitas desit. Idcirco enim duabus ex substantiis Deus nos composuit[2], ut cum superbia quidem elatus fueris, reprimat te carnis vilitas: cum honore divinitus tibi dato indignum quid et liberali animo versaveris, animi nobilitas ad cælestium virtutum æmulationem te sublevet. Magnum enim bonum est, cognationem suam considerare, et nosse unde constiterimus. Etenim sufficiens ea doctrina est, naturæ scilicet contemplatio; quippe quæ omnes perturbationes reprimere, et tranquillitatem

[1] In illud, *Sive occasione*, etc. — [2] Ex Serm. de non obtrectando.

in animo efficere possit. Reputa tecum naturam tuam et fabricam, et sufficit tibi istud, ut perpetuo te in officio contineas. Formatus est e terra Adam[1], sed ignorabat quomodo formatus esset : non enim oportebat ipsum adesse testem eorum, quæ fiebant, ut ne contra Deum sese efferret. Si enim tanta humilitate circumdatus sese erigit, et ignorat conditorem, eumque a quo formatus est, aspernatur; quis immensam ipsius caperet superbiam, si quod supra naturam est, accepisset? Propterea Deus, cum hominem formasset, et virtutes magnas figmento indidit, et humilitates multas; ut propter inditam quidem virtutem, opificis gratia admirationi esset; propter humilitatem vero humanus fastus reprimeretur. Dedit ei linguam loquentem, Deum laudantem, divina decantantem, explicantem pulchritudines creaturæ. Disserit de cœlo et terra, parva caruncula lingua, ne duorum quidem digitorum habens mensuram. Et quid dico digitorum? ne extremi quidem unguis? sed extremum illud parvum loquitur de cœlo et terra. Et ne magnum quid se esse putet, ac supra naturam suam sese extollat, sæpe et tumores ipsi implicantur et vulnera, ut discat quod mortalis ipsa de immortalibus loquatur : debetque agnoscere, quænam virtus sit ejus, quem prædicat, quæque imbecillitas prædicantis. Dedit illi oculum, exiguum illud granum, quo universam crea turam perspicit. At ne visu creaturam omnem comprehendens sese erigat, frequenter et oculorum ægritudines, et lippitudo et lacrymæ, quæque alia visum turbant, ipsi innascuntur : ut ex imbecillitate quidem se ipsum agnoscat, ex opificio vero artificem divinis laudibus celebret. Si igitur talem imbecillitatem homo circumferens, ita vilitatis suæ obliviscitur, ut etiam adversus opificem insolescat : quis eum tulisset efferentem sese, si ea imbecillitate

[1] Ex Serm. de lege naturæ.

omnino caruisset? Cogita, homo, cum quo consocieris[1], cum inflaris et arrogantia te extollis, et cum te hospitem curare pudet. At quoniam id modo fieret, inquit? Si enim quis claro sit genere natus, et illustris, et splendidus ac insignis, ipse-ne hospitis lavabit pedes? Et quomodo non turpe id foret? Imo non lavare, magis turpe est. Quamvis enim decies millies suam nobilitatem extollat, et claritatem et splendorem, ejusdem tamen particeps naturæ est cum eo qui lavatur, et conservus ejus est quem curat, ejusdemque conditionis. Considera quisnam discipulorum laverit pedes, et cessa de nobilitate disserere. Ob divitias animo non efferri[2], non ad futura solum, sed etiam ad præsentia utile est. Nihil adeo invidiæ obnoxium est, quam divitiis pollens : si vero etiam arrogantia huic insit, duplex oritur præcipitium. Qui vero modeste de se loquitur, humilitate animi vim invidiæ succidit, et secure quæ habet possidet : tanta est hujus potentia. Nec enim ad futura duntaxat nobis pro lest, sed jam in hac quoque vita dat præmia. Ne igitur in divitiis animos tollamus, imo nec ulla alia in re. Si enim qui in spiritualibus altum sapit, evanescit et perit, multo magis qui in carnalibus. Cogitemus naturam nostram, reputemus peccata, discamus qui simus, et satis nobis est ad totius humilitatis materiam. Hic enim maxime se novit, qui nihil se esse putat. Nihil enim Deo tam carum est, quam in extremis se ipsum numerare. Venite enim, « Discite a me, quia mitis sum, et humilis » corde[3]. » Nisi enim mitis essem[4], cum sim Regis filius, servam-ne matrem elegissem? Nisi mitis essem, an præsepis paupertatem suscepissem, qui universæ creaturæ divitias obtineo : Nisi mitis essem, dorsum-ne meum flagris

[1] Ex Serm. in illud : *Vidua eligatur.* — [2] Ex Serm. in statuas. — [3] Matth. XI. — [4] Ex hom. in illud, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis,* etc.

pro captivis præbuissem? Quid? id quo majus est, non dico: nisi mitis essem, cum alii pati deberent, ego-ne qui nihil debebam, mortis debitum pro ipsis exsolvissem? Ita sum mitis, ut cum tu peccaveris, ego flagellis cæsus sim. Ita sum humilis, ut me servis meis supplicare non pudeat: sed malo obsecrare, ut ne punire cogat. Cum igitur in hanc cogitationem deveneris[1], ut ob animi humilitatem te ipsum admireris, cogita Dominum tuum, quo descenderit, et jam te ipse non admiraberis, nec laudabis: imo te etiam deridebis, tanquam qui nihil feceris. Humilis es, et omnium hominum humillimus? ne ob id magnifice de te sentias, neque aliis exprobres, et perdes gloriam. Propterea te humilias, ut superbiam effugias. Si igitur per humilitatem in superbiam incidas, melius fuerit non humiliare temetipsum. Quod si quis dicat, melius esse recte viventes efferri[2], quam lapsos sese humiliare, admodum is et superbiæ ignorat damnum et humilitatis emolumentum. Certo enim scias quod homo cum superbia recte vivens, siquidem hoc sit recte vivere, subito in extremam perniciem casurus sit. Et quidem qui labi permissus est, modesteque de se loqui ex suo casu didicit, is et citius resurget, et se ipsum, si modo velit, recuperabit celerius. Qui vero bene feliciterque agere videtur, cum superbia, nihil interim mali sustinens, is ne sensum quidem unquam percipiet prævaricationis suæ, sed et malum augebit, et imprudens ab iis, quæ hinc existunt, vacuus discedet. Cæterum quid causæ est, inquit aliquis, quod qui ante tentationes recta gradiebantur, post tentationes frequenter prolapsi sint? Quis igitur est, qui recte ambulantes exacte noverit, præter illum, qui solus corda nostra formavit, et ad omnia opera nostra animadvertit? Multi enim frequenter, qui nobis boni esse videntur, omnibus sunt nequiores.

[1] Ex interp. epist. ad Philemon. — [2] Ex Serm. ad Stagiritem.

Ut vero omissis istis, ad eos, qui omnino recte vivunt, sermone progrediamur, quis novit, si alia quidem recte ab ipsis facta sint, caput vero bonorum, humilitas sit neglecta? atque ob id Deus ipsos reliquerit, ut discant quod non propria virtute, sed gratia Dei recte illa gesserint? Modestia enim dicitur, non quando quis a potentibus injuria affectus, fert placide: sed quando etiam ab iis, qui inferiores videntur esse, læsus cedit. Vide enim Dei benignitatem[1], et cujusmodi curam erga servos suos ostendat. Cum enim Isaac a rege Gerarorum et ab indigenis injuste suis laboribus arceretur, non indignatus est[2], nec pusillanimem sese ostendit, neque intra se vociferatus est, neque dixit: annon fruendi puteis jus habeo? an destitutus sum ope superna? an providentia Domini orbatus sum? Nihil hujuscemodi neque cogitavit, neque ratiocinatus est; sed moderate omnia ferebat: eoque plus honoris et auxilii desuper est consecutus. Apparuit enim ei Dominus nocte illa et dixit: « Ego sum Deus Abraham patris tui; ne timeas, ego enim » tecum sum et benedicam tibi[3]. » Volens enim justum refocillare, et confidentiam addere, apparet ipsi, dicitque: Ego sum Deus qui patrem tuum celebrem feci, et in tanta claritate constitui, et peregrinum indigenis splendidiorem reddidi: ego sum ille, qui illum eousque crescere curavi. Ne igitur timeas; tecum enim sum; et multiplicabo semen tuum, propter Abraham patrem tuum: multa enim illi obedientiæ erga me præmia debeo. Hæc ubi audivit justus ille, bono deinceps fit animo. Qui enim dixit, tecum sum, et benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum; hic et splendorem donavit. Vide quanta sit vis humilitatis: qui enim prius ipsum exagitaverant, nunc venientes ad justum illum, non modo de iis quæ jam fecerant, sese excusant, et veniam petunt, sed etiam laudibus celebrant. Quis enim

[1] Ex comm. in Hexaëm. — [2] Gen. XXVI. — [3] Ibid. 24.

esset eo fortior, qui Deum secum habebat? Cernentes enim, inquit, vidimus, quod Dominus tecum sit. Videamus autem quomodo et hujus filius Jacob peregrinationem faciat, dum persecutionem patitur: neque enim parvum inde quoque fructum decerpemus. Proficiscente enim ipso in Haran, occidebat sol; et sumpsit de lapidibus loci illius, et posuit ad caput suum et dormivit. Vides ineffabilem philosophiam? Vides quomodo antiqui peregrinabantur? Vir domi magna cura indulgentiaque nutritus, acceptum lapidem posuit subter caput suum. Vide pueri virilem animum: lapide pro cervicali utebatur, et humi dormiebat: et ob id etiam Domini aspectu dignus habetur. Et inquit: « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac patris tui. » Ego et illum principem generis et hunc patrem tuum ad tantam claritatem evexi. Ne igitur timeas, sed crede, quia ego sum, qui et illis promissa præstiti, et te mea providentia dignabor. Sed et jam tecum sum, custodiens te in via, quocumque profectus fueris. Ne existimes, ait, solum te iter facere: me habebis comitem, me habebis custodem in omni itinere: tecum enim sum. Si igitur magna facere velis tua recte facta[1], ne putes ea magna esse, sed fatearis te gratia salvari, quo tibi ipsi Deum debitorem constituas, non recte factorum duntaxat, sed etiam ejuscemodi grati animi. Cum enim recte agimus, bonorum tantum operum debitorem habemus: cum vero nihil boni nos fecisse arbitramur, tunc etiam pro eo, quod ita affecti simus, et multo magis quam pro illis. Si ergo humilis esse velis, ne verbis nec habitu solum[2], sed et re et voce hanc virtutem ostendito; et ne sis erga istum humilis, adversus illum vero insolens, sed erga omnes humilis, sive amicus sit, sive inimicus: sive magnus sit, sive parvus. Hæc enim est humilitas animi. Contingit enim humilem aliquem esse,

[1] Ex comm. in Matth. — [2] Ex comm. 1 epist. ad Ephes.

et interim et facile irritabilem et iracundum; sed nullo operæ pretio : sæpe enim ira correptus omnia perdidit. Veram enim humilitatem animi hinc maxime discere licet animum advertentibus. Cum venisset Jesus in Capernaum[1], accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, dixeruntque : Præceptor vester non solvit didrachma[2]? et vide : ad ipsum quidem Christum adire ausi non sunt; sed ad Petrum. Ac nec ad hunc quidem magna cum vehementia, sed modestius. Non enim expostulantes, sed interrogantes dicebant : Præceptor vester non solvit didrachma? Necdum enim convenientem de eo habebant opinionem, sed quasi de homine sentiebant : reverentiam porro aliquam et honorem exhibebant, propter præcedentia signa. Quid igitur Petrus? Etiam, inquit : Et his quidem solvere eum, ipsi vero non dixit; fortasse quod puderet eum, de his ipsum compellare. Quid igitur, qui omnia exacte novit, Deus? Antevertens eum inquit : Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Ab alienis, inquit. Dicit ei Jesus : Ergo liberi sunt filii. Ne enim existimaret Petrus, quod, quia ab illis audivisset, hæc diceret, antevertit ipsum, cum hoc ipsum aperiens, tum fiduciam ei addens ambigenti prius de his dicere. Quod autem dicit, hujusmodi est. Immunis quidem ego sum a dando censu : si enim reges terræ a filiis suis non accipiunt, sed a subditis; multo magis me immunem esse oportet ab hac exactione, cum non sim terreni Regis, sed cælestis filius et Rex. Et hæc ubi dixisset, inquit : Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum, et piscem qui primus ascenderit, tolle, et invenies in ore ejus staterem; illum sumens, da eis pro me et te. Vide quomodo non detrectat tributum, nec simpliciter dare jubet : sed cum primo ostendisset,

[1] Ex comm. in Matth. — [2] Matth. XVII.

non debere se, tum demum dat: illud quidem faciens, ne illi offenderentur; hoc vero, ne hi. Neque enim quasi qui deberet, dat, sed ut infirmitatem illorum corrigens. Sed quare non ex repositis dare jubet? Ut in hoc etiam se universorum Deum ostendat, et quod mari dominetur. Neque enim parvum erat prædicere, fore ut ex illis profundis primus piscis incideret, qui tributum penderet; et jussu ipsius, tanquam reti quodam in illud profundum immisso, educere eum, qui staterem ferret; et facere, ut ita mare dona ferret, atque undique suam subjectionem ostenderet. Si igitur ostendere velis tuum recte factum, ne magnifice de te sentias, et tunc majus hoc effecisti. Nam si, cum peccatores sumus, et hoc nos esse putamus, quod sumus, justi efficimur, sicut publicanus; quanto magis cum justi sumus, et peccatores nos esse arbitramur? Nam si te ipsum probum dixeris, factus es inutilis, etiamsi probus fueris: si vero inutilem te nominaveris, factus es utilis, etiamsi improbus fueris. Ut enim superbis novit Deus resistere, ita dare gratiam humilibus; quia ipsum decet gloria, et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

De Anima.

Qui bonis operibus ornati sunt, fidem vero in Deum ignorant, similes esse videntur mortuorum reliquiis, quæ pulchre quidem vestitæ sunt, sed sensum pulchrorum nullum habent. Nam quid prodest homini, mortuam, et bonis operibus vestitam habere animam? Opera spe præ-

mii fiunt et coronarum. Quod si præsidem certaminis ignoras, qua de re certas? siculi enim hominibus prius est, ut vivant, deinde ut nutriantur : ita vitam nostram spes in Christum antecedere oportet, nutriri vero insuper etiam bonis operibus debet. Sæpe enim fieri potest, ut is qui non nutritur, vivat : qui vero non vivit, is nutriri nequaquam potest. Et sine fide quidem opera justitiæ facientem vixisse, nullum adducere poteris : absque operibus autem fidelem ostendere possum et vixisse, et regno dignum esse habitum. Nemo sine fide vixit : latro vero cum tantum credidisset, justus factus est. Ne enim mihi dixeris, quod tempus vitæ instituendæ accommodatum non habuerit. Nam si fidei superstes fuisset, operaque neglexisset, salute excidisset. Habuerat et Cornelius de eleemosynis et precibus testimonium, sed Christum ignorabat. Et quoniam cernebat veritatis oculus, magnus ipse judex, pulchra quidem esse opera; mortua vero fidem non habentia, mittit præmium parantem operibus angelum, ut præclare certantem fide coronaret : qui ait ad ipsum : « Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt » in memoriam coram Deo[1]. » Si igitur exauditæ sunt preces, et eleemosynæ susceptæ, quid mihi reliquum est ad justitiam? « Sed mitte, inquit, in Joppen et accerse Simo» nem cognomento Petrum, qui cum venerit, loquetur tibi » verba, in quibus salvus fies tu, et universa domus tua. » Si igitur ex iis, quæ dicit Petrus, salvus fit ipse domusque ipsius, nequaquam adhuc saltem ex operibus habebat, quoad fides operibus ipsius præmium paravit[2]. Fertur etiam exterorum philosophorum quispiam, splendidam domum, multo quidem auro fulgentem, multoque marmorum et columnarum ornatu coruscantem ingressus : cum pavimentum ubique tapetibus stratum cerneret, in

[1] Act. x, 4. — [2] Ex interp. epist. ad Rom.

faciem domini domus inspuisse : deinde vero cum incusaretur, dixisse, ideo se faciem illius contumelia affecisse, quod nusquam alibi in domo id facere liceret. Vides quam sit ridiculus, qui exteriora sollicite nimis exornat, et apud omnes, qui mentis compotes sunt, contemptibilis? Et merito sane. Nam cum parietes quidem et solum aliaque omnia accurate exornes, animam vero velut pannis obsitam, squalentem, esurientem, plenam vulneribus, ab innumerabilibus canibus laceratam negligas, quodnam supplicium non sustinebis? Pecuniam enim si perdideris, dare poteris pecuniam[1]; et si domum, si mancipia, si quidvis aliud eorum quæ possides : animam vero si perdas, aliam reddere animam non poteris : sed licet vel universum mundum habeas, etiamsi rex sis orbis terrarum, licet universa quæ sunt in orbe terrarum, una cum ipso orbe terrarum dependas, non poteris emere unam animam. Si enim in corpore, quamvis infinitis coronis redimitus sis, corpus interim habeas natura morbidum et insanabile, etiamsi regnum totum impenderis, ut etiam innumerabilia corpora et urbes et pecunias adjicias, non poteris corpus corrigere : quanto id magis in anima? Omnia duplicia dedit Deus naturæ : duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes : ut si alterum horum læsum sit, per alterum indigentiam relevemus. Animam vero unam nobis dedit[2] : hanc si perdiderimus, quonam vivemus? Anima enim semel avaritia capta, non facile neque expedite recusabit et facere et dicere aliquid eorum quæ Deum irritant : quippe quæ alterius domini serva facta sit, et omnia contra ac Deus, imperantis. Anima cum semel salutem suam desperaverit[3], nusquam ab insania desistit, sed habenis salutis suæ remissis, stul-

[1] Ex interp. Evang. secundum Matth. — [2] Ex comm. in Evang. Joan. — [3] Ex serm. in Oziam.

tis cupiditatibus quoquoversum rapitur, et occurrentibus intolerabilis est, subterfugientibus omnibus, ac nemine audente retinere : sed omnia vitii loca percurrit, donec ad extrema profunda delata suam ipsius salutem det in præceps. Anima quando omnino cum peccato fœdus iniit et doloris expers facta est, magnum præbet morbo augmentum. Nam sicut sus in luto sese volutans delectatur [1], ita et anima a prava consuetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum fœtorem : et ut terra quæ non irrigatur, licet infinita quis semina jaciat, non potest spicas producere : ita et anima, nisi divinis scripturis prius illustretur, etiamsi innumera quis verba effundat, non valet fructum ullum exhibere. Et sicuti terra, nisi seminetur et plantetur, herbam tantum profert; ita et anima, ubi quid necessariarum rerum, quod agat, non habet, quoniam otiosa esse non potest, omnino agendi cupida, pravis se ipsam negotiis tradit. Quemadmodum enim in corporibus inflammatio [2], ita se habet in anima socordia : deinde ex socordia cupiditas rerum indecentium consequi solet. Et sicut in corporibus ii, qui vulnera negligunt, febres et putredines et mortem sibi pariunt; ita et in animis, qui ad parva peccata connivent, majora inducunt. Propterea nobis e terra corpus dedit Deus [3], ut ipsum etiam ad cælum educamus, non ut per id etiam animam in terram detraheremus. O rem mirandrm! quomodo omnes præsentibus rebus inhiant, et futurarum intelligentiam nunquam accipiunt : sed ad corporeas quidem voluptates jugiter feruntur, animas vero fame contabescere sinunt. Et cum innumera quotidie accipiant vulnera, nunquam sentiunt mala in quibus versantur; sed corpus quidem arte et diligentia singulari curant, animam vero negligunt, et squalentem

[1] Ex comm. in hexaëmen. — [2] Ex interp. epist. ad Galat. — [3] Ex int. epist. ad Tim.

et sordentem, et innumerabilibus vexatam malis : et quod gravius est, quod post multos sudores et labores, nec mortale hoc corpus morte superius efficiunt; sed et immortalem illam cum mortali hoc æternis subjiciunt pœnis. Quocirca magnopere deplorans circumfusam hominum animis dementiam[1], densamque ipsis incumbentem caliginem, invenire vellem speculam aliquam excelsam, quæ omnia mihi genera hominum cernenda subjiceret : vellem autem et vocem adipisci, quæ per omnes terminos resonaret, et omnibus qui in terra sunt, sufficeret stareque et vociferari, ac Davidica illa voce exclamare : «Filii hominum usquequo gravi corde[2]?» Quomodo enim non absurdum est, in corpore, si id qualiscumque etiam morbus invaserit, et medicos vocare, et pecunias expendere, et tolerantiam ostendere, nec prius desistere omnia facere, quousque id quod nos infestat, amoverimus : cum vero anima in singulos dies stimulatur, præcipitatur, atque omni modo se ipsam perdit, ne brevem quidem habere sermonem? Non enim eum qui putrescens ulcus tantum habet[3], lamentari oportet, sed eum qui habet et temere jacet, nec medicas nanciscitur manus. Qui vero secatur et uritur, hunc maxime ad sanitatem tendere dixerimus, non dolorem qui ex sectione oritur, aspicientes, sed eam quæ ex dolore sequitur, sanitatem. Ita, quod ad animam attinet, affecti esse debemus : non eos qui pœnas dant, lugere et deflere oportet; ad sanitatem enim hi trahuntur; sed eos qui impune delinquunt[4]. Qui enim bona in spe est, et de futuris confidit, abhinc jam regnum degustavit. Nihil enim ita animam recreare et præstantiorem reddere solet, sicut bona de futuris concepta spes. Nam qui omne studium in ornatum suarum ædium exhauriunt, cum in exterioribus

[1] Ex orat. ad Demet. monach. — [2] Psal. III, 4. — [3] Ex interp. Ps. 7. — [4] Ex hom. in statuas.

divites sint, interiora negligunt, animamque suam desolatam, squalentem et arancarum telis plenam despiciunt. Quod si exterioribus neglectis menti suæ omnem diligentiam impenderent, undequaque ipsam accurate exornantes, Christo hospitium ejusmodi hominum anima foret. Quid autem eo, qui Christum incolam habet, beatius esse possit? Quam igitur defensionem habebimus, aut quam veniam, cum corporis ægrotantis, ubi et argentum expendendum est, et medici accersendi, et dolor magnus perferendus, tantam habeamus curam; animam vero negligamus; præsertim neque argentum expensuri, neque negotium aliis exhibituri, neque dolores subituri : sed absque his omnibus, electione et voluntate sola, omnino corrigere nos ipsi valentes? et exacte scientes, quod nisi id fecerimus, extremum luituri simus supplicium, et irrecusabiles pœnas et cruciatus. Et quemadmodum qui carcerem inhabitant[1], semper quidem in anxietate ac doloribus sunt, sed maxime eo die, quo educendi sunt, et ad ipsas Judicis fores ducendi; et ante cancellos stantes, vocemque judicantis intus audientes, metu obrigescunt, et nihilo meliore sunt specie quam mortui : sic et anima, ipso quidem etiam prævaricationis tempore maxime affligitur et premitur, sed multo magis quando hinc avulsa ad rationes illic reddendas, et ad terribile illud judicium abducenda est. Propterea sæpe refugit et intro recedit, metuit et exhorrescit, cum a carne discessura est. Tunc enim sive quis rapuerit, sive aliena invaserit, sive alios infestaverit, sive injuste alicujus inimicus fuerit, sive aliud quodlibet malum designaverit, universus peccatorum chorus renovatur, et oculis sese offert, statque acerbus conscientiæ accusator. Ideoque et animam nacti sumus immortalem[2] : et corpus vero immortale futu-

[1] Ex hom. in Lazarum. — [2] Ex comm. in Evang. Joan.

rum est, ut infinitis perfruamur bonis. Quod si terræ affixus fueris, cum cælestia proponantur, cogita quanta hinc contumelia in donantem oriatur; cum ille quidem cœlestia tibi porrigat, tu vero non magnam eorum rationem ducens, terram commutes cœlestibus. Quæ utinam omnes adipiscamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu-Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

De non contemnenda Ecclesia Dei et sanctis mysteriis.

Perpauci nobis hodie adsunt[1]. Quidnam hoc causæ est? Martyrum memoriam peragimus, et nemo ad nos accurrit, sed prolixius viæ spatium in socordiam ipsos conjecit: imo-vero non viæ spatium, sed segnitia eos impedivit. Quemadmodum enim studiosum et arrecto animo præditum, prohibere nihil potest; ita socordem et languidum retardare omnia possunt. Martyres sanguinem suum pro veritate profuderunt, et tu ne brevis quidem viæ spatium pro nihilo ducere potes? Illi caput posuerunt propter Christum: tu vero nec exiguum spatium vis accurrere propter Dominum? Dominus tua causa mortuus est, et tu causa ipsius cunctaris. Memoria martyrum fit, et tu segnis et supinus jaces? Æquum est ut adsis et videas diabolum vinci, martyremque vincere, Deum glorificari, et Ecclesiam coronari. Atqui peccator sum, dicet aliquis, et non possum accurrere. Quandoquidem peccator es, accurre, ut justus fias.

[1] Ex Serm, in Petrum et Eliam.

Quis vero hominum absque peccato est, dic mihi? An nescis quod et ipsi qui altari assident, peccatis affixi sunt? Carne enim amicti, et corpori implicati sunt : quin et nos ipsi, qui in solio sedemus, ac docemus, peccatis implicati sumus : sed non desperamus de divina benignitate, neque immanitatem ipsi affingimus. Propterea namque ipsos etiam Sacerdotes affectionibus servire curavit Deus, ut ex iis quæ ipsi patiuntur, aliis etiam ignoscere discant. Quantæ igitur amentiæ et absurditatis non fuerit[1], quod, cum nos quidem citharœdus aut saltator, aut alius aliquis ejusmodi hominum vocaverit, studiose omnes currimus, et gratiam ei, quod nos vocaverit, habemus, et integri diei mediam partem consumimus, illi soli attendentes; Deo vero per Prophetas et Apostolos nobiscum loquente, oscitamus, scalpimus nos, et hæsitamus? Ac in circo quidem, nullo tecto, quod pluviam sustineat, superposito, complures, largis imbribus decidentibus, et vento aquam in ora sufflante, stant insani, frigusque et pluviam ac viæ prolixitatem parvipendunt, neque quidquam ipsos vel domi continet, vel illuc transire vetat : ad Ecclesiam vero quominus eamus, pluvia nobis atque lutum impedimentum est. Ac si quidem interrogentur, quisnam sit Amos aut Abdias, sive quis sit numerus Prophetarum aut Apostolorum, ne hiscere quidem possunt : pro equis vero et aurigis, si quis defensiones componat, et sophistas et oratores superat. Et quonam pacto, quæso, hæc tolerabilia sunt[2]? Admonui sæpenumero, in theatrum non esse ascendendum. Audivisti, nec obsecutus es : ascendisti in theatrum, non paruisti orationi meæ : ne te pudeat rursus ingredi et audire. Audivi, nec tamen servavi, inquis; quomodo possum ingredi et audire? Interim hoc ipsum intelligis, te non ser-

[1] Ex comm. in Evang. Joan. — [2] Ex Serm. de Pœnitentia cujus init. εἰ καὶ χθὲς ὑμῶν ἀπ'.

vasse, interim te pudet, interim erubescis, interim nemine arguente frenum adhibes, interim orationem meam certam ac infixam retines, interim me non comparente, doctrina mea te dejicit. Non servasti? magis ingredere, ut cum rursus audieris, observes. Medicamentum si tibi adhibeatur, nec tamen te purget, nonne altera die rursus id ipsum adhibes? Sit quispiam lignarius faber, o homo, velitque quercum incidere : accipit asciam, deinde radicem incidit : si det unum ictum, et arbor non concidat, nonne addit et alterum ictum? non quartum? non quintum? non decimum? itidem tu quoque facito. Hæc dico, non ut segniores reddam, sed ut diligentiores efficiam. Ingressus es in Ecclesiam[1], o homo, dignus habitus es Christi consortio : ne exeas, nisi dimittaris; nam si ante dimissionem exieris, tanquam fugitivus rationem reposceris. Totum diem in rebus quæ ad corpus spectant, consumis; et duas horas spiritualibus non vacas? Ad theatrum sæpe abis, neque inde discedis donec dimittaris : et in Ecclesiam ingressus, priusquam divina mysteria peragantur, egrederis? Time eum qui dixit : Qui contemnit rem, contemnetur ab ea[2]. Ac Regi quidem cum astas, ne ridere quidem omnino audes : omnium vero Domino cum astas, non stas cum timore et tremore, sed rides ipso sæpe irascente? Non cogitas, quod hoc facto multo magis, quam peccatis ipsis, eum irritas? Neque enim usque adeo peccantes sicut eos, qui post peccatum animum non demittunt et contrahunt, Deus aversari solet. Quid agis, o homo, in Ecclesia stans? formas mulierum curiose contemplaris, et non perhorrescis tanta injuria templum Dei afficiens? Lupanar tibi esse videtur Ecclesia Dei, et foro despicabilior? Nam in foro quidem metuis et erubescis videri mulierem curiose contemplari : in templo vero Dei, ipso tecum loquente,

[1] Ex Serm. in stagnum Gennesareth. — [2] Ex comm. in Matth.

et pro his comminante, talia audes eo ipso tempore, quo audis hæc facienda non esse, et non perhorrescis, neque mente commoveris, cor et oculos officinam iniquitatis faciens? Præstaret hujuscemodi esse cæcos, quam ad ista oculis suis usos fuisse. Cogita[1], prope quem adstes, in sacro illo tremendoque sacrificio, cum quibus sis invocaturus Deum : cum Cherubim, cum Seraphim, et cum aliis virtutibus cœlestibus. Reputa, quos tecum Deum concelebrantes habeas. Sufficit hoc tibi ad sobrietatem, cum perpenderis, quod corpore circumseptus et carni implicatus, cum incorporeis virtutibus communem omnium Dominum collaudare dignus sis habitus. Ne igitur dissoluto animo sacris et laudibus illis arcanis communices; ne sæculares cogitationes per illud tempus habeas : verum omnibus terrenis rebus ex mente ejectis, et ad cœlum totus translatus, perinde ac si prope ipsius solium gloriæ astares, et cum Seraphim volares, ita Deo sanctam per omnia laudem affer. Propterea enim honeste tempore divini sacrificii stare jubemur[2], ut humi repentes cogitationes erigamus : ut languore, qui ex vitæ hujus negotiis oritur, excusso, rectum coram Deo animum exsuscitare possimus. Non enim de manibus et genibus corporis dicit; neque enim cum cursoribus aut pancratiastis loquitur; sed interiorum cogitationum vires a tentationibus prostratas, exsuscitare his verbis hortatur. Divinæ enim communionis tempore[3], fratres, non homines solum horrendum illum clamorem vociferantur, sed et Angeli procumbunt Domino, et Archangeli orant : nacti enim sunt tempus opportunum, et oblationem auxiliantem. Et quemadmodum homines ramos olearum recisos Regibus protendunt, per stirpem illam, misericordiæ et humanitatis ipsos admonentes : ita scilicet et Angeli tunc pro ramis olearum,

[1] Ex serm. 3 de Incomprehensibili. — [2] Ex eodem. — [3] Ibid.

corpus Domini protendentes, Dominum pro natura humana precantur, tantum non dicentes : Pro his rogamus, quos tu prior ita diligere dignatus es, ut tuam ipsius animam traderes : pro his supplices preces profundimus, pro quibus ipse sanguinem fudisti : pro his oramus, pro quibus corpus hoc hostiam obtulisti. Unusquisque igitur secum reputet, quemnam defectum emendaverit[1], quod bonum opus insuper acquisierit, quod peccatum absterserit, in quo melior sit factus. Ac si quidem augmenti aliquid ex jejunio sibi accessisse deprehendat ad præclaram hanc mercaturam, sibique conscius sit multam se vulneribus curam adhibuisse, accedat : si vero sine cura manserit, solum quidem jejunium ostendere habens, in aliis vero nihil profecerit, foris maneat; et tunc ingrediatur, ubi omnia delicta expurgaverit. Eum enim, qui corporis imbecillitatem prætendens[2], non jejunat, veniam obtinere consentaneum est : qui vero errores suos non correxerit, hunc excusationem invenire, fieri non potest. Quid enim facturi sumus, si ignaviæ in conventibus Deus rationes exposcat? Certe enim nostis, quod frequenter ipso per Prophetam nobis colloquente, multos et prolixos cum proximis sermones, de rebus nihil ad nos pertinentibus, habeamus. Si igitur omnibus aliis prætermissis, hujus delicti a nobis pœnas poscere voluerit, quænam salutis spes nobis futura est? Nec vero exiguum hoc peccatum existimare debes, sed si ejus magnitudinem cernere velis, in hominibus hoc ipsum perpendito, et tum absurditatis magnitudinem videbis. Audeas, Principe, imo etiam paulo honestiore aliquo amico tibi loquente, ipso deserto, cum fâmulo tuo sermonem jungere : et tunc videbis quantum facinus audeas, coram Deo hoc faciens. Si enim ille ex illustrioribus aliquis sit, etiam a te pœnas ob illatam con-

[1] Ex Serm. in statuas. — [2] Ex hom. 22 in statuas.

tumeliam sumere potest : Deus autem, qui tot et his multo pluribus injuriis in singulos dies afficitur, idque non ab uno aut duobus aut tribus hominibus, sed fere ab omnibus nobis, sustinet et patienter fert. Ac cum terreni quidem Regis iram placare vultis[1], omnes cum liberis et uxoribus concurritis, frequenterque judicio condemnatum Regis iræ eripitis : cælestem vero Regem propitium reddituri, et ab ipsius ira non unum, aut duos, aut tres, aut centum, sed omnes in orbe terrarum peccatores liberaturi foris considetis, nec in communi omnes concurritis, ut Deus vestram concordiam reveritus, et illis pœnam remittat, et vobis det veniam delictorum? Sive enim in foro, illo tempore verseris, sive domi, sive in negotiis inevitabilibus, nonne quovis leone vehementius, omnibus vinculis diruptis, ad communem supplicationem profugies? et quam habebis spem salutis? Quid enim Dei Ecclesia potentius esse potest[2]? Ne mihi mœnia et arma dicas : Mœnia tempore veterascunt; Ecclesia vero nunquam senescit. Mœnia barbari destruunt : Ecclesiam vero ne dæmones quidem superant. Et quod non ad inanem speciem hæc dicantur, res ipsæ testantur. Quam multi oppugnarunt Ecclesiam : atque ipsi quidem oppugnatores perierunt, ipsa vero supra cœlum ascendit? Tanta magnitudine prædita est Ecclesia : cum oppugnatur, vincit : cum appetitur insidiis, superat : cum injuria afficitur, splendidior efficitur. Scitis diem illum, quo contra nos movebantur arma, et furor militaris incendio sævior, et nos ad regia palatia abducebamur, et spectaculum fiebamus orbi terrarum? sed per divinam gratiam nihil nos illorum attonitos et consternatos reddit. Quid ita? Quia nullum in rebus præsentibus est malum. Quod enim malum est? an mors? at hæc malum nullum est : continuo enim ad portum proficiscimur. An bono-

[1] Ex hom. de incomprehensibili Dei natura. — [2] In Serm. de Eutropio.

rum publicatio? Nudus egressus sum, nudus quoque abibo. An exilium? Domini est terra et plenitudo ejus. An calumnia? Gaudete cum dixerint omne malum verbum adversum vos, quia merces vestra copiosa est in cœlis. Etsi enim abducebar, ea tamen res mihi probro non fuit : solum enim peccatum probrum est; licet totus terrarum orbis te infamaverit, tu vero te ipsum non infamaveris, non es infamatus. Sola proditio est, conscientiæ : ne te prodat conscientia, et nullus te prodet. Reducebar, videbamque opera, imo vero verba mea opera fieri; et quod verbis vobiscum egeram, in foro operibus prædicari.

Vellem igitur scire[1], ubi agant ii, qui communionem neglexerunt, quique hac sacra mensa sese abstinent. Imovero probe scio: aut enim de absurdis et ridiculis rebus colloquuntur, aut vitæ hujus affixi sunt curis : utrorumque vero studium venia caret, extremamque meretur animadversionem. Ac de priore quidem neque verbis opus est, neque demonstratione. Quod autem neque ii, qui rem familiarem et intolerabilem inde necessitatem orientem nobis prætendunt, veniam consequi possint, eo quod non pluris faciant spiritualia quam terrena, cuivis manifestum est. Quis enim famulus, quæso, rei suæ domesticæ curam unquam geret, priusquam herile ministerium impleverit? Quomodo igitur absurdum non est, inter homines quidem, ubi nudum nomen est dominatio, tantam dominis exhibere reverentiam et obedientiam; eum vero, qui non modo noster, sed et supernarum Virtutum dominus est, ne eo quidem ipso, quo conservos nostros dignamur, cultu dignari? Utinam fieri posset[2], ut illorum animum oculis vestris ostenderem, et videritis sordescentem, squalentem, profligatum, dejectum atque diffidentem. Sicuti

[1] Ex hom. quæ est increpatio contra eos, qui absunt : et in præf. epist. ad Cor. — [2] Ex interp. Psal. 11 vel 12.

enim corpora, quibus balnea non adhibentur, multo squalore et sordibus plena sunt, sic anima quoque, quæ spirituali non fruitur doctrina, multas peccatorum sibi circumpositas habet maculas. Utinam fieri posset, ut corda eorum, qui se a communione abstinent, aperiremus: utinam possetis in conscientiam ipsorum penetrare, tunc sane videretis, quam multis vulneribus referti sint, quam multas spinas habeant. Nam quemadmodum terra, nisi agricolarum manibus colatur, horrescit et silvescit: sic animus quoque spirituali doctrina destitutus, spinas ac tribulos producit. Nam si nos, qui quotidie Prophetarum et Apostolorum auscultationis participes sumus, et assidua carmina ex sacris scripturis affectionibus nostris occinimus, vix tamen excandescentem animum cohibemus, vix iram frenamus, vix invidiæ tabem ejicimus, vix sedamus concupiscentiam, vix impudentes feras coercemus: quam spem salutis habebunt illi, qui hanc medicinam non adipiscuntur, neque divina doctrina fruuntur? Quemadmodum enim qui e portu egressus est, ubique errat, et qui lumine caret, in multa impingit: ita etiam, qui in oblivionem incidit timoris Dei, sollicitudinibus et curis ac doloribus continue traditur. Et sicut quando Deus nos protegit et nobiscum est, tristia e medio tolluntur; ita ipso recedente, nosque oblivioni tradente et anima discinditur, et cor dolore cruciatur; et contristantes insultant; ut segniores, dum ab omnibus mordentur, majore studio redeant, unde exciderunt. « Corripiet enim te aversio » tua, inquit, et malitia tua arguet te[1]. » Divinæ igitur etiam providentiæ species est derelictio. Cum enim providens atque prospiciens contemnitur, dimittit aliquantulum et derelinquit, quo deinde profligata socordia, qui negligentes erant, diligentiores evadant. Multos ex iis qui

[1] Jerem. II, 19.

pridem nos deseruerunt, et ad spectacula iniquitatis transfugerunt, hodie præsentes esse arbitror[1] : et optarem me istos certo cognoscere, ut eos sacris liminibus ejicerem; non ut continue foris maneant, sed ut correcti denuo revertantur. Quoniam et patres, suos filios, si offendant, domo ejiciunt, et a mensa arcent : non quidem, ut semper hisce priventur, sed ut meliores etiam ista correctione facti, cum debito honore ad paternam hæreditatem revertantur. Hoc porro etiam pastores facere solent. Oves enim scabie plenas a sanis arcent, ut a morbo liberatæ, secure denuo ad sanas redeant, et ne morbidæ universum gregem illo vitio repleant. Hanc ob rem nos quoque istos scire cuperemus. At quamvis eos discernere oculis nequeamus, omnino tamen sermo ipsos deprehendet, et ubi conscientiæ ipsorum inhæserit, facile persuadebit, ut sponte seipsos subducant : docens, illum solum intus esse, qui dignam præsenti conversatione mentem ostendit ; sicuti qui perverso vitæ instituto, hujus sacri cœtus est particeps, licet corpus huc adducat, ejectus tamen est, magisque, quam qui foris exclusi sunt, nec sacra mensa participare possunt, expulsus. Illi siquidem secundum Dei leges ejecti et extra manentes, bonam interim spem habent ; ac si errata corrigere velint, per Ecclesiam, qua expulsi sunt, pura conscientia denuo redire poterunt : qui vero se ipsos contaminaverunt, et moniti ne prius ingrediantur, donec a macula peccatorum sint expurgati, deinde impudenter se gerunt, gravius suum vulnus reddunt. Non enim tam grave est peccatum, quam post peccatum impudentia. Multi semel in anno mysteriorum fiunt participes[2] ; alii bis, alii vero crebro. Quos igitur ex istis probabimus? eos qui semel? an qui crebro? an qui

[1] Ex hom. de Davide et Saule. — [2] Ex Serm. *voluntarie enim peccantibus.*

rarius? Neque qui semel, neque qui crebro, neque qui raro : verum eos, qui cum pura conscientia, qui cum puro corde, qui cum irreprehensibili vita. Hujusmodi semper accedant. Qui vero ejusmodi non sunt, ne semel quidem : judicium enim sibi accipiunt atque damnationem. Ut enim alimentum natura alendi vim habens, si in eum, qui stomachi vitio cibum fastidit, incidat, omnia destruit et corrumpit, fitque morbi occasio, ita sane et tremenda illa mysteria. Mensa spirituali frueris, mensa regia, et corpus iterum cœno inquinas? unguento id ungis, et rursus fœtore reples? Putas tibi sufficere ad peccatorum universi temporis expurgationem, si anno vertente communione participas, et rursus, exacta septimana, te prioribus tradis? Age, dic mihi, si, cum a diuturno morbo ad quadraginta dies convaluisses, ad illas res, quæ morbum tibi conciliaverant, te rursum referres, nonne et priorem laborem perderes? Quod si mutantur naturalia[1], multo magis quæ electionis et arbitrii sunt. Ac si os oleat, ne communibus quidem cibis vesceris: tanta vero graveolentia in animo cum sit, mysteriis, quæso, participare audes? Et quam veniam consequeris? Ait enim divinus Apostolus : « Qui » manducat et bibit calicem Domini indigne, judicium sibi » manducat et bibit[2] : » hoc est, eamdem pœnam dabit, quod supplicium sustinebunt illi, qui Christum cruci affixerunt? Quemadmodum enim illi jugulatores rei facti sunt corporis, ita et hi qui indigne mysteriis participant. Sicut enim, sive quis disrumpat regiam purpuram, sive luto contaminet, ex æquo contumelia Regem, qui eam induit, affecerit : ita hic quoque, et qui peremerunt corpus Dominicum, et qui impura mente id acceperunt, perinde ludibrio habent, atque is qui regium indumentum. Judæi

[1] Ex 2 ad Corinth. — [2] Ex serm. *quod periculosum ad gratiam concionari.*

quidem cruce id diruperunt; qui vero impuro ipsum animo accipit, contaminat. Quocirca, licet diversa peccata sint, at æqualis tamen contumelia. Hoc multos pupugit, hoc multos perturbavit, momordit audientium conscientiam: imovero non audientium modo, sed et meam ipsius dicentis, priusquam vestram. Communis enim hæc doctrina, communia vulnera: quocirca etiam communia medicamenta appono. Hoc divinæ benignitatis opus extitit, ut et qui dicit, et qui audit, iisdem legibus subjaceant; eadem natura participent: ex æquo obnoxius sit, quisquis transgreditur. Quid ita? ut moderate increpet: ut pronus sit ad ignoscendum peccantibus; ut memor propriæ infirmitatis, non intolerabiliter corripiat. Si igitur aliquem ex iis [1], qui tecum congregantur, scortantem, et ad mysteria accedentem videris, dic eorum dispensatori: iste indignus est mysteriis, prohibe profanum sacris. Nam si talis dignus non est, qui justa Dei facta enarret, cogita quousque augescet illi supplicium, si sacram etiam mensam attingat: neque vero ipsi tantum, sed et tibi occulenti. Non enim dixit, et adulterium patrabas; sed, « Cum adulteris por» tionem tuam ponebas [2]. » Papæ, quantum malum est occultare aliorum putredines? Socium enim te esse dicit supplicii, quod illi delicto debetur. Et merito. Ille enim affectionem dicere habet, tametsi hic prætextus veniam non meretur. Quam igitur ob causam, cum voluptate non fruaris, pœnæ te facis socium et participem? Nec enim mihi verbum illud, multa stoliditate plenum dicas: Quid mihi curæ est? ego res meas curo. Tunc enim maxime res tuas curabis, si eas in proximi commodo quæras: prout enim Paulus dixit, Nemo quæ sua sunt, quærat; ut quod suum est inveniat. Cum enim qui peccavit, viderit, quod omnes ipsum aversentur, grande quid et scelestum se

[1] Ex Interp. Psal. 42. — [2] Psal. XLIX, 18.

commisisse existimabit: Si vero non modo non indignari alios, aut improbare conspexerit, sed etiam placide ferre et adjuvare, tum conscientiæ quoque corrumpit judicium, multorum suffragio corruptæ ipsius menti opitulante. Multi non ferentes graves in vos reprehensiones, post reditum accedentes indignati sunt, et conquesti; abducis nos, dicentes, a sacra mensa, et a communione repellis? Ideo vero hæc dicere coactus sum, quia non abduco, sed potius congrego: neque repello aut arceo, sed potius reprehensionibus allicio. Metus enim supplicii in delinquentium conscientiam[1], velut ignis in ceram, incidens, destruit ac consumit peccata, continue insidens; ac interim purum et nitidum reddens animum, majorem nobis addit fiduciam. Et sicut qui acerbas medicinas cibos fastidientibus porrigit et pravos humores expurgat, appetitum prostratum excitat, efficitque ut majore cupiditate consuetum cibum sumat; ita scilicet qui asperis verbis utitur, et pravas animi cogitationes expiat, et gravem peccatorum sarcinam tollit, conscientiam respirare curat, et ad corpus Dominicum magna cum voluptate degustandum præparat. Merito igitur beatus Paulus dixit[2]: « Obedite præpositis » vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi ra- » tionem redditu ri pro animabus vestris[3]. » Tu quidem, quæ tua sunt, curas: ac si hæc bene constituta sint, nullam jam cæterorum rationem habes: sacerdos autem, licet vitam suam bene instituat, tuæ vero non diligentem curam habeat, cum improbis in gehennam abibit. Et frequenter a suis delictis non proditus, propter aliena perit. Sed quoniam acrius eos[4], qui indigne divinis mysteriis participant, pupugimus, operæ pretium est, ut ad vos quoque, qui ministratis, sermonem deinceps convertamus, ut

[1] Ex Serm. *Non esse ad gratiam concionandum.* — [2] Ex Interp. Evang. S. Joan. — [3] Hebr. XIII, 17. — [4] Ex comm. in Matth.

multa cum diligentia hæc dona dispensetis. Neque enim parva vobis pœna impendet. Nam si scientes aliquem esse improbum, hac mensa participare eum permittatis, sanguis ejus e manibus vestris exquiretur. Sive is dux exercitus, sive præfectus sit, sive ille ipse, qui diademate circumdatus est, si indignus accedat, prohibe: majorem ipso potestatem habes: cave ne irrites Dominum, non expurgans corpus hujus. Ne gladium loco alimenti porrigas: verum, etiamsi ille ob infirmitatatem veniat, ut accipiat, prohibere ne metuas. Metue Dominum Deum, non hominem. Si hominem metueris, et ab ipso irrideberis, et Dominum irritabis: sin Deum, et hominibus venerabilis eris, et ipsi charus. Quod si ipse non audes, ad me adduc; non patiar eum hæc audere: anima deficiar prius, quam sanguinem Dominicum præter dignitatem porrigam; et meum ipsius sanguinem profundam prius, quam sanguinem tremendum, tam secus quam convenit, porrigam. Melius enim est multo, vita privari propter Deum, quam propter vitam, ipso Deo, quem decet gloria, imperium nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

De Providentia.

Quam ob causam non ab initio Deus inimicum[1], postquam decepisset, delevit: Si vi dominaretur, haberet rationem aliquam hæc quæstio: si vero hæc facultas ipsi ablata est, tantumque suadet, ac non parere, in nostra est

[1] Ex orat. ad Stagirium.

potestate; quare laudis occasionem nobis adimis, et coronarum excutis materiam? Item aliter, si reliquit eum, sciens ipsum omnes superaturum, nec sic res est digna cur vocetur in dubium. Nam quod ille vincit, a nobis est, qui volentes inclinamur, non cogimur. Quod si multi fuerunt jam superiores, multi vero etiam deinceps erunt, quid futuros in existimatione, tanto privas honore? Sed non omnes erunt illo superiores. Generosos tamen multo justius est occasiones accipere, in quibus institutum probent eos vero, qui tales non sunt, a propria socordia puniri, quam propter hos, illos damno affici. Malus enim enim et si patitur injuriam, non tamen ab adversario, sed a sua segnitie: quod multitudo vincentium declarat. Verum tunc boni insidiis appetiti essent a malis, si non haberent ubi fortitudinem exercerent. Sic autem oris etiam et oculorum formationem accusare poterunt. His enim appetunt multi, quæ non oportet, et in adulterium incidunt: illo autem conviciantur, et perniciosa decreta efferunt alii. Numquid igitur sine lingua et oculis homines factos oportebat? Ergo et manus et pedes amputabimus? nam illæ sunt plenæ sanguinis, hi vero ad malitiam currunt. Ad hæc vero, aures quoque, quod vanum auditum recipiant, et doctrinarum depravationem in animum transmittant? Quod si hæc, etiam esculenta et poculenta, et cœlum et terram et mare, lunam etiam et stellarum chorum. Ubi enim hæc erunt utilia, si is, propter quem facta sunt, tam miserabiliter sit concisus? Vides risum et absurditatem, in quam orationem perduci necesse est? Diabolus sibi malus est, non nobis. Nos enim si velimus, etiam bona multa, per eum, veluti fructus, consequemur: invito quidem ipso et nolente: miraculum vero in hoc majus erit, ac benignitas Dei uberior. Quod enim homines me-

liores evadant, ipsum quidem mordet etiam per se, ac dolore afficit. Quando autem etiam per ipsum hoc nobis conciliatur, nec ferre potest contumeliam. Nisi Deus, dicunt quidam, concessisset, non potuisset adoriri diabolus, nec decipere hominem ab initio. Quid igitur ad hæc dicemus? nimirum, si hoc factum non esset, scire non potuisse Adamum, quantum bonum habuerit; nec unquam ab illa arrogantia recedere. Is enim cum tanti se faceret, ut etiam Deum se futurum speraret, quid non fuisset ausus non compressus moderatione? Ponamus vero diabolum nec consilium dedisse; an propterea, hoc non facto, peccare non potuisset? Non est hoc dicendum: qui enim tam facile fuit a muliere persuasus, hic etiam, si diabolus non fuisset, cito per se in peccatum incidisset. Qui enim tam facile deceptionem admittebat ab alio, is etiam antequam deciperetur, segniter ac molliter affectus erat: neque enim tantum ille potuisset, si sobrio ac vigilanti animo collocutus fuisset. Et qua de causa Deus tale præceptum Adamo dedit, cum eum peccaturum sciret? Quod etiam præceptum dare, est majoris curæ quam non dare. Habeat enim Adamus propositum ita languidum, ut eum habuisse finis docuit; ac nullum præceptum accipiat, sed pergat delicate vivere: an infirmitas et socordia ex ista remissione ad pejus, an ad melius promovisset? sed omnibus manifestum est, quod sine cura vivens, in extremam malitiam incidisset. Cum enim is, qui nondum sperare immortalitatem poterat, sed sublimem adhuc istam spem esse noverat, ad tantam insolentiam et arrogantiam elatus sit, ut deum se fore speraverit, idque cum nusquam fidelem eum esse conspiceret, qui hæc promittebat; quo arrogantiæ progressus non fuisset, si firmam habuisset immortalitatem? Quare autem non peccasset? quando Deo paruisset? Nam qui post acceptum mandatum tantopere eum contempsit, qui man-

datum ipsi dederat, si nihil omnino ab eo audivisset, fortassis etiam ignorasset se dominum habere. Si nemo improborum hic puniretur, neque probus honore afficeretur, multi ex iis, qui resurrectionis doctrinam non credunt, virtutem quidem tanquam causam malorum fugerent: vitium autem veluti bonorum conciliatorem sectarentur. Si rursus hic omnes secundum meritum reciperent, superflua putassent ac falsa, quæ de judicio dicuntur. Ne igitur vel sic diffideretis, neque multitudo vilioris populi deterior fieret contemnendo, multos peccantium etiam hic ulciscitur, et quibusdam recte facientibus dat præmia: eo quidem, quod non omnibus hoc facit, doctrinam de judicio confirmans: quod autem aliquos etiam ante judicium punit, profundo somno demersos excitans. Ex eo enim, quod mali puniuntur, fit, ut multi exurgant, timentes ne eadem patiantur: eo autem quod non omnes hic pro merito accipiant, coguntur cogitare, quod hoc in aliud opportunum tempus reservetur. Quapropter cum Caïn peccasset, Deus non statim eum sustulit, ut omnes deinde per eum castigarentur, melioresque fierent per ipsius reprehensionem. Nec enim æquale est audire, quod Caïn aliquis, occiso fratre, mortuus sit, et eum, qui occidit, pœnas luentem videre. Etiamsi enim tunc, quod dicebatur, ob nimium odium non crederetur, jam tamen in conspectu positus et præsens, et multos in longum tempus supplicii sui testes faciens, manifestum ac credibile factum redderet, et iis qui tum erant, et qui deinceps futuri erant. Præterea, si ipsum quidem Deus statim interemisset, non dedisset illi tempus pœnitentiæ ac emendationis. Tunc vero in tremore et metu vitam agens, nisi admodum stolidus fuisset, et bestia potius quam homo, magna ex ista vita referre potuisset emolumenta. Præter hæc vero, minus futurum supplicium ipsi per hanc pœnam reddebat. Quæ enim in

præsenti vita a Deo tristia aut supplicia nobis immittuntur, ea non modicam futurorum suppliciorum partem tollunt. Idcirco Deus non omnes simul punire consuevit, qui iisdem sunt pœnis digni, ut reliqui illorum periculis fiant meliores. Sæpe tamen etiam omnes simul punit, sicut in diluvio, ut illi quidem longius in malitia progredi prohibeantur, posteri vero ipsorum, plus illis lucrentur; fermento, ut ita dixerim, et materia vitiorum e medio sublata una cum iis, qui ea perpetrarunt: et ne tot improbitatis magistros habeant. Cum enim etiam absque exemplo homines facile invenire mala possint, quid facturi fuissent multis existentibus, qui eos ad pravas actiones cohortarentur? Hoc ergo unum persuasum nobis esse debet, omnia nobis utiliter a Deo administrari: modum autem non amplius esse quærendum; neque ignorantibus moleste ferendum, aut animum demittendum. Nec enim possibile est hæc scire, neque utile: alterum quia mortales sumus: alterum, quia cito in dementiam rapimur. Vult enim Deus etiam eos, qui ipsi non credunt, mutatione servari: sicut et ipse dicit, « Non veni vocare justos, sed » peccatores ad pœnitentiam[1]. » Et si tantam curam nacti meliores fieri nolint, et veritatem agnoscere; ne sic quidem ipsos deserit: sed postquam se ipsos cælesti vita volentes privarunt, præsenti saltem vitæ necessaria ipsis largitur oriri faciens solem super malos et bonos, et pro pluens super justos et injustos; atque alia omnia præstans, quæ ad hujus vitæ statum pertinent. Quod si inimicorum tantam habet curam, quomodo illos, qui ei credunt, et pro viribus ipsum colunt, negliget? Et quare non e medio sublatus est diabolus[2]? Sit unus adversarius, sint et pugiles duo cum illo certaturi: et horum duorum athletarum alter quidem ingluvie corruptus, neglectus, infirmatus,

[1] Matth. IX. — [2] Ex Serm. cur non de medio sublatus sit diabolus.

enervatus: alter vero aliquid agat honeste, bono sit habitu corporis; versetur in luctis, in multis exercitationibus, atque omne studium in certando ostendat. Si igitur adversarium tollas; utri ex illis nocuisti? An ignavo et negligenti; an diligenti et qui tanta fecit laborando? Patet, quod diligenti et acri nocueris. Hic enim propter ignavum affectus est injuria, sublato adversario: sed ignavus hoc relicto, nequaquam propter diligentem, læsus est: ex propria namque ignavia prolapsus est. Infirmus igitur instituto et neglectus et ignavus, etiamsi nullus diabolus sit, cito cadit, ac in multa barathra vitiositatis se ipsum præcipitat. Si etiam ad nostra membra veniamus, easdem quoque perditionis causas inveniemus, ubi non advigilamus. Perpende autem: oculus est datus, ut videns quod est conditum, conditorem prædices et dominum: si autem non honeste oculo fueris usus, adulterii tibi fit conciliator. Lingua data est, ut laudes cantes, et conditori benedicas: verum si non recte advertis, maledicentiæ tibi et turpiloquii fit causa. Manus datæ sunt, ut eas ad orationes extendas: at si non sis sobrius, ad avaritiam eas extendis. Pedes dati sunt, ut ad bona opera curras: sed si negligas, malas per eas habebis actiones. Vides, quod omnia lædant infirmum, atque ipsa etiam salutaria remedia in mortem protrudant? non tamen ex propria natura, sed ex illius imbecillitate. Solus divinus aspectus ad perdendum malos satis est[1]. Nam si dæmonum robur infirmat Sanctorum præsentia, multo magis Dei. Quando videmus rerum dissipationem et perturbationem[2], ne Deum accusemus, ne putemus improvisa esse præsentia: non enim rerum cursus est vere dissipatio et perturbatio, sed in hunc modum affecta cogitatio; quæ licet decies millibus ordinibus utatur quousque dissipationem, quæ

[1] Ex interp. Psal. 123. — Ex 1 Serm. de Providentia.

in ipsa est, et perturbationem correxerit; nihil ei ordo in rebus prodest: sed quemadmodum oculus cum ægrotat, in meridie clarissima videbit tenebras, et alia pro aliis, ac nihilo radiorum plus ei erit; bene autem valens et firmus, ad vesperum etiam secure corpus ducere poterit: sic et mentis nostræ oculus, donec firmus erit, etiamsi cernat quæ confusa videri possint, tanquam pulchra intuebitur: si autem fuerit corruptus, etiamsi in ipsum cœlum eum induxeris, ea quæ ibi sunt, magnæ dissipationis et perturbationis condemnabit. Idcirco Deus nec ab omnibus pœnas in hac vita sumit[1], ne condemnes resurrectionem, nec judicium desperes, quasi omnes hic rationem reddant: nec sinit omnes impune abire, ut ne putes omnia carere providentia. Si quis non credit esse resurrectionem, cogitet quam multa ex iis quæ non sunt, fecerit Deus, et necessariam etiam de illa recipiat probationem. Et enim terram sumptam miscuit et fecit hominem, terram, inquam, quæ antea non erat. Quomodo igitur terra facta est homo? Et quomodo ipsa, quæ non erat, adducebatur? Quod vero fulcrum habet? Et quid post terram est? Et quid rursus post illud? Quomodo vero ex ipsa producta sunt omnia ratione carentium infinita genera, et seminum et stirpium? Hoc enim est resurrectione incertius. Non enim est æquale, iterum accendere lucernam extinctam, et ostendere ignem omnino non apparentem: nec domum collapsam reparare, ac producere quæ non sit omnino. Illic enim, si aliud nihil, materia tamen adfuit: hic autem nec substantia visa est. Propterea, quod nobis difficilius videtur, prius fecit, ut ex eo proponeret exemplum illius quod est facilius. In ortu etiam nostro, nonne parum seminis rudis et indistincti injicitur in uterum ipsum suscipientem? Unde ergo est

[1] Ex comm. in epist. ad Corinth.

tanta animantis efformatio? Quid vero frumentum[1]? nonne granum nudum in terram injicitur? nonne postquam injectum est, putrescit? Unde spicæ et aristæ, culmi et alia omnia? Nonne fici parvum granum sæpe in terram illapsum, radicem tulit, et ramos et fructum? Ergo-ne horum quodlibet accipis, nec ea curiose scrutaris, a Deo autem solum rationem poscis in formando nostro corpore? Et quomodo merentur hæc veniam? Cujus autem rei causa diabolum, qui tam pravus est, ut nos supplantet, reliquit Deus? ut dum metu compelleremur, et hostis aggressionem expectantes, multas vigilias et continuam sobrietatem ostenderemus. Et quid mirum tibi, si diabolum propter hoc reliquit? Nam cum curam gereret nostræ salutis, nostramque socordiam excitaret, ac materiam coronarum præpararet, ipsam ideo paravit gehennam, ut supplicii metus et pœnæ gravitas ad regnum nos compelleret. Si ergo boni aliquid feceris[2], et mercedem ejus hic non acceperis, noli turbari: cum augmento in futuro tempore, horum retributio te manet. Ac si mali quid egeris, nec pœnam dederis, ne confidas: nam ibi te pœna expectat, si non mutatus et melior factus fueris. Tumultuaris et impatienter fers[3], atque omnia perturbatione comples, cum vides multos in pravitate viventes et bene feliciterque habere, et frui præsentibus; dolesque de patientia Dei. Quid facis? dic mihi. Quot insident et infestas faciunt vias? Quot parietes perfodiunt? quod mortiferis venenis multos perdiderunt? Num igitur judicem de his accusamus? nequaquam. Si enim hos comprehensos censuræ subjiceret, et injuria quidem affectum puniret, eum vero qui fecisset, honoraret et coronatum dimitteret, accusatione revera dignus esset, et extremis criminationibus:

[1] Ex comm. in Hexaëm. — [2] Ex interp. Evang. Matth. — [3] Ex hom. 2 de Fato.

cum autem nondum sint judicio traditi, actionem ipse intentas et prævenicndo condemnas? Cogita actiones vitæ tuæ, homo, in conscientiam tuam ingredere; et non modo non laudabis calculum tuum, sed sententiam etiam mutabis; et mansuetudinem amplecteris tam benigni Domini, gratiamque habebis pro patientia, injuriarum tolerantiam in ipso admiratus. Nam si unusquisque pensurus esset peccatorum pœnam, statim cum sunt commissa, non posset fieri, quin jam olim nostrum genus sublatum esset. Ne igitur fratres, labamur. Non enim tam salutem nostram nos curamus[1], quam is qui nos fecit: nec tam nobis curæ est, ut nihil adversi patiamur, quam est ei, qui nobis animam est largitus, Deo. Nec enim in calamitatibus semper homines relinquit Deus[2], ut non succumbant; nec in quiete, ut non segniores fiant: sed vicissitudinibus salutem ipsorum variat. Nam si navigium absque rectore non consistit[3], sed facile demergitur: quomodo mundus tamdiu constitisset, si nemo ipsum gubernaret? Et ne quid nimium dicam, finge navim esse mundum, velut carinam subjacere terram, velum ejus cœlum, homines conscensores; mare subjectam profunditatem: Quomodo igitur per tam longa tempora non factum est naufragium? Relinque navim igitur unum diem sine rectore ac nautis, et statim videbis eam demergi. Sed mundus nihil tale passus est, cum duraverit quinquies mille, et multo plures annos. Et cur dico de navigio? parvum quis tugurium inter vites construxit, et postea collecto fructu, illud deseruit, ac sæpe nec duos dies perdurat, sed dissolvitur et cito prosternitur. Ergo-ne tugurium stare non poterit, nisi sit qui ei prospiciat; et tantum opus, tam pulchrum et tam admirandum, quomodo sine alicujus providentia in tempus tam longum stabile manebit? Considera mihi pul-

1 Ex hom. in statuas. — 2 Ex interp. Ps. 123. — 3 Ex hom. in statuas.

chritudinem cœli, quanto tempore duraverit, et non sit obscurata. Considera mihi vim terræ, quomodo venter ipsius tanto jam tempore pariens, non defecerit. Considera mihi fontes, quomodo scaturiant, et non defecerint, ex quo sunt conditi. Considera mihi mare, quot fluvios recipiens, modum suum non transierit. Jure de illorum quæ dicta sunt, unoquoque dicitur: « Quam magnificata sunt » opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti[1]. » Quomodo enim absurdum non est, fabro quidem assidere, et lignum dividentem ac dissecantem videre[2], nec rationem petere aut reprehendere; in medicum item, qui carnem urit et secat, et in caveam includit, fameque affligit morbo laborantem, non inquirere, sed quiescere et tacere; ineffabilem vero sapientiam et immensam benignitatem curiose scrutari, et anxio nimioque labore inquirere? Et auxiliari quidem pecuniasque profundere pro injuriam patientibus non facile volent: examinant vero omnino quare hic pauper; cur ille mendicus, ille vero dives sit. Non deorsum vultum demittis, et te ipsum condemnas, ac frenum linguæ imponens, animum cohibes; abjectaque nimia istarum rerum inquisitione, curiositatem hanc ad propriam tuam vitam convertis? Inspice ea quæ a te sunt gesta; in pelagus peccatorum tuorum; ac si curiosus es et negotiosus in alienis, a te ipso exige rationes dictorum et factorum, quæ male protulisti, quæ turpiter fecisti. Nunc vero te ipsum quidem inexcussum relinquis, sedens vero Deo jus dicis, et peccatis tuis addis peccata. Et quomodo hæc non sunt digna punitione? quam utinam omnes nos effugiamus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui sit gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CIII, 24. — [2] Ex interp. Psalm. 33.

HOMILIA XI.

De divitiis et paupertate.

MATTHÆO CROMERO INTERPRETE.

Cum præter meritum quempiam divitem esse videris[1], ne beatum judices, ne dignum æmulatione censeas, ne condemnes Dei providentiam, ne arbitrere casu ac temere ferri præsentia. Recordare Lazari et divitis, quomodo hic quidem ad summum opulentiæ ac luxuriæ progressus est, cum esset crudelis, immitis, inhumanus et quibusvis canibus efferatior. Siquidem hi pauperem miserabantur et curabant, non refugientes lingua attingere ulcera, quæ totum corpus oppleverant: hic vero nec micas ipsi porrigebat. Pauper vero ille, revera dives, revera copiosus, in extremam paupertatem decidit, ipso etiam necessario alimento deficiente, et cum morbo ac fame continue luctabatur. Ac ille quidem plura, quam usus postularet, habebat; hic vero ne modicis quidem potiebatur. Sed tamen non gravate tulit, non incusavit Deum, non conquestus est de providentia. Quomodo igitur absurdum non sit, eos quidem qui malo afficiuntur, ita de omnibus gratias Deo agere; te vero extra certamina positum de his Deum conviciis incessere, quæ alii gratis animis perferunt? Nam is quidem, cui adversi quid accidit, si quod verbum odiosum et grave dixerit, etsi non tantam quantam alius, sed tamen minorem veniam consequitur. At qui extra res ad-

[1] Ex hom. 4 de Fato.

versas positus, ipse aliorum causa perditum it animam suam, quanam venia dignus fuerit, si de iis Deo convicietur, pro quibus is, qui malo afficitur, gratias agit, nec unquam cessat eum laudibus extollere? Quam enim ob rem[1], o homo, ejusmodi tibi divitiæ videntur, quas oportet magno studio consectari? Propter voluptatem scilicet eam, quæ ex mensis percipitur? An propter honorem, propter satellitium eorum, qui per talia te colunt? An, ut eos qui molesti sint, ulcisci, atque omnibus formidabilis esse possis? Neque enim alias causas habes dicere, præter voluptatem, adulationem, et metum et ultionem. Non enim sapientiorem, neque temperantiorem divitiæ reddere solent: non commodum, non humanum, non ullam aliam virtutis partem in animam inducere et inserere. Nec dicere potes, te propter horum aliquid eas consectari ac desiderare. Non solum enim non norunt quidpiam horum bonorum inserere aut excolere: sed etiam cum reposita inveniunt, vitiant et obturbant: quædam vero etiam revellunt, et his contraria inducunt. Sed de his non dicam: nam qui hoc morbo capti sunt, non sustinent audire accusari se et argui: toti voluptatibus addicti, et ob id ipsum servi facti. Propter hoc igitur, dic mihi, divitiæ vobis desiderabiles ac certamine dignæ esse videntur, quod gravissimas in nobis perturbationes alunt, iram ad opus excitantes et insani gloriæ studii ampullas majorem in modum attollentes, et ad superbiam exsuscitantes? Quin ob hoc maxime obstinate eas fugere oportet, quod feras quasdam immanes et molestas in animum nostrum inducunt, per quas eo quidem honore, qui ab omnibus defertur, privant: illi vero adversum coloribus illius illinunt, atque ita deceptis offerunt persuadentque, hunc illo majorem esse, cum non sit natura, sed in speciem potius esse videatur. Ut enim

[1] Ex hom. quod nemo lædatur nisi a se ipso.

meretricantium mulierum formæ frictionibus et fucis compositæ, pulchritudine quidem ipsa carent, turpem vero ac deformem faciem pulchram ac formosam seductis ostentant; ita divitiæ quoque infamiam loco honoris exhibent. Ne mihi enim eas acclamationes, quæ in propatulo propter metum et assentationem fiunt, intueare, sed conscientiam cujusque ex iis qui sic adulantur, explica, et videbis intus innumerabiles accusatores, qui contra te vociferantur, teque magis, quam qui maxime tibi inimici hostesque sunt, aversantur et oderunt. Quod si aliquando personam ex metu compositam rerum commutatio superveniens e conspectu subduxerit et redarguerit, ut facies illas sol radio calidiori immisso detegit, sic tunc probe cernes, te superiori tempore in extremo fuisse contemptu, apud eos qui te colebant: honorem vero tibi haberi putasse ab iis, qui te in primis oderant, et in extremis calamitatibus te videre cupiebant. Ut enim homo est animal vile, debile, exiguo tempore durans[1]; tale quid et ipsæ divitiæ sunt: imovero non tale, sed et infirmius quid. Nec enim una cum homine, sed etiam ante hominem frequenter extinguuntur. Et nostis omnes quam innumera hic exempla immaturarum divitiarum animadverteritis. Et possessor quidem vivit, possessio vero periit: et utinam ipsa sola periisset, nec possessorem simul perdidisset. Quare non erraverit quispiam, si divitias improbum servum vocaverit, servum sanguivorum et homicidam, servum cæde Domino gratiam referentem: et quod gravius est, non tunc cum ipsum reliquerit, in pericula conjicit, sed et priusquam reliquerit, tumultus ipsi ac turbas ciet. Enimvero, quis Eutropio sublimior[2]? nonne universum orbem terrarum divitiis anteibat? nonne ad ipsa honorum

[1] Ex Serm. in Ne timueris cum dives, etc. — [2] Ex Serm. in Eutropium.

fastigia evaserat? nonne omnes eum tremebant et formidabant? Ecce autem ipsis vinctis in carcere factus est miserior, et servis miserabilior, et fame tabescentibus mendicis indigentior, quotidie gladios exacutos cernens, et barathrum, et carnifices, et abductionem ad necem; nec novit quidem, an unquam in illa voluptate fuerit, nec illius vel radium sentit: sed in meridie, quasi densissima nocte circumdatus, ita visu orbatus est. Quin si maxime contendamus, non poterimus, sermone declarare dolorem, quantum eum consentaneum est sustinere, in singulas horas, ut capite plectatur, expectantem. Buxeum enim ejus vultum video, nihiloque melius affectum, quam qui semel jam nunc emortuus sit: sonitus vero et crepitus dentium, ac tremor ipsi totius corporis adest, et vox interrupta, et lingua soluta, habitusque talis, qualem lapideam illam animam habere par est. Non continue tibi dicebam, fugitivas esse divitias, et tu illa non sustinebas? Non dicebam divitias improbum servum esse, ac tu nolebas credere? Ecce in rebus ipsis experientia monstravit, non solum fugitivas et improbas esse, verumetiam homicidas. Hæ namque te nunc tremere et formidare fecerunt. Non dicebam tibi, cum assidue me vera dicentem increpares, quod ego te plus adulatoribus diligam? ego arguens obsequentibus magis curem? Non addebam his verbis, fideliora esse vulnera amicorum, quam involuntaria oscula inimicorum? Si mea vulnera pertulisses, oscula illorum mortem istam tibi non peperissent. Mea namque vulnera sanitatem præstant: illorum vero oscula insanabilem morbum effecerunt. Undenam hoc? Ex eo, quod humanarum rerum mutationes non cogitabas. Si enim metuisses mutationem, non subiisses mutationem. Sed quoniam neque per te ipse, neque ab aliis melior fiebas, ideo experimentum eorum quæ verbis dicebantur, reipsa sustinuisti. Semper

dico[1], quod divitiæ eos, qui male ipsis utuntur, produnt, et venit tempus re ipsa id verum esse ostendens. Quid eas retines, quæ in tentatione tibi nihil prosunt? Si vires habent, adsint tibi, cum in necessitatem incideris : si vero tunc fugiunt, quid opus habes ipsis? Hæc dico, neque dicere desinam : quamvis multi nobiscum expostulent. Semper dicit, inhæret divitibus. Enimvero et illi semper inhærent pauperibus. Ego vero inhæreo divitibus, imo non divitibus, verum iis, qui divitiis male utuntur. Semper dico, non divitem traducens, sed raptorem. Aliud dives, aliud raptor : distingue res ; ne confundas quæ impermixta sunt. Dives es? non veto. Raptor es? accuso. Habes tua? fruere. Aufers aliena? non taceo. Vis me lapidare? paratus sum et sanguinem profundere ; modo ut peccatum tuum prohibeam, non est mihi curæ odium, nec curæ est bellum. Unum mihi curæ est, ut proficiant audientes. Et pauperes mei filii, et divites mei filii sunt : idem uterus utrosque parturivit : eædem parturitiones utrosque pepererunt. Lapidet qui vult, oderit qui vult; pignora coronarum sunt mihi insidiæ, et numerus præmiorum, vulnera. Non metuo insidias : unum tantum metuo, peccatum. Modo ne quis me peccantem arguat, vel orbis terrarum bellum adversum me gerat. Videtis rerum humanarum vilitatem? Videtis imbecillitatem potentiæ? Videtis divitias, quas semper fugitivas appellabam, non solum fugitivas, sed etiam homicidas? Neque enim habentes se deserunt, sed jugulant etiam suos possessores. Cum quis eas colit, tum maxime eum produnt. Quare colis divitias, quæ nusquam retineri possunt? Vis eas retinere? ne defodias ipsas, sed da in manus pauperum. Feræ sunt divitiæ, si detineantur, fugiunt : si spargantur, manent. Distribue, ut maneant : ne defoderis ut ne fugiant. Ubi sunt divitiæ? libenter eos qui

[1] Serm. de Eutropio.

decesserunt, rogarem : ubi divitiæ? Hæc vero dico, non exprobrans, neque refricans ulcera, sed ex aliorum naufragiis, vobis portum parans. Etenim qui hodie dives est[1], cras pauper fuerit. Eoque sæpenumero risi testamenta legens, dicentia : Dominium quidem agrorum vel domus ille habeto, usum vero alius : omnes enim usum habemus; dominium nemo. Quamvis enim toto vitæ nostræ tempore penes nos maneant divitiæ, nullam mutationem admittentes, volentes nolentes moriendo eas aliis concedemus : usu quidem earum decerpto, eoque solo, non etiam dominio : sed nudi vacuique ad illam vitam demigrabimus. Unde planum fit, illos dominium habere, qui et usum earum contempserint, et fruitionem deriserint. Qui enim facultates abjecerit et pauperibus eas dederit, ille, ut oportet, rebus suis usus est, et dominium earum habens decessit. Si quis igitur earum et possessionem et usum ac dominium habere velit, facultates suas omnes dimittat: nam qui hoc non facit, moriendo quidem omnibus illis cedet; frequenter vero etiam ante mortem cum innumeris malis et periculis eas abjiciet. Nec hoc solum tam grave est, quod mutatio fiat, et repente, sed quod insuper dives ad sustinendam paupertatem immutabiliter proficiscatur. Quanam igitur de causa divitias appetendas esse putas[2], eosque qui eas possident, beatos judicas et æmularis? Quonam differt dives a paupere? Nonne unum corpus vestit? non unum ventrem alit? Cur vero etiam multos servos habes? Nam ut in vestimentis usum solum consectari oportet, et in mensa, sic et in servis. Etenim uno solo servo unum Dominum uti oportebat: imovero etiam duos aut tres dominos uno servo. Quod si grave hoc est, cogita eos qui nullum habent, et expeditiori cultura fruuntur. Propterea namque Deus manus nobis dedit et pedes, ut

[1] Ex hom. in statuas. — [2] Ex Serm. 3 in divitem et Laz.

ne servis indigeamus. Neque enim necessitatis causa servorum genus inductum est: quoniam cum Adam etiam servus formatus fuisset: sed peccati et inobedientiæ pœna hæc est atque coercitio. Quod si maxime necessarium sit servum habere, at unicum, aut alterum duntaxat. Nam quid tibi vult multitudo servorum, et insolenter incedere in foro? An inter feras ambulas, quod obvios abigis? Ne metuas : nemo mordet eorum qui accedunt, et prope te ambulant. At enim contumeliam ducis, pariter cum omnibus incedere? Quantæ vero hoc dementiæ est, equum prope sequentem, contumeliam afferre non putare, hominem vero, nisi decem millibus stadiorum abigatur, dedecori esse existimare? Quid ista stultitia pejus, homines abigere et propellere, ut jumentum spatiose transeat? Tanta enim nobis inter nos usus mutui necessitas a Deo solerti providentia constituta est[1], ut si etiam quis omnium hominum sit ditissimus, ne ita quidem hac conjunctione solutus sit, et ut tenuiore opus non habeat. Neque enim divitibus tantum pauperes indigent, sed et divites pauperibus, et isti magis illis, quam illi istis. Atque ut hoc manifestius videas, faciamus, si videtur, duas civitates, alteram divitum tantum, alteram pauperum; at neque in ea, quæ divitum erit, quisquam sit pauper, neque in ea, quæ pauperum vir quispiam dives sit: videamusque utra magis se ipsa contenta esse possit. Igitur in illa quæ copiosorum est, nullus erit opifex, non structor, non calcearius, non pistor, non agricola, non faber ærarius, non restio, non aliud ejuscemodi aliquid. Nam quis dives exercere hæc unquam volet? quando et ii qui hæc tractant, cum ditati fuerint, ærumnam horum laborum non ferunt. Quonam igitur modo civitas hæc nobis stabit? Dato, inquit, argento ement hæc divites a pauperibus. Quonam

[1] Ex interp. epist. ad Corinth.

vero pacto domos ædificabunt? an et hoc ement? At natura id fieri non potest. Quare necesse erit artifices illuc accersere, legemque abrogare, quam initio sanximus, cum civitatem conderemus. Videamus ergo, pauperum civitatem ædificantes, an et ipsa minus sufficienter constituatur, divitibus privata; si prius divitias, velut aurum, argentum, lapides pretiosos, et vestimenta serica, et purpuram, auroque intexta, oratione amputaverimus, eaque inde ejecerimus. Quid igitur ob hæc status civitatis hujus requiret, dic mihi? Nihil penitus. Nam sive ædificare oportet, sive ferrum cudere, sive vestimentum texere, non auro, neque argento, neque unionibus opus est, sed arte ac manibus. Quid vero si agrum colere, terramque fodere oporteat, divitibus-ne an pauperibus opus est? Cuivis clarum est, quod pauperibus. Ubi ergo tandem divitibus indigebimus, nisi si demoliri civitatem hanc oporteat[1]? Quoties igitur videris quempiam vestimentis et numeroso satellitio foris splendentem, explica conscientiam ipsius, et multum cœni reperies. Cogita Paulum, Petrum: cogita Joannem, Heliam, imovero ipsum Dei Filium, non habentem ubi caput reclinaret. Illius et servorum ejus æmulator esto, horumque ineffabiles divitias contemplare. Quod si cum paululum prospexeris, ex hoc rursus tenebris involvaris, perinde ac in naufragio superveniente procella, audi sententiam Christi dicentem; fieri non posse, ut dives in regnum cœlorum introeat. Et ad hanc sententiam confer montes et terram et mare, omniaque si vis, oratione fac aurum esse, et nihil videbis par detrimento, quod tibi inde existet. Nam si quilibet ex vobis divitibus universum mundum occuparet, et quilibet tot haberet homines, quot jam sunt ubique terrarum et in mari et in orbe toto; quilibet etiam terram, et mare, et quæ ubique

[1] Ex comm. in Evang. Matth.

sunt ædificia, et urbes et gentes possideret; undequaque etiam loco aquæ et fontium ipsi aurum afflueret; non ego trium obolorum esse dixerim ejusmodi divites, si regno exciderint. Si enim jam, qui opes pereuntes concupiscunt, cum iis non potiuntur, torquentur, quid tandem ad eos consolandum sufficiet, ubi illorum bonorum gustum perceperint[1] ? Jam vero, dic mihi, si quis te in Regiam introduceret, et ut Rex coram omnibus sermonem tecum haberet, procuraret, convictoremque et contubernalem tibi ipsum faceret, nonne omnium beatissimum te esse diceres ? Cum autem futurum sit, ut in cœlum ascendas, juxta Regem universorum astes, et Angelis ex adverso resplendeas, et inaccessibili illa gloria fruare, dubitas an oporteat pecuniam profundere ? cum oporteret si vitam quoque ipsam exuere necesse sit, exultare et gestire, et quasi alatum fieri, præ voluptate. Tu vero, ut præfecturam accipias, furtorum tibi occasiones præbentem; nec enim ego ejusmodi rem lucrum appello ; etiam facultates profundis ; et cum ab aliis fœneratus es, si vel ipsam uxorem et liberos pignori dare oporteat, nil cunctaris : regno autem cœlorum, quod successorem potestatis non habet, proposito, refugis et detrectas, opibusque intentus es ?

Sed, heu magnum stuporem ! quod, cum hujusmodi bona expectentur, adhuc præsentibus inhiamus, et non advertimus dolum malum diaboli, qui parvorum objectu magna nobis adimit : lutum dat, ut cœlum rapias : umbram ostendit, ut veritate excludat : in somniis imagines objicit, hoc enim sunt præsentes divitiæ, ut adveniente die, pauperrimos omnium ostendat. Quis enim ita assiduus et insatiabilis hostis est, sicut divitiæ[2] ? Viventibus quidem nobis, animam perdunt; mortuis autem, corpus contumelia afficiunt; quippe quæ ne in terra quidem occultari

[1] Ex hom. de perfecta charitate. — [2] Ex comm. in epist. ad Corinth.

illud sinunt, quod tamen communc etiam judicio damnatis est. Illos siquidem, postquam mortis pœnam eis irrogarunt legislatores, non ultra curiose scrutantur. At divitiæ possessores suos, etiam post mortem acerbissimo supplicio afficiunt, nudos et insepultos exponentes : spectaculum horribile et miserabile. Enimvero graviora hi patiuntur, quam qui ex sententia et ira Judicis ea ferunt. Hi siquidem primo et secundo die inhumati manentes, terræ mandantur : illi vero cum traditi sunt humo, tunc a sepulchrorum effossoribus denudantur et contumeliis afficiuntur. Quod si non etiam loculum abstulerint et abierint, non jam divitiis, sed paupertati, quæ tibi est, acceptum ferendum : adeo ut, si hunc quoque divitiis concredamus, et ex lapide parare omittentes, ex auro eum fabricemur, et hunc facile perdituri simus. Quid igitur miserius divite fuerit, quando neque mors ipsi securitatem præbet, sed miserum illius corpus ne vita quidem defunctum, a malis hujus vitæ liberatum est, latrocinium et direptionem patiens ob avaritiæ amorem, a scelestis hominibus et sepulchrorum effossoribus, qui pulveri et cineri bellum conantur inferre : idque longe gravius, quam dum viveret? Tunc enim in conclave ingredientes, cistas etiam evacuabant, a corpore tamen abstinebant ; nec tam multa auferre poterant, ut et corpus nudarent. Jam vero neque ab hoc se continent, sed ipsum movent, atque omnem in partem vertunt, magnaque crudelitate insultant. Postquam enim terræ mandatum est, ipsi hoc nudum ab eo, quem illinc habebat, amictu, et a vestibus, facientes, ita projectum relinquunt in multa solitudine. Ac natura quidem etiam hostes tunc temporis ipsi reconciliat : divitiæ vero eos quoque qui nihil quod objicerent habebant, hostes efficiunt, sicque inhumanorum insaniam contra mortuum et immotum efferant et concitant, ut ne carnibus quidem

abstinerent sicubi ipsis etiam illa membra essent usui futura. Ne igitur magnum bonum divitias esse arbitremur[1]. Magnum enim bonum est, non possidere divitias, sed possidere timorem Dei. Ecce enim, si quis justus esset, et multam fiduciam in Deo fixam haberet, etiamsi omnium foret pauperrimus, satis esset ad dissolvendum præsentia mala : sufficeret enim si manus tantum in cœlum protenderet, Deumque invocaret, et statim nubes hæc præteriret. Tantum vero auri reponitur, et quovis luto est inutilius, ad solutionem malorum prementium. Neque vero in hoc solo periculo; verum etiam si morbus occupet, si mors, sive quid aliud ejusmodi, redarguitur divitiarum vis, nullum levamen iis quæ accidunt, a se habens ostendere. Ubi nunc sunt divites, qui usuras numerant[2], et usuras usurarum, qui omnium bona accipiunt et nunquam satiantur? Audivistis Petri vocem, ostendentem paupertatem divitiarum matrem? quæ nihil habet, et iis qui diademate circumdantur, locupletior est? Hæc enim est, quæ nihil habens mortuos excitabat, et claudos rectos faciebat, et dæmones ejiciebat, et talia largiebatur, quæ purpura amicti, et magnorum terribiliumque exercituum ductores nunquam valuerunt. Quid igitur dicit? Argentum et aurum non habeo. Quid hac voce gravius? quid beatius atque opulentius? Alii siquidem in contrariis gloriantur dicentes : Habeo tot et tot auri talenta, et jugera terræ infinita, et domos et mancipia : hic vero in eo, quod omnium sit pauperrimus, et non confunditur ob paupertatem, nec pudore afficitur, sed in ea sibi placet. Sic nimirum, qui nihil habet, omnia possidere, sic omnium bona sibi comparare valet. Si vero omnium bona possidemus, omnibus privati sumus. Qui igitur facultates suas velut communes reputat, et non tanquam proprias, is non suis dun-

[1] Ex hom. in statuas. — [2] Ex comm. in epist. 2 ad Corinth.

taxat, sed etiam iis quæ aliorum sunt, sicuti propriis utetur. Qui vero se disjungit et suorum bonorum tantum dominum facit, is nec horum quidem dominus erit : nemo enim possidenti aliquid dabit : et latronum, et furum, et calumniatorum, et vicissitudinis rerum, et omnium potius, quam illius, erunt, quæ sunt illius. Et si vis, ipsum qui hæc dixit et egit, tabernaculorum illum factorem, Cilicem, de cujus patria non constat, in medium adducam. Hic igitur totum percurrit orbem terrarum[1], in fame et siti et nuditate; nihil omnino apportans, non ad amicum vadens, non ad familiares : etenim in principio communis adversarius erat : sed tamen omnia habebat, ubi ingressus esset. At vero Ananias et Sapphira, ut modicum quid de propriis possiderent, omnibus exciderunt, ac simul ipsam vitam perdiderunt. Deseras igitur tua, ut alienis, velut propriis, utaris. Quemadmodum enim qui male sibi conscius est, etiamsi omnium opes obtinuerit, omnium est miserrimus : ita qui purgatam habet conscientiam, etiamsi detritis pannis amictus sit, et cum fame luctetur, æquiore est animo, quam qui luxu valde affluunt. Idcirco habes pecunias[2], ut paupertatem subleves, non ut paupertate molestus sis. Tu vero prætextu levaminis majorem miseriam efficis; benignitatem vendis pecunia. Vende, non prohibeo, sed regni cœlorum pretio. Ne parvum tanti officii pretium acceperis, nempe usuram centesimam, sed vitam illam æternam. Cur mendicus es et pauper, et angusti animi, parvo, hoc est pecunia pereunte, magna vendens? Cur Deo relicto humana lucraris? Cur divitem prætercurrens, non habenti molestus es; et gratiam referentem deserens, ad ingratum te ingeris? Ille cupit referre gratiam; iste vero gravate etiam refert. Iste vix centesimam reddit, ille vero centuplum, et vitam æternam. Iste cum

[1] Ex interp. epist. ad Rom. — [2] Ex comm. in Matth.

contumeliis et conviciis, ille cum laudibus et cum approbatione. Iste invidiam tibi suscitat[1], ille vero coronas etiam concinnat. Iste vix hic, ille vero et illic et hic. Nonne igitur extremæ hoc dementiæ est, nescire lucrari? Pecuniam possidere oportuit uti dominos, non uti servos : ita ut ea in potestate nostra, non ut nos in ipsius simus. Propterea namque χρήματα dicuntur pecuniæ, ut ad necessaria ministeria iis utamur, non ut in custodiam deponamus. Servi enim est asservare : expendere vero domini, et magnam potestatem habentis. Quocirca nihil insipientius servo pecuniæ. Tenere sibi videtur, cum ipse teneatur[2] : videtur sibi dominus, cum sit servus : et cum ipse sibi vincula circumdederit, quasi in omnes imperium habens, gestit : et asperiorem in se feram efficiens lætatur, et saltat dum fit captivus : et videns canem rabie percitum et insilientem animæ suæ, cum ligare et fame macerare eum deberet, affluentem ipsi cibum præbet, ut magis assiliat, et formidabilior sit. Ne igitur ex eo, quod multa tibi compares, voluptatis aliquid tibi accedere putes, sed si ditescere non cupias[3]. Si enim dives fieri desideres, nunquam stimulari cessabis : infinitus enim hic est amor; et quo longiorem viam progressus fueris, tanto longius a fine aberis : et quo plura, quæ aliorum sunt, concupiveris, tanto gravior fit cruciatus. Nam sitientes tunc nos recreamus, cum quantum volumus, bibimus : quamdiu vero sitimus, ut omnes fontes exhauriamus, majus tamen nobis tormentum fit. Et quemadmodum vinctum cum cernis, et in tergo et in manibus[4], sæpe vero etiam in pedibus ferro velut obductum, ob hoc maxime miserum dicis : ita divitem quoque cum conspexeris innumeris rebus circumdatum, ne ob id divitem, sed propterea vel maxime

[1] Ex interp. Evang. S. Joan. — [2] Ex interp. Evang. S. Matth. — [3] Ex interp. epist. ad Rom. — [4] Ex interp. Evang. S. Matth.

miserum esse existima. Nam cum hisce vinculis etiam molestum carceris habet custodem, pecuniæ scilicet amorem, qui carcerem hunc transcendere non permittit, sed innumeras ipsi parat pedicas et custodias, et januas, ac vectes. Et ubi in interiorem custodiam ipsum conjecerit, persuadet etiam, ut his vinculis delectetur, ut nullam liberationis spem prementium malorum inveniat. Non enim tantopere desiderat pauper necessaria, quam superflua dives : nec rursus tantum habet virium ad improbitatem exercendam, quantam facultatem iste habet. Si igitur et magis velit et possit, perspicuum est, quod etiam magis et plura sit operaturus. Divitem te fecit Deus, ut opituleris indigentibus[1], ut peccata tua per aliorum salutem diluas. Pecuniam tibi dedit, non ut concludas in tuam perniciem, sed ut profundas in salutem tuam. Ob hoc etiam possessionem ipsius incertam fecit et minime stabilem, ut et in hoc relaxet insani circa ipsam amoris contentionem. Si enim pecuniæ possessores jam, cum de ea confidere non valeant, sed multas ex ea re nasci videant insidias, adeo illius desiderio exardescant; cui tandem parcerent, a quo sese abstinerent, si etiam hoc divitiæ haberent, ut firmæ ac stabiles essent? Quis enim, quæso, Helia pauperior fuit[2]? verum ob id omnes divites vincebat, quoniam pauper erat; et ipsam paupertatem divite animo eligebat, omnesque pecuniæ divitias inferiores animi sui magnitudine putabat esse, nec dignas philosophia sua. Nam si magna hæc præsentia duxisset, nequaquam solam meloten possedisset. Ita enim præsentem vanitatem damnavit, ut velut lutum projectum ipsum aurum intueretur. Propterea et Rex illius pauperis indigebat, et ad os ipsius, nihil præter ovinam vestem habentis, hiscebat, tantum auri possidens. Ita

[1] Ex hom. in statuas. — [2] Ex iisdem.

sane purpura splendidior erat ovilla vestis, et regiis palatiis spelunca justi. Ideoque in cœlum ascendens, nihil aliud quam ovillam illam vestem discipulo reliquit. Cum hac, inquit, adversus diabolum luctatus sum : hac accepta tu quoque contra illum te arma. Firma enim sunt arma, inopia, et invictum præsidium. Et accepit ovillam vestem perinde ac maximam hæreditatem Elisæus. Enimvero maxima dubio procul erat hæreditas, et omni auro pretiosior. Et erat duplex Helias ille, eratque supra Helias, et infra Helias. Novi quod beatum judicetis justum illum, velitque quisque vestrum Helias esse. Quid igitur si vobis demonstrabo, aliud quiddam multo majus illo nos omnes accepisse? Nam Helias quidem vestem ovilem dimisit discipulo : filius vero hominis ascendens, suam ipsius carnem nobis reliquit. Quoties ergo pecuniæ jacturam audierimus[1], ne perturbemur, sed dicamus, Benedictus Deus, et multo majores divitias reperiemus. Neque enim tam uberem fructum percipies si divitias in indigentes expendas, et circumeas pauperes conquirens, et facultates tuas spargas esurientibus, quantum hoc verbo lucrifeceris. Quando et ipsum Job non tam admiror aperientem domum indigentibus, quam stupeo et laudibus extollo, rapinam bonorum cum gratiarum actione ferentem. Nam qui ejusmodi est, si possit sedatis naturæ fluctibus illud Job dicere : Dominus dedit[2], Dominus abstulit; cum Abrahamo ipso stabit, et cum Jobo laudibus extolletur, ex hoc solo verbo. Cum igitur tibi aurum abstulerit diabolus[3], vel per prædones, vel per aliam quampiam occasionem, laudibus celebra Dominum, et plus lucratus fueris, duplicemque plagam dederis inimico, tum quod graviter non tulisti, tum quod gratias etiam egisti. Nam si animadverterit, dejici te pecu-

[1] Ex interp. epist. 2 ad Corinth. — [2] Job. XLII, 7. — [3] Ex hom. 4 de incomprehensibili.

niæ detrimento, et ut Domino succenseas adduci, nunquam hoc agere desinet. Si vero conspexerit, te non modo non conviciari Deo, qui te fecit, sed magis etiam ipsi gratias agere, quæcumque res gravior acciderit : desinit tentationes admovere, sciens, quod gratiarum actionis tibi præbeat occasionem adversitas, splendidioresque coronas tibi faciat : id quod in Job quoque usu venit. Nam cum pecuniam ipsi abstulisset, jamque videret magis ad gratias agendas eum incitari, ultra accedere non est ausus, sed turpiter et omnino victus abiit, splendidiorem Dei athletam cum effecisset. Ac Job quidem posteaquam coronis patientiæ et fortitudinis omnibus exornatus est, duplicia quæ amiserat recepit omnia. Tu vero non duplicia ac triplicia, sed centuplicia accipies omnia, si generose tuleris; et vitæ æternæ hæreditatem adibis : quam utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu-Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

De Ingluvie et Ebrietate.

MATTHÆO CROMERO INTERPRETE.

Vultis videamus[1], quam voluptatem quemque honorem habeant divitiæ ? Mensas divitum atque pauperum expendamus, rogemusque eos qui epulantur, quinam sint maxime, qui pura et germana voluptate perfruantur : ii-ne qui ab dimidiatum diem in stragulis accubantes, cœnas

[1] Ex Serm. quod nemo læditur nisi a se ipso

prandiis conjungunt, et ventrem disrumpunt, et sensus obtundunt, et immodico eduliorum pondere navigium deprimunt, navemque, ita ut exhauriri non possit, obruunt, et quasi in naufragio corporis eam demergunt, et pedicas, et manuum linguæque vincula excogitant, totumque corpus astringunt vinculis, ferrea catena gravioribus, ebrietatis inquam et luxuriæ; et neque verum ac sincerum somnum capiunt, neque a terribilibus insomniis liberi sunt, insanientibus miseriores, et ultro dæmonem animæ suæ asciscunt, et in risum theatro servorum propositi, neminem eorum, qui adsunt, cognoscunt; et neque loqui, neque audire queunt: sed inter manus a stragulis in lectum deferuntur? aut qui sobrii sunt et vigilantes, et qui modum necessitate finiunt, maximumque condimentum famem et sitim habent? Nihil enim adeo voluptatem et sanitatem facit, ut si quis cum esurit et sitit, tum demum ea quæ proponuntur, attingat, satietatemque sola necessitate metiatur, neque majus viribus onus corpori imponat. Quod si sermoni meo fidem non habes, contemplare utrorumque corpora et singulorum animam. Nonne moderate quidem edentium corpora robusta sunt, sensusque expedite admodum munus suum explent? Illorum vero flaccida, et quavis cera molliora, et morborum examinibus obsessa? Etenim pedum dolores celeriter in eos involant, tremorque intempestivus, et immaturum senium, et capitis dolores et distensiones, et stomachorum repletiones, et appetituum extinctiones, assiduisque medicis, et continuis medicinis, quotidianaque curatione indigent. Hæc-ne igitur voluptatis sunt, dic mihi? Quisnam hoc dixerit eorum, qui, quid sit voluptas, norunt? Tunc enim voluptas fit, quando præcedente concupiscentia, est fruitio. Etenim si fruitio quidem sit, concupiscentia vero nusquam appareat, perit voluptas omnis et evanescit. Et quemadmodum na-

vis[1], quæ majorem quam pro modo suo, mercium vim receperit, oneris magnitudine depressa submergitur; ita et animus et corporis nostri natura, si plus alimenti, quam pro virtute sua, acceperit, obruitur; et pondus sibi impositorum non sustinens, in profundum perditionis demergitur, nautasque et gubernatorem, et proretam, et vectores, et ipsum denique onus cum omnibus perdit. Quemadmodum igitur in navibus, quæ ita dispositæ sunt, non maris tranquillitas, non scientia gubernatoris, non multitudo nautarum, non instrumentorum apparatus, non tempus anni commodum, non aliud quidquam ita fluctuanti navi prodest; ita et iis qui luxu affluunt, usu venit; non doctrina, non exhortatio, non institutio et consilium, non metus futurorum, non pudor, non eorum qui adsunt reprehensio, non aliud quidquam denique servare animum ita fluctuantem potest. Verum et ad hanc præsentem vitam inutilis fit is qui talis est, et ad omne opus bonum reprobus. Hinc, et non aliunde, gravibus et insanabilibus morbis capiuntur ii, qui in perpetua luxuria vivunt, atque ob id in hanc vitam se productos arbitrantur, ut cum luxuriæ indulserint, ventremque disruperint, ita saginato corpore decedant, lautiore mensa e suis carnibus vermi instructa. Etenim tremoribus, et paralysi et tabi et gravedinibus et pedum doloribus, aliisque compluribus, quæ medici memorant, fiunt obnoxii. Venenatis enim medicamentis nihilo melius constituentur mensæ hujusmodi; imo, si verum dicere oportet, multo deterius. Nam illa quidem subito eum, a quo sunt accepta, sustulerunt, mortemque sine sensu adduxerunt; ut ne per hoc ipsum quidem molestia morientem affecerint: istæ vero vitam innumeris mortibus graviorem afferunt iis, qui eas magni faciunt. Atque alii quidem morbi multos habent condo-

[1] Ex hom. 4 de Fato.

lentes: qui vero e luxuria et ebrietate nati sunt, non patiuntur intuentes, ne si velint quidem, his qui iis detinentur, condolere; sed mali quidem exuperantia flectit ad misericordiam, morbi vero causa, scientem exacerbat. Neque enim a natura, quemadmodum illi, læsi sunt, neque ab hominibus insidiis appetiti: sed ipsi sibi horum morborum opifices extiterunt, ultro se in præcipitium malorum projicientes. Non ita scorpius aut serpens in visceribus cujusquam insidens quoquo versus inficit, ut luxuriæ concupiscentia omnia pervertit atque perdit. Feris enim illis ad corpus duntaxat procedunt insidiæ: ista vero cum insederit, cum corpore animam item perdit. Quando igitur omnium pernicies hoc est, resque omnino ridicula, ipsi vestri corporis sanitati parcite. Non dico, ut victus asperitati vos detis, si ipsi nolueritis: quod superfluum est tollamus; quod extra necessitatem amputemus. Quam enim veniam meremur, si alii ne necessariis quidem, cum possint, fruantur, nos vero ultra necessitatem luxuriose vivamus? Quem enim lautius vivere dicemus[1], illum-ne qui oleribus vescitur et sanus est, nihilque injucundum habet; an vero illum qui Sybariticam apponit mensam, atque innumeris plenus est morbis? Perspicuum est quod illum. Nihil igitur ultra necessitatem quæramus, sed qui leguminibus quidem contentus esse potest, et recte valere, nihil præterea quærat. Qui vero imbecillior est, olerumque ministerio indiget, non prohibeatur. Si vero aliquis infirmior sit, et moderato carnium adjumento indigeat, neque istum prohibebimus. Non enim ut occidamus homines et perdamus, ista suademus; sed ut superflua amputemus. Superfluum vero est, quod ultra necessitatem est. Quod si absque isto sanam honestamque vitam agere possimus, plane superfluum illud est, quod adjicitur. Non

[1] Ex Interp. epist. 2 ad Corinth.

videtis cum quibus nobis lucta est[1]? cum incorporeis potestatibus. Quonam igitur pacto, caro cum simus, eos superabimus? Nam si, qui cum hominibus luctatur, temperanter edat necesse est, longe magis qui cum dæmonibus. Cum autem et saginæ et divitiis simus astricti, unde vincemus adversarios? Sicut enim in cithara[2], si soni fuerint molles ac remissi, nec bene intenti, artis quoque præstantia succiditur, nervorumque vitio servire cogitur: ita in corpore, cum id multam curationem a nobis indeptum fuerit, acerbam servitutem animus perfert. Ne igitur saginemus corpus, neque iners id atque laxum luxuria reddamus. Non dico, ut nos exhauriamus aut duriter nimis tractemus; sed ut tantum cibi sumamus, quantum et voluptatem habeat, veram, inquam, voluptatem, et alere corpus, et obsequens nobis aptumque ad functiones animi exhibere possit, bene compactum et coagmentatum. Cum enim luxuria redundans fuerit, ipsos clavos, ut ita dixerim, et compages coalitas, ob inundationem, retinere nequit. Inundatio enim ubi invaserit, universum dissolvit et confundit. Per se namque satis est emolumentum, voluptas et sanitas: quod autem plus est, pernicies et fastidium et morbus: quodque his est gravius, quia ipsam quoque animam una cum corpore perdit. Et sicuti terra valde humida vermes producit, sic insita quoque cupiditas, quando luxu perfunditur, voluptates parit: cumque corpus factum est mollius, necesse est animam simul perniciem capere. Si enim qui defæcatum vinum bibunt[3], reprehensione non carent, quid dicemus ad eos, qui peregrinationes transmarinas vini causa suscipiunt, quique omnia movent, ne quod vitis genus ipsos lateat? quasi rationes reposcendi sint, nisi omni vini genere sese ingurgi-

[1] Ex interp. epist. 1 ad Corinth. — [2] Ex comm. in epist. ad Hebræos. — [3] Ex hom. de Fato.

taverint. Revera nihil ita amicum est dæmoni, ut luxuria et edacitas[1]. Quid enim non mali facit luxuria? Porcos facit ex hominibus, ac porcis etiam deteriores. Nam porcus quidem in luto volutatur, et stercore pascitur: iste vero abominabiliore, quam illa est, mensa vescitur, illicitos concubitus excogitans et exleges amores. Talis homo nihil a dæmoniaco differt. Ac dæmoniacum quidem saltem miseramur; istum vero aversamur et odimus. Quare? quoniam ultroneam sibi insaniam attrahit, et os, oculos, nares, et omnia prorsus membra peccati cloacas efficit. Quod si interiora quoque inspicias, videas et animum ipsum tanquam in tempestate et frigore gelatum atque torpentem, ita ut ne scapham quidem propter tempestatis magnitudinem servare possit. Nam qui ebrietati et ingluviei mancipati sunt[2], neque somnum verum et sincerum capiunt, neque a terribilibus insomniis liberi sunt. Quonam igitur modo absurdum non est[3], expertes quidem rationis animantes nihil ultra necessitatem quærere: homines vero præditos ratione et imagine Dei cohonestatos, illis etiam minus compotes rationis fieri, mediocritatis fines prætergredientes? Quanto enim melior hujusmodi hominibus asinus est? quanto melior canis? Nam hi quidem, sive edendum est, sive bibendum, finem norunt, id quod satis est, neque ultra necessitatem progrediuntur: etiamsi innumerabiles sæpe cogant, non sustinebunt modum excedere. Isti vero his etiam despicabiliores se esse judicarunt. Et bestias quidem ultra modum cibum capere non cogunt: ac si quis interroget, quamobrem? ne noceamus, dicunt: sibi vero ipsis hanc providentiam non adhibent: adeo etiam illis viliores sese existimant, dumque assidue tempestate vexantur, negligunt. Nec illa die

[1] Ex comm. in Matth. — [2] Ex comm. in Joan. — [3] Ex comm. in Matth.

solum, qua ebrii sunt, damnum quod ex ebrietate oritur, sustinent, sed etiam post illum diem. Et siculi postquam febris transiit, noxa, quæ est ex febri, remanet: ita quoque cum ebrietas recessit, ebrietatis procella in animo et in corpore versatur: ac miserum quidem corpus jacet resolutum siculi navis a naufragio: anima vero corpore ærumnosior, etiam cum hoc dissolutum est, tempestatem suscitat, ac cupiditatem accendit vehementius. Quam igitur multa ab ebrietate hominibus mala accidant, pudet me dicere: sed ipsorum relinquo conscientiæ, ut quæ exactius ea cognita habeat. Quid enim turpius ebrio et temere vagante, et grave illud naufragium perferente, ac Dei dona stultorum conviciis exponente? Multos enim, cum hæ affectiones acciderint, dicere audio: Utinam ne sit vinum. O amentiam! o stuporem! aliis peccantibus Dei dona accusas? An enim vinum, o homo, malum illud fecit? non vinum, sed intemperantia male utentium. Dic igitur; utinam ne sit ebrietas, ne sit luxuria. Quod dicis, ne sit vinum, dices sensim progrediens, ne sit ferrum, propter homicidas: ne sit nox, propter fures: ne sit lux, propter calumniatores: non sit mulier, propter scortationes: et omnes res denique subvertes. Ne igitur vinum insimules, sed ebrietatem, et eum qui bono male usus est: et ipsum si sapiat adiens, describe illi cunctam ipsius turpitudinem, et dic ipsi: Vinum datum est, ut exhilaremur, non ut indecenter ac indecore nos geramus; ut rideamus, non ut rideamur: ut sani simus, non ut ægrotemus: ut corporis imbecillitatem corrigamus, non ut animi vires dejiciamus. Honoravit te Deus hoc dono, cur te ipse contumelia per intemperantiam afficis? Si enim sanctus ille Timotheus, etiam cum morbo teneretur, et continuas infirmitates sustineret, vino non est usus, donec magister permisit, quam nos excusationem habere possumus, in

sanitate nos inebriantes? Illi enim dixit, « Vino modico » utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas in- » firmitates[1] : » nostrum vero unicuique dicit, Vino modico utere, propter fornicationes, et frequentia tua turpiloquia, aliasque pravas cupiditates, quas ebrietas parere consuevit. Vinum ad lætitiam datum est : inquit enim, « Vinum » lætificat cor hominis[2] : » vos autem hanc ipsius virtutem labefactatis. Quæ enim lætitia est, mentis compotem non esse, et innumerabiles habere dolores, et omnia videre circumagi, et horribili caligine occupari, et sicuti febricitantes quidam opus habere, ut oleo caput perfundatur? ex diebus item noctes facere, et ex luce tenebras? oculis etiam apertis ea, quæ ante pedes sunt, non videre, ac tot tantisque malis se ipsos undique transfigere? Nam qui in ebrietate et intemperantia vivunt[3], iis in noctis tenebras dies convertitur; non quod sol extinguatur, sed quod mens illorum temulentia obscuretur. Qui se ebrietati dedunt[4], quanto magis sibi merum infuderint, tanto magis siti inardescunt, semperque haustio, sitis fit fomes : et voluptas quidem ad extremum evanescit, sitis vero facta indesinens, in ipsum ebrietatis præcipitium deducit eos, quos captivos agit. Hinc vel maxime quis obstupescat amentiam eorum[5], qui ebrietati addicti sunt, quod ne tantum quidem isti sibi parcere volunt, quantum alii parcunt utribus. Nam hos quidem vini venditores non patiuntur plus æquo capere, ne disrumpantur : isti vero miserum ventrem ne hac quidem provisione dignantur; sed cum eum impleverint et disruperint, usque ad aures, usque ad nares, usque ad fauces ipsas replent omnia; perangustum meatum spiritui, quæ vis animal gubernat, inde comparantes. An ob hoc fauces tibi datæ sunt, ut eas usque ad ex-

[1] 2 Tim. v, 13. — [2] Psal. ciii, 13. — [3] Ex comm. in Joan. — [4] Ex Hexaëmero. — [5] Ex interp. Evang. Matth.

tremum oris putrido vino, aliaque pernicie expleas? Non ob hoc: sed ut sacras preces sursum ad Deum mittas, et divinas leges legas, proximisque utilia suadeas. Neque enim ita vis rapidorum fluminum ripas excedere et subruere solet[1], ut luxuria deliciæque omnes sanitatis nostræ munitiones facile subvertunt. Etenim cum aviditate escis inhiare, et corporis vires incidit, et animi fortitudinem detrahit et relaxat. Neque hoc solum luxuriose viventi grave accidit, quod distringitur et ventrem proprium disrumpit, et corporis pariter atque animi sanitatem succidit: sed etiam illud, quod celerius præterfluit et transcurrit, et ne unum quidem diem, id quod ingestum est, continere potest: sed eo digesto, alia rursus injicere cogitur. Non igitur ipsum edere malum est[2], absit: verum edacitas, et ultra necessitatem sese implere, ventremque disrumpere. Quemadmodum neque moderato vino uti malum est, sed ebrietati sese dedere, et judicium rationis per intemperantiam evertere. Ejusmodi enim corpori nos implicavit Dominus, quod aliter nequit consistere, nisi sit alimenti particeps: modo intemperantia recidatur. Hoc enim nobis ad sanitatem ejus et bonam habitudinem plurimum conducit. Annon quotidie videtis, ex lautis mensis, et immoderata edacitate innumeros consequi morbos? Unde pedum dolores? unde capitis gravedines? unde corruptorum humorum redundantia? unde alii morbi? nonne ex intemperantia, ex vino plus quam oporteat hausto? Sicut enim navis cum aquæ tantum cepit, ut exhauriri nequeat, cito deprimitur et submergitur: ita etiam homo cum nimiæ vorandi cupiditati et ebrietati se tradit, ad præcipitium abit, et ut ratio submergatur, efficit; ac deinde veluti mortuus jacet animatus; ac mala quidem sæpe operari valens, ad bona vero omnia, nihilo melius

[1] Ex comm. in Joan. — [2] Ex Interp. Hexaëm.

quam mortui, sese habens. Tantum malum est ebrietas, ut sensus etiam mutilare possit : et hominem quidem ratione prænitum, quique potestatem in res omnes accepit, velut inutile cadaver indissolubilibus quibusdam vinculis constrictum jacere cogat : imovero et cadavere pejus. Hoc enim et ad bona et ad mala inutile est : ille vero publice omnibus risui exponitur. Nam amici quidem proprium dedecus reputantes, pudore afficiuntur et erubescunt : inimici vero insultant et mordent atque execrantur, tantum non hæc verba dicentes : Hunccine omnino vivere par est? anne par est hunc aerem respirare? illam pecudem, illum porcum? et quæ ex his consequuntur, graviora dicentes. Quæ nos pro viribus fugientes, dilectissimi, tantum comedere studeamus, quantum et voluptatem habeat, veram dico voluptatem, et alere corpus possit, et obsequens nobis aptumque ad functiones mandatorum Christi præstet : ut et præsentem vitam feliciter peragamus, et futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

De adversa valetudine et Medicis.

MATTHÆO CROMERO INTERPRETE.

Cum in adversam valetudinem incideris [1], o homo, recordare corporis Jobi, et sanctæ illius carnis : sancta

[1] Ex hom. quod vitium ex ignavia.

enim erat et pura, ejusmodi vulnera habens. Nam quis ita ægrotavit unquam? quis tantam plagam accepit, aut alterum accepisse vidit? Non est quisquam, non est. Paulatim corpus ipsi consumebatur, et vermium fons undique ex membris ei scatebat, eratque perennis hic affluxus, et multus undequaque fœtor, et corpus paulatim dividebatur; talique liquescens putredine, insuaves cibos reddebat: et erat ipsi fames peregrina et inaudita. Neque enim oblatis alimentis vesci poterat: Nam venti sonitum, inquit, video cibos meos. At enim satis, inquit, iste solatii et levaminis habuit, quod sciret Deum hæc sibi inferre. Imo hoc maxime eum perturbabat et commovebat, quod justum Deum quique omni modo a se cultus esset, sibi infestum esse putaret, neque ullam probabilem causam eorum, quæ fiebant, invenire posset. Quod si hoc sufficere ad solatium putas, poteris sane et ipse hocce levamen habere. Quamvis enim non propter Deum adversi quidquam patiaris, sed ex hominum vexatione, gratias interim agas, et non convicieris ei, qui potest quidem prohibere, sed permittit tamen, probationis tuæ gratia: quemadmodum qui propter Deum passi sunt, coronantur, ita et tu eadem præmia consequeris, quod ab hominibus oblata incommoda generose tulisti, et ei qui poterat quidem, sed noluit prohibere, gratias egisti. Neque enim bonus quispiam sine peccato est[1], neque malus quispiam sine justitia: utrisque autem compensatio est, et remuneratio. Si quis sit justus, et mali quid egerit, et ægrotaverit, et supplicio addictus sit, ne turberis, sed dic: Hic justus paulum quid mali fecit aliquando, et recipit hic, ut ne illic puniatur. Rursum, si videas peccatorem rapientem, avare agentem, jucunde vivere, cum innumerabilia mala faciat, ne ita quidem turberis, sed dic: Hic peccator qui innumera mala perpetrat,

[1] Ex hom. in terræ motum, in divitem ac Lazarum.

boni quidpiam fecit aliquando, et recipit hic bona, ut ne illic mercedem repetat. Hoc autem et in Lazaro est videre : quoniam contingebat ut et illi peccata quæpiam, et dives rursus boni aliquid haberet. Audi quid Abraham dicat. Recepisti bona tua illic, et Lazarus mala sua[1]. Qualia? egisti quid boni? recepisti pro eo divitias, bonam valetudinem, delicias, potentiam, honorem; et nihil tibi debetur. Quid igitur Lazarus? nihil-ne peccavit? sane vero: propterea dicit. Et Lazarus mala sua. Cum enim tu bona tua recipiebas, tunc et Lazarus mala. Cum igitur justum puniri videris, beatum ipsum prædica et dic : Hic justus peccatum aliquod habet, et pro eo pœnas luit, et mundus illuc abit. Quod si ultra quam peccata promerebantur, puniatur, augmentum justitiæ ipsi reputatur. Animadverte autem quid dico. Job justus erat, irreprehensibilis, verax, pius : et castigatum est corpus ipsius hic, ut illic mercedem repeteret. Ait enim Deus ad eum, Num aliter tibi existimas me oraculo respondisse, nisi ut appareas justus? Num igitur pervertit sanctum illum Job uxoris consilium[2]? Imovero contrarium magis fecit, majoremque in modum eum erexit, ita ut etiam increparet uxorem. Maluit enim dolere et affligi, et innumerabiles adversitates pati, quam cum convicio exitum horum malorum ullum invenire. Sed vulgus hominum cum in adversam valetudinem inciderint[3], conviciantur illico, et ærumnam quidem morbi sustinent : lucro autem, quod ex morbo per patientiam percepturi erant, fraudantur. Quid facis, o homo? In benefactorem et servatorem, et defensorem et curatorem tuum convicia jactas? Non sentis quod in præceps feraris et in profundum extremi interitus te ipsum conjicias? Propterea namque diabolus innumera mala infert, ut in profundum

[1] Luc. XVI. — [2] Ex hom. 3 contra Judæos — [3] Ex hom. in divitem et Lazarum.

illud deducat : ac si quidem convicianten te viderit, facile dolorem auget, majoremque facit, ut cum pungeris, iterum stomacheris et ægre feras. Sin fortiter ferentem animadverterit, et quo magis morbus intenditur, eo magis gratias agentem Deo confestim abstinet, velut temere et frustra deinceps insidias tensurus. Quam enim ob rem indignaris[1], o homo, et maledicis, si in quidpiam quod displiceat, unquam incideris? An si maledicta jactes, leviorem morbum facis? Imovero intendis ipsum et multo graviorem dolorem reddis. At non potes tacere, cum a dolore pungeris? Verum tu pro convicio gratias age, lauda, glorifica Deum. Nam si convicieris, tum Dei auxilium propulsasti, tum diabolum acriorem contra te effecisti. Si vero gratias agas, et improbi dæmonis insidias repulisti, et Dei rectoris curam tibi adjunxisti. At consuetudine lingua sæpe fertur, ut improbum illud verbum proloquatur! Verum tu, ubi impetu feretur, priusquam verbum proferat, mordicus eam dentibus undique vehementer preme. Melius est ut nunc sanguine perfluat, quam ut illa die guttam appetens, levamen consequi non possit, ut in divite contigit. Præstat, ut temporalem dolorem perferat, quam ut tunc perpetuo et in æternum frigatur. Cum igitur in gravem morbum incideris[2], et multi adfuerint qui cogant, alii quidem incantationibus, alii amuletis, alii porro aliis rebus levare malum : tu vero propter Dei timorem generoso et infracto animo morbi molestiam tuleris, et omnia pati malueris, quam ut ejusmodi quid facere sustineas, hoc tibi martyrii coronam affert. Et ne dubita. Quemadmodum enim ille tormentorum cruciatus fert fortiter, ut ne adoret simulacrum : ita et tu morbi dolorem perfers, ut ne ullius rei ab illo indigeas, neque facias ea quæ imperat. At enim vehementiores

[1] Ex hom. in divitem et Lazarum. — [2] Ex expos. in 1 epist. ad Thess.

illi sunt? Verum hi diuturniores: quocirca par exitus; nonnunquam etiam acerbior. Nam cum febris ardor intus molestus est et urit, tu vero aliis hortantibus incantationem rejicis, nonne martyrii coronam induisti? Cum enim incantatores magna cum contumelia domo ejeceris[1], omnes qui audierint, laudabunt et admirabuntur, dicentque ad se mutuo, Hic ægrotans, cum innumerabilia hortarentur quidam, et monerent, et consulerent magicis quibusdam incantationibus uti, non admisit, sed dixit: Præstat sic mori, quam prodere pietatem. Quod si hic tantæ laudes sunt, cogita quantas illic coronas sis accepturus, cum præsentibus Angelis et Archangelis Christus transiens, et manu te apprehensum in medium theatrum illud producet, et omnibus audientibus dicet: Hic homo febri correptus aliquando, cum innumeri eum hortarentur, ut e febri evaderet, propter nomen meum, et timorem erga me, ut nulla in re offenderet, repulit ac despexit eos, qui se illo modo curaturos recipiebant: maluitque morbo emori, quam benevolentiam erga me prodere. Nam si eos, qui sibi potum et cibum præbuerunt, et se vestierunt, in medium producit, multo magis eos, qui propter se febres sustinere in animum induxerunt. Neque enim par est, dare panem et vestimentum, et morbum diuturnum sustinere; sed longe hoc illo majus est: atque ita corona etiam erit splendidior. Ista etiam sani dicamus, et inter nos meditemur. Memineris beati Timothei, quia nunquam ab infirmitate respiravit, sed hæc assidue cum corpore nutriebatur. Quod si justus et sanctus ille, quique orbis terrarum curam sibi creditam habebat, et mortuos suscitabat, et dæmones ejiciebat, atque innumeros in aliis morbos sanabat, tam multa passus est mala; quam tu habiturus es excusationem, qui in temporariis morbis tumultuaris

[1] Ex hom. 6 contra Judæos.

et mœres? Ac filii quidem frequenter[1], cum parentes ipsos etiam immerito puniunt, id sustinere monentur: tu vero non sustinebis Deum, qui te castigat, quique magis quam ipsi patres, te diligit, atque omnia ad commodum tuum molitur? Sed licet exiguus aliquis sit morbus, continuo e dominatu ipsius exilis et ad dæmones curris? Et quam habebis veniam? quomodo apud Christum te excusabis? quomodo in precibus eum invocabis! qua conscientia deinceps in Ecclesiam ingredieris? Quibus oculis aspicies sacerdotem? Qua manu sacram mensam continges? Quibus auribus, quæ ibi leguntur, scripturas audies, ejusmodi contra te ipsum faciens iniquitates? Quomodo iterum Deum invocare poteris? Imovero neque alius, licet Moysis habeat libertatem, pro te orare poterit. Annon audis quid de Judæis dicat ad Jeremiam: « Noli » orare pro populo isto: quia si steterit Moyses et Samuel, » non exaudiam ipsos[2]. » Et sicut plagiarii placentas et bellaria[3], atque alia quædam ejusmodi sæpe parvis proponunt pueris, eosque inescantes et libertate et vita ipsa privant: ita sane incantatores, membri promittentes curationem, totam animæ salutem submergunt. Multi vero ex iis qui in extremam dementiam deciderunt[4], non modo divitias et potentiam, et quæcumque ejusmodi sunt, a domino universorum petunt, sed et inimicis maledicunt, et ut supplicium aliquod ipsis inferatur, supplices orant: et quem sibi mitem esse ac clementem optant, hunc inimicis immitem fieri atque inclementem volunt. Et rectorem quidem navis non jubent navigantes tali modo gubernacula tenere, et navem dirigere; sed in foris sedentes artem illius sustinent, non modo cum navis secundo vento provehitur, sed cum etiam extrema pericula minatur: Deo

[1] Ex serm. 5 contra Judæos. — [2] Jerem. xv, 1. — [3] Ex serm. 1 contra Judæos. — [4] Ex hom. in *Pater noster.*

vero soli, commoda nostra diligenter procuranti, cedere nolunt; similes ægroto, qui medicum sibi dare rogat, non quæ morbum tollant, sed quæ materiam veluti matrem morbi alant. At non sustinebit medicus ægrotantis preces: sed quamvis lacrymantem videat et plorantem, artis tamen suæ legem potius sequitur, quam ut hujus lacrymis flectatur; atque hanc contumaciam, non crudelitatem, sed humanitatem appellamus. Si enim ægrotanti obsequatur, et quæ ei voluptati sunt, concedat, hostiliter se in ipsum gerit: obnitens autem et illius cupiditati repugnans, misericordia utitur atque benignitate. Sed et parentes liberorum suorum amantes suis infantibus cultros aut ignis carbones petentibus, nequaquam eos dare sustinent: probe enim norunt, perniciosam ipsis esse horum concessionem. Eodem modo Deus quoque iis, qui noxia tanquam utilia petunt, non sustinet dare, cognoscens ipsis hæc damno futura. Existimo etiam antiquos medicos non temere et sine causa lege sanxisse, ut publice diversorum generum instrumenta demonstrarentur: sed ideo id factum, ut eos, qui sani essent, cautos redderent, dum ipsis ostenderent, quot opus habituri essent, si inordinate viverent. Christum igitur magis quam gehennam timere nos oportet[1]; magisque quam regnum desiderare. Ac si morbo laboraverimus, melius est in infirmitate manere, quam per liberationem ab imbecillitate in impietatem delabi. Etsi enim medeatur maleficus, plus tamen nocuit quam profuit. Profuit enim sæpe corpori, quod paulo post omnino mori et putrefieri debet, nocuit vero animæ, quæ immortalis est. Eum enim, qui medicus non est, præstat medicamenta non habere. Nam qui non habet, nec sanat, nec perdit, ignorans quomodo utatur: quoniam non in medicinarum tantum natura salus est, sed et in arte afferentis. Non igi-

[1] Ex Serm. 1 contra Judæos.

tur medici nomen habere[1], est medicum esse. Audivisti quæ de Lazaro dicta sunt; quomodo cum fame et morbo et solitudine, per omne tempus suum luctatus est; ita ut et vitam ipsam in vestibulo divitis finiret, neglectus, esuriens, canibus esca expositus? Adeo namque corpus ipsius debilitatum erat, ut ne abigere quidem posset canes invadentes, et vulnera lambentes: sed tamen non quæsivit incantatorem, non applicavit folia, non magica movit, non præstigiatores ad se vocavit, non quidquam illud vetitum fecit: sed maluit immori malis illis, quam exiguam prodere pietatis partem. Quæ igitur venia nobis dabitur, tantas adversitates patiente illo, et tolerante fortiter; si propter febrem aut vulnera, veneficos, præstigiatoresque, in domos nostras accersamus? Multi enim sæpenumero ægrotant[2], sed necessario alimento non egent. Alii in extrema paupertate vivunt, sed bona valetudine fruuntur. Lazarus vero ita debilitatus erat, ut ne canes quidem posset abigere, sed mortuus spirans jacebat, invadentes quidem eos cernens, sed arcere non valens. Ita ipsi membra debilitata erant, ita tabescebant adversa valetudine, ita consumebatur tentatione. Quod si per se horum quidvis intolerabile et acerbum est; quando simul conjuncta sunt, quomodo non adamas quispiam erat, qui ea sustinebat? Nam si in solitudine et inhabitabili positus hæc passus esset, et neglectus fuisset, non ita doluisset: hoc ipsum enim quod nemo adesset, etiam invitum adduxisset, ut ferret ea, quæ acciderent. Et vero, qui in medio jacebat horum, quibus res erant secundæ, nulla, ne vulgari quidem, cura dignum haberi, acerbiorem dolorum sensum faciebat. Cogita, quonam modo affici eum par erat, cernentem parasitos, adulatores, descendentes, ascendentes, exeuntes, introeuntes, tumultuantes, temulentos. Nos quidem certe

[1] Ex Serm. 5 contra Judæos. — [2] Ex Serm. post Kalendas.

etiamsi innumeras adversitates patiamur, habemus tamen intuentes in illum, unde affatim solatium accipiamus. Nam socios reperire suorum malorum, multum affert dolentibus solatii. Ille vero neminem alium videre potuit, qui eadem illa, quæ ipse patiebatur, passus esset: quin etiam præsente hac vita, res præsentes concludi putabat. Erat enim ex iis, qui erant ante gratiam. Quod si nunc nostris temporibus post tantam Dei cognitionem, et bonas spes resurrectionis, et præparata iis, qui recte agunt, bona, tam pusillo quidam sunt animo, ut ne his quidem expectationibus corrigantur; quonam modo illum par fuit affici? Imitemur Lazarum et divites et pauperes[1]. Non enim unum, aut duo, aut tria duntaxat, sed multo plura virtutis certamina subivit: paupertatem, solitudinem opitulatorum, adversam valetudinem: quod non duos tresve dies, verum omnem vitam, et se in his, et divitem in contrariis videbat: quod alium Lazarum intueri non habebat: quod nihil de resurrectione philosophari poterat: quod cum prædictis malis, malam etiam suspicionem apud vulgus hominum ex illis calamitatibus sibi collegerat. Quam igitur defensionem habebimus, si cum hic omnia simul adversa tam fortiter tulerit, nos ne dimidium quidem feramus? Non enim potes, non potes ostendere, neque dicere alium quempiam, qui tot et talia passus sit mala. Propterea namque ipsum Christus in medium proposuit, ut in quodcumque adversitatis genus inciderimus, exuberantiam ultra id videntes, luculentum ex ipsius philosophia solatium, et levamen accipiamus. Communis enim totius orbis terrarum magister propositus est iis, quicumque adversi quid patiuntur, omnibus intuendum sese exhibens, et omnes vincens malorum suorum exuberantia. Etenim sapientes medici putrida membra secturi[2], aut lapides

[1] Luc. XVI. — [2] Ex hom. in Oziam.

meatibus inhærescentes extracturi, aut aliud quodpiam naturæ peccatum correcturi, non in angulum abducto ægroto id faciunt: sed cum in medio foro eum proposuerint, et theatrum ex prætereuntibus constituerint, ita demum sectionem adhibent. Atque id faciunt, non quod velint humanis miseriis insultare, sed ut eos qui aspiciunt, in alienis corporibus doceant, multam sanitatis suæ gerere providentiam. Cum igitur videris justum premi et vexari[1], in adversa valetudine et innumeris aliis adversitatibus præsentem vitam finire, dic ad te ipsum, Nisi esset resurrectio et judicium, nequaquam Deus tanta mala passum, nullo bono fruitum sineret hinc demigrare. Unde planum est, quod aliam ipsis vitam paravit, præsente hac suaviorem, et multo tolerabiliorem. Enimvero quanam id ratione consisteret, quod improbos multos præsentem hanc vitam in deliciis vivere permisit, justos vero multos in innumerabilibus relinquit malis; cum sit et appelletur justus, noveritque juste cuique pro meritis gratiam referre? Quem decet gloria, imperium, honor et adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

De mulieribus et pulchritudine.

Qui uxores ducturi sunt[2], primo leges a Paulo de nuptiis statutas legant, indeque discant quid faciendum sit, quando improba, conviciatrix, insania, aut vitio quovis alio affecta fuerit mulier. Cum igitur videris Apostolum, si aliquo hujusmodi vitio affecta deprehendatur, potesta-

1 Ex orat in statuas. — 2 Ex Serm. quales debeant duci uxores.

tem tibi dare illam ejiciendi et alteram ducendi; quasi ab omni periculo liber confide. Sin non id ille permittat; sed jubeat illam, etiam quovis alio vitio, excepta fornicatione, plenam servare; ita te ipsum confirmes, ut omnem ejus improbitatem deinceps toleraturum. Si autem hoc grave tibi videtur et molestum; nihil non agas et experiaris, ut bonam, modestam et obsequentem uxorem ducas. Nam si cum vel domos vel mancipia empturi sumus[1], curiose scrutamur atque inquirimus, tum a vendentibus, tum ab iis qui illa ante possederunt, et de domorum structura, et de mancipiorum conditione, secundum habitum et corporis et animi; multo magis uxores ducturi eamdem curam et multo majorem adhibere debemus. Domum enim si ruinosa sit reddere licet; servum item si ineptus vel pravus sit, vendenti restituere fas est; uxorem vero qui acceperit, non potest illam dantibus restituere. Grave certe est pauperem ducere uxorem, grave etiam ducere opulentam. Illud enim facultatibus nocet; hoc autem uxorem in arrogantiam extollit, et viri libertati nocet. *** Multi ex iis qui meretricibus adhærent, non modo æternam mortem inde subierunt; sed et hic mali male perierunt, ærumnas a meretricibus perpessi? Cum enim contenderent illæ, ut adhærentem sibi amore sui penitus astringerent, magicas artes exercuerunt, amatoria adhibuerunt multasque præstigias consarcinarunt. Deinde in gravem ægritudinem conjectum, et lui tabique lentæ traditum, milleque malis circumventum, ex hac vita sustulerunt. Si ergo, o homo, gehennam non metuis, at præstigias earum time. Cum enim per hanc lasciviam Dei auxilio te privaveris, et supernam opem tibi præcideris, te suscipiens, excluso omni metu, meretrix, cum dæmonas suos invocarit, et folia scripserit, et insidias struxe-

[1] Ex Serm. quales debeant duci uxores.

rit, facillime salutem tuam pessumdat, probrum te ac ludibrium concivibus omnibus constituens. Si igitur te oblectare velis, ne theatra adeas, sed viridaria, manantes amnes, lacus, hortos: audi cicadas cantillantes, frequenta Martyrum monumenta; ubi corporis sanitas est, animi emolumentum, et damnum nullum. Habes uxorem? habes filios? quid huic voluptati par? habes domum? habes amicos? Hæc valde jucunda sunt, et cum temperantia lucrum pariunt. Quid enim, quæso, liberis dulcius? Quid suavius uxore ei qui temperans esse velit. Feruntur Barbari quondam verbum sapientia plenum dixisse. Cum enim de theatris hisce improbis, et de intempestiva oblectatione audirent; Romani, inquiebant, ac si liberos et uxores non habeant; ita hujusmodi voluptates excogitarunt. Cum igitur venustam mulierem conspexeris, fulgidum habentem oculum, vultu hilari coruscantem, eximium quemdam decorem præ se ferentem, urentem animum tuum et concupiscentiam augentem; cogita terram esse id quod miraris, cinerem esse id quod te urit, et quiescet furens animus. Detege cutem vultus ipsius, et tunc videbis omnem venustatis vilitatem. Ne subsistas in superficie; sed interius penetra cogitatione; et nihil aliud invenies, quam ossa, nervos, venas. Verum hæc non sufficiunt? Cogita illam mutatam, senescentem, infirmantem, subsidentes oculos, excavatas genas, florem illum totum defluentem? cogita quid admireris, et te pudeat judicii tui. Lutum miraris et cinerem, pulvis te exurit. Pulchritudinis enim ejus[1], quam aspicis, substantia, nihil aliud est, quam pituita, fluxus, sanguis, et mansi alimenti succus. His enim et oculi et genæ et cætera omnia rigantur. Quod si non quotidie rigationem illam accipiant, ab alvo et jecore prodeuntem, subsidente plus

[1] Ex Serm. 2 ad Theod. lapsum.

æquo cute, et oculis in cavum cedentibus, continuo omnis decor aspectus avolat. Itaque si tecum reputes, quidnam intra pulchros illos oculos subsit, quid intra rectum nasum, quid intra os et genas, nihil aliud dices esse venustatem corporis, quam sepulcrum calce illitum. Tantis intus sordibus plena est. Ergo-ne si pannum videas aliquid hujusmodi habentem, nempe pituitam vel mucum, ne extremis quidem digitis attingere sustineas, sed neque conspicere velis, et ad horum cellas et horrea inhias? Is igitur qui corporis est amator et ad venustam puellam obstupescit, si velit sermone discere deformitatem substantiæ, eam ex ipso aspectu cognoscet. Etenim multæ paris ætatis illi quam amas, sæpe etiam venustiores, defunctæ, post unum vel alterum diem, fœtorem, saniem, vermiumque putredinem exhibuerunt. Cogita ergo qualem pulchritudinem ames, ad qualem venustatem obstupescas. Quæ est enim oculorum virtus? An quod humidi sint, et volubiles, et rotundi, et cyanei; an quod acuti et perspicaces? Et quænam est lucernæ virtus? Ut luceat et totam domum illustret; an ut pulchre concinnata sit. Neque enim a figura, sed a moribus et honestate pulchritudo vera noscitur. Ideo Christus mulierem impudicis oculis aspicientem castigavit, ut a majori pœna nos eximeret. Neque enim tantus est labor formosas non aspicere feminas, quantus est continere si aspicias. Qui enim non videt formosum vultum, etiam a cupiditate, quæ inde oritur, liber erit: qui autem videre desideravit, postquam prius mentem prostravit, et sexcenties illam inquinavit, tunc demum maculam concupiscentiæ ejicit, si tamen illam ejiciat. Cum igitur et labor ille intemperantibus minor sit, et lucrum majus, quare in mare innumerabilium malorum illabi contendimus? Cum ergo pulchram videris mulierem, et erga eam affectus fueris, ne amplius eam

intuearis et liberaberis. Et quomodo, inquies, potero non amplius videre, a concupiscentia allectus? Si cogitaveris nihil aliud esse id quod intueris, quam pituitam, sanguinem et alimenti putrefacti succum. Sed splendidus est, inquies, flos vultus. At nihil in terra est floribus splendidius; verum hi putrefiunt et marcescunt. Ne igitur ad hunc florem attende, sed mente interius penetra, et pelle illa pulchra per cogitationem avulsa, diligentius quæ sub ea latent scrutare. Nam et hydropisi laborantium corpus clare lucet, nec quidquam superficies mali præ se fert : at cum cogitatione intus residentis humoris percellimur, tales amare non possumus. Cum autem vir voluerit uxorem ejicere[1], aut uxor virum relinquere; hoc dictum in memoriam revocet, et Paulum existimet esse præsentem, illamque persequi clamantem ac dicentem, « Mulier » alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit[2]. » Hoc ergo declarans, non adjicit, quod si mortuus fuerit vir ejus, libera est; sed, quod si dormierit, ac si consoletur eam, quæ in viduitate est, et suadeat manere cum primo, neque secundum sponsum inducere. Non mortuus est, inquit, vir tuus, sed dormit. Quænam vero dormientem non expectet? Cum autem dicit liberam illam esse post mortem viri sui[3], ostendit illam vivente viro servam fuisse. Cum autem serva sit et subdita legi, etiamsi sexcenties libellum repudii acceperit, secundum externorum leges, adultera esse deprehenditur. Neque enim secundum leges illas te judicaturus est Deus in illo die, sed secundum illas quas ipse posuit. Externæ autem leges non simpliciter id posuere, sed etiam ipsæ rem puniunt, et implacabiles sunt circa peccatum illud. Undecumque enim fuerit obtentus solutionis, multa facultatum puniunt; nudum et pecuniis vacuum hunc ejicientes. Dicitur quis vete-

[1] Ex Serm. in *Mulier alligata est legi.* — [2] I Cor. VII, 29. — [3] Ex eodem.

rum philosophorum, cum uxorem haberet perversam, garrulam et ebriosam, interrogantibus cur talem ferret uxorem, dixisse: Ut gymnasium et palæstram domi habeam. Ero namque reliquis mitior, inquiebat, hac quotidie disciplina institutus. Dicitur autem hic philosophus ideo improbam uxorem non repudiasse; quidam vero narrant ideo illam duxisse. Cum ergo Græci plus quam nos philosophi sint, quam nos habebimus defensionem, cum illam contumelia afficimus, propter quam Deus parentes relinquere jussit. Quis sermo talem turpitudinem explicare poterit[1], quando ululatus et gemitus in quadriviis feruntur, et concursus vicinorum et prætereuntium in domum ejus, qui talem turpitudinem admisit, quique velut fera quæ intus sunt pessumdat? Melius esset hiscere terram adversus eum qui talia admittit, quam ipsum deinceps in foro conspicere. Obsequamur[2], quæso, legi Dei, nec uxores nostras ejiciamus, nec repudiatas ab aliis accipiamus. Quo enim oculo visurus es repudiatæ maritum? quo amicos illius et famulos? Nam si quis accepta defuncti cujusdam uxore; defuncti illius imaginem videns vim patitur et moleste fert; qui viventem uxoris suæ virum videt, quomodo vivet, quomodo in domum intrabit? cum quo animo, et cum quibus oculis videbit illius uxorem, quæ nunc sua est? imo neque illius neque suam jure quis esse dixerit. Quæ mœchatur enim nullius est uxor. Nam pacta cum illo conculcavit, et ad te cum congruentibus legibus non venit. Quæ amentia non fuerit rem tot malis onustam in domum inducere? An tanta est mulierum raritas, ut in caput tuum tantam perniciem trahas. Mulier enim quæ satis habuit priorem duxisse virum[3], ostendit, se neque hunc initio ducturam fuisse, si rei experientiam prius et

[1] Ex hom. 26 Epist. 1 ad Corinth. — [2] Ex Serm. in *Mulier alligata est legi.* — [3] Ex Serm. 2 ad viduam Juniorem.

probe habuisset. Quæ vero secundum inducit sponsum in prioris lectum, sui erga mundum amoris et erga res terrenas affectus signum dedit non parvum. Et illa quidem vivente viro, erga nullum alium affecta erat; hæc vero, etiamsi vivente marito cum nullo alio peccatum admiserit, multi tamen alii erant erga quos plus quam erga maritum erat affecta. Et neque primum, neque secundum sicut propriam carnem habebat[1]. Nam primus a secundo expulsus est, et secundus ab illo. Ac neque primi recte meminisse possit, cum alteri post illum attendat; neque tunc cum convenienti affectu respiciet, cum animus ejus cum illo qui discessit conformatus sit. Sicut enim in iisdem rebus maxime insistere solemus[2], cum bona experti sumus initia; cum autem ab initio, et ab ipsa, ut dixeris, prima linea, gravia et difficilia sensimus, cito resilimus, cum voluntatis affectus nobis extinctus sit; sic et mulieres, quæ in viduitatem intempestivam inciderunt, merito a secundis nuptiis abstineant. Nam quæ multo tempore in iisdem rebus versata, iisque probe repleta fuit, ut eadem assecutura, paria rursum attinget; quæ vero initia ita gravia experta fuit, qua voluntate et spe mota, ad molestarum rerum experimentum quomodo redibit. Si enim eas quæ a viris suis adhuc viventibus abstinent, tamen et admiramur et approbamus; eas quæ decedentibus viris parem affectum et benevolentiam, quomodo non admirari et laudare oporteat? Non ergo secundas nuptias ejicimus; verum laudamus eos qui se continere possint, et primis nuptiis esse contenti. Nam secundæ nuptiæ sæpe sunt pugnæ et rixarum initium et occasio. Sæpe namque vir ad mensam sedens, primæ uxoris recordatus, ante secundam lacrimas fundit. Hæc vero exasperata, sicut fera insilit, ejus erga illam amo-

[1] Ex eodem. — [2] Ibid.

ris pœnas repetens. Si defunctam laudare velit, laudes illæ belli et rixarum occasio sunt. Et hostibus quidem nostris, qui decessere libamus, et postquam ipsi mortui sunt, omnem erga illos inimicitiam deponimus. In uxoribus vero omnia e contrario. Quam enim non vidit, nec audivit hæc, et a qua nihil mala passa est, illam odio habet et aversatur, neque mors ipsa odium extinguit. Quis vidit, quis audivit zelotypiam in pulverem, et bellum contra cinerem? At non hîc malum sistitur : sed sive filii ex secunda uxore nascantur, sive non nascantur, rursus bellum et contentiones. Si non nascantur enim, majori afficitur dolore, et prioris uxoris filios, quasi inimicos, qui se maxime lædant respicit, per illorum vitam propriæ sterilitatis clariorem sensum accipiens. Si vero filii nascantur, rursus non minus est malum. Vir enim ejus sæpe erga defunctam bene affectus, filiis ejus patrocinatur, illosque amat atque ut orphanos miseratur. Illa vero ubique vult filios suos anteferri. Audite, viri, audite, uxores, conjugum affectum et dilectionem, quam mutuo ad pericula usque exhibuerunt. Postquam enim Abraham habitaverat in Geraris[1], de Sara uxore sua dixit, Soror mea est. Timuit enim dicere, Uxor mea est, ne forte propter illam viri civitatis istius illum occiderent. Et misit Abimelec rex in Geraris, et accepit Saram. Cogita mihi cogitationum tempestatem[2], quam subiit vir justus, videns uxorem suam abduci, nec se ulcisci valens. Cum silentio enim omnia tulit, gnarus Dominum, non se despecturum esse, sed cito in auxilium esse venturum. Et Saræ mirabilis est magnus ille affectus, quem, ut justum ex periculo eriperet, exhibuit. Licebat illi, revelato dramate et fictione, mox futuram contumeliam vitare; sed omnia generose sustinuit, ut justo salutem pareret. Et impletum est dictum illud, « Erunt duo in carnem

[1] Gen. XIX, 1. — [2] Ex Serm. 45 in Gen.

» unam[1]. » Nam ac si una caro essent, sic alter alterius saluti advigilabant, et tantum consensum exhibebant, quantum si unum corpus et una anima fuissent. Hæc audiant viri, audiant mulieres, ut et ipsæ tantum erga viros suos affectum ostendant, et ipsi quoque multam erga illas benevolentiam; et sic omnia agant ac si unum corpus et unam animam haberent. Et ingressus est noctu Deus ad Abimelecum dicens : Ecce morieris propter mulierem, quam accepisti; hæc autem est viro conjugata. Vide benignitatem Dei. Quia sciebat justum ob mortis metum[2], sublatam ab se fuisse Saram generose ferre, et regem quasi justi sororem illam accepisse, suam demum providentiam ostendit : simulque justum clariorem efficit, Saram a contumelia liberat, et regem, ne rem iniquam patret impedit. Abimelec autem, inquit, non tetigit eam; sed sese de tali ausu purgat, et ait : Domine, gentem justam et ignorantem perdes[3]? num sciens illius uxorem esse hoc feci? Num quod vellem peregrinum injuria afficere, aut uxorem ei auferre? Quasi sororem ducturus hoc feci, putans me sic illum honore afficere. Annon ipse dixit mihi, Soror mea est, et illa mihi quoque dixit, frater meus est. Quid ergo benignus Dominus[4]? Et ego noveram te id puro corde fecisse, quod illi hoc drama et fictionem apparàrint, et te illorum dictis deceptum id perpetrasse. Ideoque ne propter illorum fallaciam peccares, peperci, ut ne in me peccares. Ne utcumque quasi e vulgo aliquem, hunc virum excipias; sed disce illum ex eorum numero esse, qui mihi admodum curæ sunt, et qui mecum multam familiaritatem habent. Redde igitur uxorem homini, quia Propheta est, et orabit pro te, et vives[5]. Ille namque timens ne a te occideretur, hoc drama finxit, ac pene id effecit, ut Sara contumelia afficeretur.

[1] Gen. II, 24. — [2] Id. XX, 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7.

Scito autem ejus preces vitam tibi conciliaturas esse. Si vero non reddas, certum habe te moriturum, et tua omnia peritura esse. Non modo enim tu inobsequentiæ pœnas dabis, sed etiam omnia tua. Expergefactus autem Abimelec vocavit pueros suos, et hæc omnia ipsis narravit. Deinde vocavit Abrahamum. Cogita mihi deinceps cum quanta magnificentia ad regem introducatur justus, qui paulo antea pro nihilo reputabatur, et nihil horum sciebat. Edidicit demum ab ipso rege, ea quæ Deus propter ipsum fecerat. Dixit enim illi, Cur hoc nobis fecisti? Quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? Num mihi soli, inquit, pœna immittenda erat? Totum regnum meum funditus delendum erat, ex fallacia tua. Quo igitur respiciens hoc fecisti? Qua de causa? Quid cogitans? Quid ergo Abraham? Anxius, inquit, fui, ne forte, quia vos adhuc in errore detinemini, nullam justitiæ rationem haberetis, et discentes illam uxorem esse meam, ob ejus concupiscentiam me occidere tentaretis. Ne igitur putetis me etiam sic esse mentitum. Etenim illa soror mea est ex patre[1], sed non ex matre: a me autem in uxorem ducta est. Ne itaque me condemnetis. Si enim timor mortis me in hanc necessitatem constituit, ut timerem ne propter illam me occideretis, illam autem servaretis: attamen neque sic mendacium est id quod dixi. His dictis justus et iram regis placavit, et virtutem suam ostendit, atque sufficientem ipsis piæ religionis doctrinam induxit. Reveritus itaque rex magnam justi æquitatem, liberalitate sua Patriarcham remuneravit. Accepit enim, inquit, Abimelec mille didrachmata[2], et oves et vitulos, et servos et ancillas, et reddidit illi Saram uxorem suam. Vides-ne solertem Dei sapientiam? Nam qui mortem timebat, et nihil

[1] Gen. xx, 12. — [2] Ibid. 14.

non agebat ut illam effugeret; non solum illam vitavit, sed etiam tanta loquendi libertate dignatus est, et statim illustris evasit. Talia enim sunt Dei beneficia. Non solum enim ab ærumnis liberat eos qui imminentibus periculis obsistere generose curant; sed tantam in ipsis ærumnis præbet lætitiam, ut in omnimodam eorum oblivionem veniant, et in magna sint bonorum abundantia. Ut et in hoc justo contigit. Non modo enim tot donis ipsum cohonestat, sed etiam facultatem ipsi dat habitandi in terra sua. Ecce enim, inquit, terra mea coram te est, ubicumque tibi placuerit habita. Quia enim didicerat quod propter ipsum ejusque preces vita ipsi concessa fuisset, quasi benefactorem demum et curatorem, peregrinum illum, erronem et prorsus sibi ignotum colere festinat. Et factum est cum ad extremam senectutem devenisset Abraham, cum vellet Isaacum a Chananæorum affinitate sejungere, ne inde duceret uxorem, advocans unum ex domesticis magis benevolum et prudentem hac de re mandata dat illi et ait : Pone manum tuam super femur meum[1], et adjuro te per Dominum Deum cœli et terræ, ne accipias uxorem filio meo Isaac ex filiabus Chananæorum, quibuscum ego habito; sed in terram meam, ubi natus sum, perges, et in tribum meam, et inde accipies uxorem filio meo : Vidisti-ne mandatum Patriarchæ ad famulum[2]. Cogita quomodo antiquitus non pecuniarum copiam curarent, non divitias multas, non mancipia, non tot et tot terræ jugera : non formæ venustatem requirebant, sed animæ pulchritudinem et morum nobilitatem. Sed Patriarcha de animæ virtute sollicitus, et fugiens incolarum nequitiam, ita se gerit. Nunc autem omnes non quid simile cogitaverint : sed etiamsi mille malis plena puella sit, unam solum requirunt pecuniarum copiam, cætera-

[1] Gen. XXIV, 2. — [2] Ex Serm. 48 in Gen.

que omnia postponenda putantur. Nescientes, quod si animus corruptus sit, etiamsi immensæ affluant divitiæ, cito in extremam paupertatem redibunt, ac nihil juvabunt facultates, cum non adsit anima quæ id possit recte administrare. Acceptis igitur famulus camelis[1], et ex omnibus domini sui bonis, surgens in Mesopotamiam se contulit, in civitatem Nachor fratris Abrahami, et requiem camelis dedit extra civitatem ad puteum aquæ : et dixit : Domine Deus domini mei Abraham, prosperam fac viam meam ante te hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham. Et ecce ego sto ad fontem aquæ, filiæ autem incolarum egrediuntur ad hauriendam aquam : et erit virgo, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam; et illa mihi dixerit, Bibe, et camelis tuis potum tribuam, donec cessent omnes bibere; hanc præparasti puero tuo Isaac : et in hoc cognoscam, quod feceris misericordiam cum domino meo Abraham. Vide famuli prudentiam. Quia enim sciebat Patriarchæ hospitalitatem, et quod oporteret puellam, quæ inde adducenda erat, justo viro moribus similem esse, nullum aliud signum quærit; sed ex voluntate puellæ, hospitalitatis ejus notitiam vult sumere. Et dicebat : Si me petente ab illa aquam, ipsa hydriam inclinaverit, neque postulatum modo concesserit, sed et voluntatis suæ servitutem ostenderit, dicens, etiam camelis tuis potum tribuam, sic aquam præbendo morum probitatem sufficienter demonstraverit. Deinde quia Patriarchæ precum efficaciam per opera significari vidit, et quam desiderabat puellam invenit, viditque ejus ingentem hospitalitatem[2]; festinavit enim, et effudit hydriam in canalem, et cucurrit adhuc ad puteum ad hauriendum, et camelis ejus omnibus potum dedit, neque ab illo fugit tanquam a peregrino, ne-

[1] Gen. XXIV, 10. — [2] Ibid. 20.

que castitatis obtentu petenti abnuit. Edidicit demum, et accurate perquisivit ea quæ ad illam spectabant, interrogavitque cujus filia esset, et num esset apud patrem ejus locus ad diversandum. Et vide puellæ responsionem. Sciscitante namque famulo cujus esset filia, non patrem solum indicat, sed et patris patrem, et ait: « Filia sum » Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor[1]. » Et rursum de loco, sciscitante famulo an esset locus ad diversandum, ait illa, non modo locus, sed paleæ et fœni multum apud nos. Vides-ne in tali ætate[2], et castitatem summam, et humilitatem maximam, et hospitalitatem immensam? Quantis divitiis pretiosiora, quantis thesauris excellentiora hæc non putet? Hoc maximum dotale munus est: hoc innumera bona complectitur, hoc thesaurus est nunquam absumptus. His auditis famulus, admirans largam hospitalitatem, cum didicisset se non apud ignotos advenisse; sed in domum Nachoris, qui frater erat Abrahami domini sui, gaudens de iis quæ sibi a puella dicta fuerant, adoravit Dominum, qui ob suam erga Patriarcham benevolentiam, tantam ipsius curam exhibuerat, ut sic omnia sibi facilia et prospera parasset. Et dixit: « Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, » qui non abstulit justitiam et veritatem suam a domino » meo Abraham[3]. » Deindeque ipse quisnam sit puellæ indicat, et per gratiarum actionem Deo redditam ipsi declarat, se non ex aliena domo advenisse, sed eum qui se miserat Nachoris esse fratrem. His auditis puella cum gaudio multo currens, quæ a famulo audierat parentibus suis nuntiavit. Et cucurrit Laban ad hominem[4], ad fontem, et videns illum stantem cum camelis, dixit illi: Cur stas foras? Veni, intra: jam enim paravi domum, et locum camelis. Deinde ingresso illo, destravit camelos, et

[1] Gen. XXIV, 24. — [2] Ex eodem. — [3] Gen. XXIV, 27. — [4] Ibid. 29.

dedit eis paleas et fœnum, et aquam ad abluendos pedes ejus, et virorum, qui cum illo erant : et apposuit eis panem ad manducandum. Sed hic mihi considera magnam famuli prudentiam. Quid enim ait? Non comedam[1], donec causam vos docuero, propter quam missus sum, tantam viam emensurus, et cur ex Chananæa huc advenerim, et quomodo in domum vestram ductus sim, ut hæc omnia discentes, sic et vos benevolentiam vestram exhibeatis erga dominum meum. Et narrare incipiens ait : Servus Abrahæ sum : Dominus autem benedixit dominum meum valde, et dedit illi oves et vitulos, aurum et argentum, servos et ancillas, camelos et asinos. Et peperit Sara uxor domini mei filium unum domino meo, postquam ille senuerat, et dedit illi omnia quæ sua erant, et adjuravit me dominus meus dicens : Non accipies uxorem filio meo Isaac, de filiabus Chananæorum, apud quos ego habito; sed in domum patris mei ibis, et in tribum meam : et inde sumes uxorem filio meo. Et ille quidem hæc præcepit. Ego vero difficultates cogitans, et arduam rem esse mecum reputans, dominum interrogavi : Si non velit mulier mecum venire? Et dixit mihi : Dominus in cujus conspectu placeo, ipse mittet Angelum suum tecum, et prosperam faciet viam tuam, et accipies uxorem filio meo ex tribu mea et ex domo patris mei. Hæc cum jussisset, et talibus mihi precibus viam parasset, misit me. Quia vero preces ejus exauditæ sunt, et sic omnia a Deo clare sunt dispensata, ita ut ad vos advenerim; jam vos quoque quæ vestra sunt exhibete : et si faciatis misericordiam erga dominum meum, annuntiate mihi, ut sciam quid mihi faciendum sit; sin minus, ut alio viam suscipiam. Et dicunt illi pater et frater puellæ : A Domino exiit verbum hoc[2]; non poterimus tibi contra vel bonum vel malum

[1] Gen. XXIV, 32. — [2] Ibid. 50.

dicere : non enim possibile est ut hoc a nobis fiat. Ecce habes puellam, illa accepta discede, et erit uxor filio domini tui, sicut locutus est Dominus. His a patre et a fratre auditis servus adoravit Dominum in terram procumbens, et educens vasa aurea et argentea et vestimentum, dedit Rebeccæ, ac deinde cum fiducia ipsi famulatus est, ut jam verbis desponsatam Isaaco : donis etiam cohonestavit et fratrem et matrem. Et cum vidit domini mandatum ad effectum esse deductum, ad requiem sumendam se convertit. Comederunt enim, inquit, et biberunt ipse et viri qui cum illo erant, et dormierunt. Et mane surgens dixit : Dimittite me, ut revertar ad dominum meum. Dixerunt autem fratres et mater : Maneat virgo nobiscum per decem circiter dies, et postea proficiscemini. Ille vero reposuit : Cur differtis et procrastinatis, cum Deus tantam facilitatem in omnibus mihi præbuerit ? Illi vero dixerunt : Advocemus puellam, et interrogemus eam. Et advocarunt dixeruntque illi : Abibis-ne cum hoc homine ? Illa vero dixit, Abibo. Et dimiserunt Rebeccam et quæ ipsius erant, ac servum Abrahæ eosque qui cum illo erant. Et benedixerunt Rebeccæ, dixeruntque illi : Sis in millia millium, et possideat semen tuum portas inimicorum tuorum. Et surgens Rebecca et puellæ ipsius, ascenderunt in camelos, ac cum homine illo profectæ sunt. Vides-ne quam ducat sponsam Patriarcha, aquam ministrantem, et hydriam humeris ferentem, in camelos ascendentem ? Num muli erant, qui argento a collo fulgerent ? Num famulorum agmen, vel illa tanta mollities quæ nunc cernitur ? Nequaquam. Sed tanta tunc erat veterum mulierum virtus et fortitudo, ut in camelos ascenderent et viam carperent. Vidistis ex iis quæ Abraham filii causa fecit, quomodo antiquitus curarent parentes filiis suis uxores deligere ? Quomodo ante pecunias animæ

nobilitatem requirerent? Num rescripta? num pacta et alia ridicula, quæ nunc fieri solent? Nihil illis simile, sed maximum rescriptum erant puellæ mores. Et id scietis cum puellam ad sponsum adductam videritis. Exierat enim[1], inquit, Isaac in agrum ad meditandum, et respiciens, vidit camelos venientes, quibus insidebat Rebecca. Rebecca autem videns Isaacum, exiliit ex camelo, et dixit puero : Quis ille homo qui venit in agro in occursum nobis? Et cum didicisset ipsum esse qui se ducturus erat, operuit se pallio, inquit. Et adveniens puer enarravit accurate omnia Isaaco. Perpende quomodo nusquam superflua illa et inutilia visuntur ; nusquam pompa diabolica[2], nusquam cymbala, tibiæ et choreæ, et Satanica illa convivia; sed omnia gravitas, omnia sapientia, omnia modestia. Ingressus est, inquit, Isaac in domum matris suæ, et accepit Rebeccam, et fuit uxor ejus, et dilexit eam. Hanc imitentur mulieres, hunc æmulentur viri, et sic sponsas duci curent, ut sponsi amor augeatur, et puellæ castitas accrescat, et cum voluptate vitam transigant, a Dei gratia conjuncti. Quod si velis liberalitatem lucrum habentem in nuptiis exhibere, choros pauperum advoca. Sed te pudet et erubescis? Ecquid hac amentia deterius? Cum diabolum in domum attrahis, nihil te turpe facere arbitraris; cum autem Christum inducturus es, erubescis? At nemo, inquies, in urbe hoc fecit. Sed cura ut tu incipias, et princeps sis hujus optimæ consuetudinis, ut qui postea futuri sunt, id ad te referant. Et si quis æmuletur hoc opus atque imitetur, posteri et qui ex illis orientur, sciscitantibus dicere possint, ille talis hac pulchram legem primus induxit; et quod ab aliis recte peragetur, tibi primo, qui plantasti, fructuum illorum mercedem feret. Ac sicut illic mollibus

[1] Gen. XXIV, 63. — [2] Ibid. 67.

viris et mimis choreas agentibus, diabolus in medio saltat; sic pauperibus intrantibus, Christus advenit. Et a sumptu quidem illo fructus nullus, sed magnum affertur detrimentum; a sumptibus istiusmodi multum cito accipies fructum. Et quod hoc verum sit, a puella quæ in Joppe erat disce. Etenim illam olim mortuam jacentem, circumstantes illi pauperes, qui ab illa alimentum ceperant, et lacrymantes illam suscitavere et ad vitam reduxere, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI NONAGESIMI TERTII.

ANNOTATIONES[1].

ANNOTATIO (1) pag. 8.

Campiductores ii erant qui exercitiis militaribus præerant, quique tirones docebant, ut ait Vegetius l. 1 cap. 13. Hæc vox occurrit etiam apud Lampridium in Severo. c. 53. *Certe campiductores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas, etc.* Ubi restituendum putat Salmasius, *Campidoctores*, sed vox *Campiductores* hoc Chrysostomi exemplo firmatur : tria item profert exempla Cangius in Glossario Græco ex Leonis Imp. Tacticis, ubi semper Καμπιδούκτωρ legitur. Sic etiam Ammianus Marcellinus l. 19. Videtur Salmasius *Campidoctorem* malle, quia Vegetius supra allato loco et in duobus aliis Campidoctorem legit. Verum monet Stevvechius ad singula loca Campiductorem legendum esse, et ad lib. III cap. 6. addit sic in membranis haberi. Attamen exempla duo præfert Gruterus in Thesauro, ubi Campidoctor legitur.

ANNOTATIO (2) pag. 13.

Cyriacus diaconus ab Joanne nostro ad Innocentium

[1] Nonnulli errores typographici in numeros annotationum irrepserunt, quos ita corrigas velim. Pag. 8, lign. 22 add. n. (1) qui deest. — Pag. 13, lign. 7 deest pariter n. (2) quem addas. — Pag. 17, lign. 6 prætermissum pariter adjicias n. (4). — Pag. 136, lign. 10 n. (5) lege n. (8) bis.— Cætera bene currunt.

missus, cum hac epistola remissus fuisse creditur, quo tempore missus remissus-ve in Vita Chrysostomi Benedictina indagatur

ANNOTATIO (3) pag. 16.

Sacra, Vox frequens ad significanda diplomata et epistolas Imperatorum : est vero quasi *Sacra Epistola.* Harum epistolarum usum videas apud Cangium in Glossario Latino.

ANNOTATIO (4) pag. 17.

Hic agit Honorius de violenta in Ecclesiam irruptione de qua Chrysostomus supra in Epist. 1 ad Innocentium papam.

ANNOTATIO (5) pag. 50.

Hic Locus Jobi paulo aliter habetur in Bibliis. Sed Chrysostomus hic, ut sæpe alibi, memoriter loquitur.

ANNOTATIO (6) pag. 116.

Locum hunc opinor in mente habuit Jeremiæ 3. 2. *In viis sedisti sicut cornix desolata*, vel certe quod est Baruch. VI. 53. *Sicut enim corniculæ in medio cœli et terræ.*

ANNOTATIO (7) pag. 127.

Hanc Sabinianam diaconissam opinatur Tillemontius eam fuisse quæ Sabiniana diaconissa vocatur aPalladio in Hist. Rosveid. p. 965, et quam dicit fuisse Joan nisnostri amitam. Quod si non certum, verisimile utique est. Constantius infra memoratus, presbyter ille est ad quem mittitur epistola ccxxi. infra.

ANNOTATIO (8) pag. 130.

Hunc Galatam putamus fuisse Leontium Archiepiscopum Ancyræ in Galatia, qui inter primipilares inimicorum Chrysostomi numerabatur.

ANNOTATIO (8 *bis*) pag. 136.

Cum ait Chrysostomus ex initiis sibi videri istum aërem non minus Orientalem esse quam Antiochenum, non de positione Cucusi qualis in tabulis Geographicis repræsentatur, agit; neque enim ignorare poterat Cucusum multis gradibus ad septentrionem magis accedere, quam Antiochiam; sed loquitur, ut liquet, de loci temperie, qualis ex situ petebatur.

ANNOTATIO (9) pag. 161.

Polyarchium genus est unguenti, quod alibi memoratum non occurrit mihi. Nardinum et musteum oleum, un-

guenta quæ essent vide in *Antiquitate explanatione et schematibus illustrata.* Tomo III. part. 2. Lib. 1. Cap. 3.

ANNOTATIO (10) pag. 165.

Erat archiater et medicus sacri Palatii, unde, ut observat Ducæus, in Codice Theodosiano titulus est de Comitibus et Archiatris sacri Palatii.

ANNOTATIO (10 *bis*) pag. 167.

Putat Fronto Ducæus verisimile esse hunc Valentinum fuisse præfectum Prætorio aut urbi Constantinopoli, quia magnificentiæ honorifico vocabulo compellatur. Verum quoniam Rectores etiam provinciarum, et Patricii, ut ipse fatetur, magnificentiæ titulo exornati occurrunt, res in incerto versatur.

ANNOTATIO (11) pag. 185.

In hanc formulam hæc optime notat Fronto Ducæus. «Billius *Duci;* apud Ammianum Marcellinum sæpe leges, *ex Duce, ex Vicario, ex Magistro.* Ut lib. 22. *Artemius ex Duce Ægypti*, id est qui fuerat Dux Ægypti. Julius Capitolinus in Gordianis : *Duo a Gallicano ex Consulibus, et Mæcenate ex Ducibus interempti sunt;* et lib. 6. Codicis Theodosiani, tit. 23, lib. 1 : *Inter eos qui ex Ducibus sunt, esse præcipimus in adoranda nostra serenitate.* Procopius, lib. 1. οὔτε Ρωμαίων ϛρατιωτῶν ἄρχων, οὓς Δοῦκας καλοῦσιν : *neque Romanorum militum præfectus, quos Duces vocant.* Duces etiam in posteriorum Impera-

lorum Constitutionibus appellantur, tam qui militibus, quam qui provinciis et limitibus præerant, ut in Codice Theodosiano, *Dux limitis Tripolitani*, et, *Dux Rhetici limitis* apud Vopiscum. »

ANNOTATIO (12) pag. 187.

Hæc apposite notat Fronto Ducæus. « Billius interpretatus erat, *Consulari*; atqui posteriorum Imperatorum ætate Consulares dicebantur non jam ut tempore reipublicæ Romanæ, vel ante Julium Cæsarem, qui Consules fuerant, sed qui provincias quasdam regebant et Italiæ regiones, ut ex Codice Theodosiano et Notitia imperii liquet, unde Consularis Æmiliæ, Consularis Bæticæ, Pannoniæ, et ἀρχαὶ Κονσουλαριαί, Novella 8. et formula Consularitatis apud Cassiodorum lib. 6. Variarum Ep. 2. Secures eis et fasces præferebantur et carpenti subvectione decorabantur. Qui autem Consules fuerant vocabantur Exconsules, vel Exconsulibus, et qui functi erant Consularis magistratu Exconsularibus, vel Exconsulares itidem appellabantur. Vide etiam Cassiodorum lib. 3. c. 27. et lib. 5. cap. 9. Sic infra epist. 139 fit mentio Consularis Syriæ.

ANNOTATIO (13) pag. 239.

Hic Theodorus putatur esse Theodorus Mopsuestenus ab adolescentia Chrysostomo amicus et familiaris.

ANNOTATIO (14) pag. 297.

Hic Chromatius ad Joannem Chrysostomum scripsit,

ut commemorat Palladius in Vita Chrysostomi cap. 4. Hujus etiam mentio habetur in epistola Innocentii ad Chrysostomum; eumdemque Chromatium Aquileiensem honorifice commemorat Hieronymus Præfatione in libros Paralipomenon et in epistola 66.

ANNOTATIO (15) pag. 299.

Hæc et sequentes epistolæ ad episcopos qui ab Occidente venerant missæ, excepto quodam verborum discrimine, ejusdem pene formæ sunt, et ab eodem presbytero deferendæ dicuntur. Sic autem a Chrysostomo concinnatæ fuisse videntur, ut etsi ad episcopos Occidentales simul missæ dicantur, suum tamen cuique episcopo traderetur exemplar.

ANNOTATIO (16) pag. 321.

Venerius Mediolanensis ad Chrysostomum scripsisse fertur apud Palladium in Vita Chrysostomi cap. 4. Hic etiam commemoratur in epist. Innocentii ad Chrysostomum.

ANNOTATIO (17) pag. 322.

Hesychius Salonensis episcopus ille putatur esse, cujus extat commentarius in Leviticum.

ANNOTATIO (18) pag. 323.

Gaudentii Brixiani episcopi extant sermones in Exodum et in Evangelia, atque alia quædam opuscula.

ANNOTATIO (19) pag. 329.

Ampruclam eamdem putat esse Fronto Ducæus quam Proculam, sive potius Proclam ut eam vocat Palladius in Vita Chrysostomi cap. 10. Qua de re agitur in Vita S. Doctoris apud Benedictinos.

ANNOTATIO (20) pag. 335.

Hujus Studii mentio habetur in Vita Chrysostomi per Palladium, *Studii præfecti urbis*, qui cum aliis ibidem memoratis calumniam a Joanne episcopo, id est Chrysostomo depellebant. Alius autem hic est, ut recte monet Fronto Ducæus, ab eo Studio qui anno 459, imperante Leone, S. Præcursori templum erexit, in quo monachos Acœmetas dictos constituit : quibus tempore Leonis Isauri præfuit Theodorus Studites dictus.

ANNOTATIO (21) pag. 345.

Palladius in Vita Chrysostomi cap. 4 Marsam commemorat Promoti uxorem viduam inter eas, quæ Chrysostomo infensæ erant : unde forte inferas hanc monachis Gothis in agro vel fundo suo sedes habentibus molestiam intulisse, utpote Chrysostomi asseclis ; at id nonnisi conjectando dicatur.

ANNOTATIO (22) pag. 351.

Erant Constantinopoli Scholæ, seu cohortes militum

Palatinorum ad custodiam Imperatoris atque Palatii, quorum frequens mentio apud scriptores maxime Byzantinos. Loca etiam in quibus versabantur Scholæ hujusmodi, Scholarum et ipsa nomine gaudebant. Erant item Scholæ aliæ militares quæ persæpe occurrunt. In Ecclesia Latina Scholæ cantorum memorantur, aliæque item Scholæ. Fronto Ducæus in notis putat hunc Philippum presbyterum, et Euthymium item presbyterum, qui ex Schola pulsus fuisse dicitur infra, vel capellanum fuisse Scholæ cujuspiam hujusmodi militaris, vel in Schola Ecclesiastica quapiam fuisse : Tillemontius autem opinari videtur hos fuisse Scholarum pædagogos, et ex hoc officio pulsos. Res in incerto versatur. Apud Palladium de Vita Chrysostomi c. 20 Philippus vocatur Asceta, et presbyter Scholarum.

ANNOTATIO (23) pag. 354.

Σπόρτουλα. In hanc vocem hæc erudite notat Fronto Ducæus : « Vox est a Latina deflexa : sportulas enim vocant Romani calathos vimineos, in quibus pecuniæ condi solebant, ut Asconius scribit : deinde prandium vel cœna, quæ in sportellas conjecta dabatur clientibus vice cœnæ rectæ, sportula est dicta; tum latius porrecta sportularum appellatio ad salaria, congiaria, et honoraria quævis. Vetus glossarium definit, τὰ ἐν σπυρίδι διδόμενα ξένια, *Xenia quæ in Calatho dabantur.* Inde honorarium decurionatus, et ea quæ decuriones dabant pro introitu, et pecuniæ quæ judicibus vel executoribus litium ac negotiorum pro salario dabantur, sic appellantur in tit. de Sportulis Judicum. Item diaria quæ sacerdotibus dabantur, Cyprianus epist. 34. *Ut sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas æquatis quantitati-*

bus partiantur. Et sportulantes clerici, sive fratres sportulantes, qui diaria et sportulas accipiunt, ab eodem dicuntur epist. 66. Sportularum igitur nomine vel honorarium aliquod vel subsidium victus hic intellige, quod Chrysostomo a Valentino dabatur. »

ANNOTATIO (24) pag. 358.

Monachi inclusi, qui sese in cellula quadam abdebant, frequenter memorantur in historia Ecclesiastica et Ascetica. In epistola autem secunda ad Theodorum lapsum, historiam habes Monachi cujusdam qui lapsus, postea in cellàm sese includi curavit, et hoc genere vitæ plurimis annis est usus.

ANNOTATIO (25) pag. 370.

Hæc epistola ad Porphyrium Antiochenum episcopum data est, qui defuncto Flaviano sedem Antiochenam invaserat; et inter acerrimos Chrysostomi hostes numerabatur.

ANNOTATIO (26) pag. 317.

In edit. Morel. ex quinque sequentibus epistolis prima sic inscribitur, *Constantio presbytero ad matrem*, et sic etiam legitur in Codice Regio, quam lectionem ex Codice quodam Antuerpiano excerptam, asserere nititur in notis suis Fronto Ducæus; atque ita vult titulum intelligi, ut Chrysostomus Constantio, qui lateri suo hærebat, has

epistolas dictaverit, ad matrem et ad sororem ipsius Constantii et ad amicos ejus mittendas; et vere, addit Fronto, stylus Chrysostomum sapit. At Savilius exemplari usus Bongarsiano hunc titulum posuit, Κωνςαντίου πρεσβυτέρου ἐπιςολαί τινες. Α΄. πρὸς τὴν μητέρα. Huic accinit Codex Vaticanus qui habet Κωνςαντίνου πρεσβυτέρου πρὸς τὴν μητέρα. Quod Κωνςαντίνου pro Κωνςαντίου mendose posuerit, nihil negotii facessit, nam frequentissima est in manuscriptis hæc vocum commutatio. Stylus certe, contra quam opinatur vir doctus Fronto Ducæus, a Chrysostomi dicendi genere longe deflectit, ut quisquis Chrysostomi Epistolas legerit, statim animadvertet. Hic Constantius presbyter Antiochenus ex præcipuis erat Joannis Chrysostomi amicis, et a scelesto illo Porphyrio, qui indignis modis Antiochenam sedem invaserat, multis affectus ærumnis, Chrysostomum tunc Cucusi exulantem adierat, ejusque lateri hærebat, ut circa finem sequentis epistolæ indicat : *Nos enim hic multa voluptate perfundimur, dum sanctissimi episcopi consuetudine, ac loci hujus quiete otioque summo oblectamur.* Non ab re opinatur Tillemontius epistolam ad episcopum Antiochenum (scilicet Porphyrium) quæ est supra num. 233 esse non Joannis Chrysostomi, cujus tamen nomen præ se fert, sed ejusdem Constantii presbyteri : nam et dicendi ratio, etiamsi non inelegans, et res ipsæ quæ dicuntur, Constantium presbyterum magis referunt, quam Chrysostomum.

ANNOTATIO (27) pag. 387.

Epistola ad Cæsarium a Chrysostomo secundi ipsius exilii tempore scripta fertur initio et fine. Interpretationem ejus Latinam ex codice quodam Florentino descripserat

olim Petrus Martyr Florentinus, qui a Catholica religione descivit, ac delatam secum in Angliam in Cranmeri archiepiscopi Cantuariensis bibliotheca reposuit. At post Cranmeri necem, ejus Bibliotheca direpta fuit, et epistola deinceps nusquam comparuit. Cum autem illa ab iis, qui *transsubstantiationem* negabant, in testimonium adducta fuisset, ab ejusdem *transsubstantiationis* propugnatoribus negatum est eam uspiam extitisse, cujus exemplar nullum proferri posset. Anno autem 1680, vir Cl. Emericus Bigotius interpretationem illam Latinam ex Codice Florentino in bibliotheca Dominicanorum D. Marci descriptam edidit post Palladii librum de vita Chrysostomi. At censor quispiam epistolam jam cusam supprimendam esse putavit, ac revera suppressit cum notis Bigotii. Anno autem 1685, Stephanus le Moyne, in libro cui titulus *Varia sacra*, tomo primo, hanc epistolam ad calcem edidit ut in Ms. habetur, multis mendis respersam, et aliquot in locis deformatam, ut vix aliquis sensus elici possit. Edidit etiam V. Cl. Jacobus Basnage Roterodami anno 1687, cum parte illa præfationis Bigotianæ, quæ hanc epistolam respiciebat, quæque cum epistola ad Cæsarium expuncta fuerat, adjectis etiam fragmentis Græcis, quæ Bigotius collegerat. Aliæ quoque apud heterodoxos prodierunt hujus epistolæ editiones. Demum vir eruditus Jo. Harduinus ex Societate Jesu, anno 1689, eamdem publicavit, remque Catholicam adversus heterodoxos, qui hanc ad sua tuenda dogmata usurpabant, strenue vindicavit. Hic iterum illam proferimus aliquot in locis emendatam; fragmenta autem Græca, quæ ex Anastasio presbytero, ex Joanne Damasceno et ex aliis desumpta fuerant, auctiora leguntur apud Maurinos, beneficio doctissimi amicissimique viri Michaelis Lequien ex ordine Prædicatorum, qui hæc ex Anastasio et ex Joanne Damasceno diligentius collegit.

Jam hîc plurima disquirenda sunt; nimirum an hic scriptor sit Joannes Chrysostomus, an alius qui ejus nomen ementiatur; qui sit epistolæ scopus; et quid sentiendum sit de loco illo, qui circa *transsubstantiationem* tot controversiarum ansam dedit.

Quod attinet ad primam quæstionem, utrum scilicet hæc epistola sit vere Chrysostomi, nec ne; ea pro Chrysostomi fœtu habita est a Joanne Damasceno, ab Anastasio presbytero, a Nicephoro, ab aliisque qui de duabus naturis disputarunt; quin et ipse titulus Joannem episcopum Constantinopolitanum, scilicet Chrysostomum, auctorem prodit : sic enim habet, *Incipit epistola beati Joannis episcopi Constantinopolitani ad Cæsarium monachum tempore secundi exilii sui*; quod ipsum totum repetitur in fine : *Explicit epistola* (sic) *Johannis* etc. Nihil mirum ergo si heterodoxi hinc se prævalidum contra Catholicam fidem argumentum mutuari posse putantes, eam quasi genuinum Chrysostomi fœtum, nullo præmisso examine, protulerint. Harduinus etiam ipse et titulo et veterum testimoniis abductus, Chrysostomi esse putavit; id quod ipsi stimulo fuit, ut majori conatu, et feliciori exitu adversariorum tela depelleret argumentaque confutaret. Sub hæc autem laudatus vir Michaël Lequien in Dissertatione tertia in fronte operum S. Joannis Damasceni posita p. XLVIII. *et seqq.* se operis dubitare testificatus, hujusmodi argumenta proposuit ad eam Chrysostomo abjudicandam. Animadvertit autem primo eam a nemine ante Leontium laudatam fuisse; etsi perspicua loca præ se ferat adversus Eutychianos, necnon unius voluntatis et operationis assertores : quæ sane loca non prætermittenda erant in Synodis quinta et sexta, non ab illis qui eas hæreses impugnarunt, non a Nestorii vindicibus; et tamen nullus eorum hanc epistolam, vel ejus laciniam quamlibet commemoravit. Ad-

jicit vir doctus hos loquendi modos, *quod infernum evomuit in Christo dicere unam naturam post unitionem?* Et : *Iterum dicunt : Post unitionem non oportet dicere duas naturas*, et similes, tantum usurpari cœpisse postquam Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorium scripsit : *Ex duabus naturis ineffabilem unitionem esse factam : dividendas non esse substantias post unitionem*; *unam post unitionem esse Dei Verbi naturam incarnatam*, et postquam circa hæc verba digladiantes plurimi, eo devenerunt ut dicerent ipsam deitatem passam fuisse; qua ætate editæ fuere dissertationes illæ, quæ Athanasii nomine circumferuntur Tomo secundo p. 560. 561 *et seqq.* in quibus eædem ferme res exagitantur, quæ in hac epistola passim feruntur. Putat quoque vir eruditus hanc epistolam, non modo post Chrysostomi obitum, sed etiam post Nestorianæ hæresis exortum scriptam fuisse : nam antea, inquit, auditum non erat Christum non modo *ex duabus naturis*, sed etiam *in duabus existere*, quod primum Cyrillus docuit, deindeque Synodus Chalcedonensis contra Eutychen definivit; quæ etiam Synodus ex Cyrillo adjecit, Christum perfectum esse in divinitate, et perfectum in humanitate. In epistola vero ad Cæsarium legitur : *Agnoscendum esse Filium non in una solum natura, sed in duabus perfectis.* Notandum tamen est Athanasium Libro primo contra Apollinarium dixisse Christum esse perfectum Deum et perfectum hominem. Verum licet hæ voces, unitio et duæ in Christo naturæ perfectæ non ignotæ prorsus fuerint ante Chrysostomi ævum : certum tamen est eas non fuisse ita frequenti usu receptas, ut fuerunt temporibus Nestorii et Eutychis; atque adeo videri hunc scriptorem, qui illis passim utitur, in istud ævum conferendum esse. Movet item R. Patrem Lequien, ut epistolam Chrysostomo abjudicet, quod in ea dicatur : *Si enim*

Deum dixeris pertulisse qualicumque cogitatione, quod impossibile est dixisti : id quod blasphemum est et immane; nam etsi hoc loquendi genus aliquo modo tolerabile esse videretur, quo tempore res nondum definita erat, multis existimantibus idipsum esse dicere Deum passum, ac passam deitatem; attamen his adversa tradit Chrysostomus plurimis in locis. Hæc quæ scite observata sunt, pluribus prosequitur laudatus ille vir, et alia multa adjicit, quæ longum esset recensere.

Aliis item nominibus hæc epistola omnino mihi spuria esse videtur. Is ad quem scribitur, est Cæsarius monachus, qui jamdiu una cum epistolæ scriptore idem institutum vitæ tenuerat, nempe monasticum; nam illud significant hæc verba paulo post initium epistolæ : *Verumtamen nos recordantes tuæ nobiscum conversationis*, hæc haud dubie Græca erant, quibus significatur hujus epistolæ scriptorem idipsum institutum vitæ tenuisse, quod Cæsarius profitebatur, nempe Monasticum; id de Chrysostomo quidem dici posset, qui juvenis inter Monachos versabatur, et asceticam vitam agebat : sed an verisimile est, si cum Cæsario vitam Monasticam egerit, qui Cæsarius ad usque secundum ejus exilium superstes fuerit, ipse litteras scribere consueverit, illius tamen nuspiam mentionem habendam fore, vel in Epistolis vel in vita Chrysostomi; certe hinc jam nescio quæ suspicio nascitur. Stylus mirum quantum a Chrysostomi dicendi genere alienus; quod nunc facilius deprehenditur, cum ex Græcis longe plura quam antea publicantur : hic omnia peregrinum olent, nec vel minimum quidpiam observatur, quod Chrysostomum sapiat; ita ut qui ex aliis scriptis et epistolis Chrysostomi ad hanc epistolam se conferat, in alium se orbem translatum putet. Quis apud Chrysostomum vidit τηλαυγῶς διαγορεῦσαι, quis ταυτα κατηγορεῖται vidit hoc sensu, *hæc prædicantur?*

Ubi tam jejunus orator fuit Chrysostomus, cum de socio olim et contubernali ad sanam mentem reducendo ageretur? Argumentandi genus Chrysostomi elucet in orationibus contra Anomæos et contra Judæos : eas confer cum hac epistola; et statim conspicies quantum sit inter hanc et illa discrimen. His perpensis epistolam ad Cæsarium Chrysostomi esse nunquam crediderim, sed potius cujuspiam qui Chrysostomum ementitus sit.

Quis vero sit ille, qui hanc epistolam Chrysostomo ascripsit, incertum omnino. Ejus autem mittendæ occasio ea fuit, aut ea esse simulatur, quæ initio epistolæ narratur : oblatus fuerat Cæsario Apollinarii liber, quo perlecto, usque adeo ejus doctrina permotus est, ut gratiam haberet iis qui librum sibi obtulerant, et librum optimum esse prædicaret etiam in epistola illa, quam ad Joannem se misisse confinxit. Non desunt viri docti, qui putent hanc epistolam non contra Apollinaristas scriptam fuisse, sed contra Eutychianos, exque conjectura tantum hic dici, librum de quo hic agitur Apollinarii fuisse : Nam Apollinarius, inquiunt, nunquam dixit ex duabus naturis unam factam esse naturam post unitionem. At nihil certe dubii est, hic de Apollinarii libro agi et Apollinaristarum doctrinam impeti. Nam ut omnia minutatim persequamur, quæ initio epistolæ dicuntur in libro Apollinarii prædicari : *concursum essentialem et mixtionem divinam factam esse divinitatis et carnis, et hinc unam perfici naturam;* hæc, inquam, ipsissima fere verba sunt Apollinarii, qualia referuntur ab Eulogio apud Photium cap. ccxxx. p. 849. excerpta ex libro Apollinarii de Incarnatione : *O nova creatura et divina mixtio! Deus et caro unam perficiunt naturam.* Quod ipsum refert Ephræmius Antiochenus in Biblioth. Photii cap. ccxxix. p. 787. Jam quis neget in epistola Cæsarii de hoc Apollinarii libro agi? Cætera

quoque capita recenseamus : secundum Apollinarium et Apollinaristas, ut in hac epistola dicitur : *post unitionem non oportebat dicere naturas duas.* Dicebant etiam Apollinaristæ, *Dominicum corpus non esse verum corpus, quia conversum erat in deitatem : passionem divinitati excogitabant.* Dicebant quoque, *Dominum Jesum carne nostra amictum; sed inanimata.* Hi erant Apollinarii et Apollinaristarum qui Synusiastæ vocabantur, errores; ii vero ex supra allato Apollinarii loco consequebantur : nam quia secundum Apollinarium per commixtionem divinam Deus et caro unam perficiebant naturam, hinc sequebatur post unitionem non oportere duas dicere naturas; divinum corpus non esse verum corpus, quia conversum erat in deitatem; divinam ipsam naturam seu divinitatem passioni esse obnoxiam; carnem Christi anima esse humana vacuam, quia Deus et caro unam perficiebant naturam.

Hos etiam Apollinaristarum, seu Synusiastarum errores commemorant Athanasius, Gregorius Nazianzenus, et Epiphanius, qui postremus necnon et Joannes Damascenus de Hæresibus p. 94 Dimæritas illos vocant. Hujus vero appellationis causam aperit Gregorius Nazianzenus in epist. ad Nectar. aliàs, Orat. 46, cum ait corpus et animam esse in Christo tertiam partem. Apollinaristæ quippe aiebant, in Christo partem unam hominis, scilicet mentem, a Verbo suppleri, solumque Verbum junctum còrpori et animæ (nempe sensitivæ, ut dictitabant illi) totum constituere Christum. Quamobrem cum ex Catholicorum sententia tribus constaret Christus, Verbo scilicet, mente humana, et corpore animato, qui unam ex illis demerent partem, mentem scilicet, a duabus aliis, quæ supererant, διμοιρῖται audiebant : nam δίμοιρον Græcis est duæ tertiæ partes, cujus significationis exempla sæpius ad-

vertere est in Analectis benedictinis p. 519. et seqq.

Cum hac igitur epistola consonant ea, quæ Athanasius in Epistola ad Epictetum de Apollinaristis, tacito tamen nomine, dicit, quam epistolam Epiphanius Hæresi 77, ubi contra Dimæritas seu Apollinaristas agit, totam retulit. *Quis infernus eructavit*, inquit Athanasius, *corpus ex Maria genitum, esse Verbi divinitati consubstantiale?* hinc autem Apollinaristæ Synusiastæ audiebant, quod substantiam Verbi cum carne miscerent et utrumque unum facerent : *Aut Verbum*, pergit Athanasius, *in carnem, ossa et capillos, et in totum corpus mutatum fuisse, et a natura descivisse sua?* Hic habes illam mixtionem divinam Apollinari, per quam Deus et caro unam efficiebant naturam. *Quis autem*, ait Athanasius, *in Ecclesia aut a Christianis unquam audivit, Dominum positione non natura, gestasse corpus?* hæc explicantur per illud quod in Epistola ad Cæsarium legitur : dicebant enim Apollinaristæ, inquit hic scriptor, *Dominicum corpus non esse verum corpus, quia conversum erat in deitatem.* Pergit Athanasius : *Aut quis eo processit impietatis, ut diceret sentiretque ipsam deitatem, Patri consubstantialem, circumcisam, et imperfectam ex perfecta factam fuisse : et quod cruci affixum erat, non fuisse corpus, sed ipsam Sapientiæ substantiam rerum opificem?* hæc iterum consentiunt cum iis quæ paulo ante dicebamus, Dominicum corpus secundum Apollinaristas non fuisse verum corpus. Ex his item dictis probatur id quod in epistola non semel dicitur, nempe secundum Apollinaristas ipsam deitatem esse passibilem, quod pluribus explicat Gregorius Nazianzenus in epist. ad Nect. alias orat. 46, ubi ait secundum Apollinarium, unigenitum Deum in propria sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse,

sicque rursus Patris opera a morte ad vitam revocatam fuisse. Passibilitatem quoque illam deitatis secundum Apollinaristas, commemorat et confutat Athanasius in libris contra Apollinarium, vide p. 924. et paulo ante, nempe p. ˛ 23. ait secundum Apollinaristas Verbum assumpsisse corpus absque mente : qui est postremus error in Epistola ad Cæsarium commemoratus, et hæc erat quasi tessera Apollinaristarum. Certum itaque puto in Epistola ad Cæsarium contra librum Apollinarii agi, illumque ipsum librum, ut videtur, quem de Incarnatione scripserat, ab Eulogio supra commemoratum. Cæterum Apollinaristæ non inter se consentiebant, sed alii alios errores, ex uno fonte manantes, propugnabant, ut videre est in Epistola Athanasii ad Epictetum, et in ejusdem Athanasii libris contra Apollinarium; itemque apud Epiphanium hæresi 77.

Neque tamen negari potest probabile omnino esse hunc scriptorem qui sæculo Eutychiano vixisse et hæresi illi infensus fuisse videtur, ut hanc epistolam ab se suppositam Chrysostomo ascribere posset, confinxisse se contra Apollinarii librum agere, qui in multis cum Eutyche consentiebat; quoniam non poterat Chrysostomum contra Eutychis hæresin aperte loquentem inducere, qui diu ante illam exortam obiisset. Quod autem hic cum Apollinaristis Eutychianos maxime confutet, probant voces illæ, et modi loquendi frequentes, quos supra commemoravimus, qui tempore Chrysostomi vix noti erant; et tamen in hac Epistola passim usurpantur eodem modo quo contra Eutychianos adhibiti postea fuere.

Restat ut de clausula illa agamus circa quam multæ quæstiones agitatæ sunt; illa vero est : *Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote,*

liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus; sic et hic divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utrumque constituit, cognitum sine confusione, indivisibili ratione, non in una solum natura, sed in duabus perfectis. Hinc heterodoxi acerrimum contra fidem Catholicam telum se mutuari posse rati, secundum hujus scriptoris mentem absque ulla mutatione substantiæ panis, Eucharistiam confici pugnant: alii ulterius progressi, panem appellatione sola Dominici corporis, non præsentis, dignatum esse contendunt. Illud autem quasi certum exploratumque habent, hanc epistolam vere Joannis Chysostomi esse. Sed cum abunde supra probatum fuerit hanc epistolam non esse Chrysostomi, etiamsi quid ex ignoti scriptoris dictis in eorum gratiam emergeret, quod tamen longe abest, nullam hinc mutuari possent auctoritatem, cum nec quis ille scriptor fuerit, nec an catholicus, heterodoxusve fuerit deprehendi possit; imo vero ex iis quæ de deitatis passibilitate dixit, nonnihil adversæ nascatur suspicionis. Verum quisquis ille sit, jam locum dispiciamus, excutiamusque primo qua arte locum ejusmodi ad præsentiam Christi in Eucharistia negandam detorqueant. Hic, inquiunt, panis dignus habitus esse dicitur Dominici corporis appellatione: unde sequitur, solo nomine panem in Eucharitia dominicum appellari corpus: ad quid enim panem dignum habitum dominici corporis appellatione dixerit, si vere adsit dominicum corpus? Sed quorsum illæ circuitiones, quando clare scriptor iste ait naturam panis et dominicum corpus, non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicari: an-

non hinc omnino consequitur corpus Filii vere in Eucharistia haberi? Annon illa comparatio unitatis naturæ panis et corporis Dominici cum natura divina et humana unum Filium et unam personam efficiente, omnino futilis erit, si corpus Christi non sit vere in Eucharistia? Aliud telum contorquent, graviusque instant, ac transsubstantiationem hic aperte impeti pugnant. Nam, inquiunt, hic luculenter dicitur panem in Eucharistia post sanctificationem remanere, idque his verbis declaratur, *etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii prædicamus.* Verum, ut multis exemplis probat Harduinus, natura cujuspiam rei sæpe apud Patres significat proprietates naturales rei ejusdem; at hic proprietates omnes naturales panis permanent, et quidquid in pane sensum movet, aspectum scilicet, tactum et gustum; nam id solum in natura cujusque rei sensilis percipimus; ita ut natura panis hic tota perspiciatur, licet ejus materia et substantia in corpus Christi mutata fuerit. Naturam certe panis sic intellexisse oportuit hunc scriptorem, quisquis tandem ille fuerit: nam panem in corpus Christi mutari tunc in Ecclesia Græca vulgo dicebatur, qua mutatione facta, tunc non amplius substantia panis in Eucharistia erat. Sic autem explicandum hunc scriptorem esse probatur ex Joanne Damasceno, qui hanc epistolam legebat, eamque pro Joannis Chrysostomi fœtu habebat, quique ejus partem non minimam retulit. Ipse quippe Joannes Damascenus de Orthodoxa fide libro quarto p. 270. sic habet: *Quemadmodum naturaliter panis per comestionem, vinumque et aqua per potionem, in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutantur, nec corpus fiunt aliud a corpore ejus quod prius extabat: sic panis qui in prothesi præparatus fuit, vinum item et aqua per*

invocationem et adventum Spiritus sancti supernaturaliter mutantur in corpus et sanguidem Christi; nec duo sunt, sed unum et idem. Hæc Joannes Damascenus, qui hunc, quode quæstio est, locum in mente habuisse videtur cum hæc scriberet. Nisi dixisset autem panem et vinum supernaturaliter mutari in corpus et sanguinem Christi, ex sequentibus *nec duo sunt, sed unum et idem*, inferrent haud dubie heterodoxi; Si panis et vinum simul cum corpore et sanguine Christi unum et idem sint in Eucharistia, ergo post sanctificationem panis et vinum remanent; sed cum prius dixerit panem et vinum mutari in corpus et sanguinem Christi : quod subjungit postea, *nec duo sunt, sed unum et idem*, non ita intelligendum est, ut ipsa panis et vini substantia remaneat, et unum sit cum corpore Christi; alioquin enim non mutata fuisset in corpus et sanguinem Christi; sed quod proprietates illæ omnes quæ solæ in pane et vino sensu percipiuntur remaneant, et cum corpore et sanguine Christi unum sacramentum efficiant : et sic explicandus est auctor epistolæ ad Cæsarium, quem præ oculis tunc habuit Joannes Damascenus; quod enim dicit, *etiamsi natura panis remansit*, de speciebus et proprietatibus tantum panis intelligendum est. Neque enim negare voluit ille mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, quam SS. Patres Græci enuntiant. Gregorius quippe Nyssenus eam modo, *mutationem* vocat, modo, *transelementationem*: Chrysostomus, *transformationem*; Cyrillus Jerosolymitanus, *mutationem* vel *conversionem*. Hanc autem mutationem ideo non expressit auctor epistolæ ad Cæsarium, quia cum hac de re nulla tunc controversia moveretur, non tanta opus esse cautela videbatur in his enuntiandis.

Præfationem clarissimi Emerici Bigotii quæ Lutetiæ supresa fuit, quamque publicavit V. Cl. Jacobus Basnage, hic subjungendam duxi.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Epistola ad episcopos et presbyteros in carcere inclusos, p. 20.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 502-508.
Epistolæ ad Olympiadem, p. 23 et seqq.	Earumdem fragmenta, tom. XV, p. 482-498.
Epistola ad Theodotum, p. 187.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 509.
Epistolæ ad Diversos, p. 146 et seqq.	Earumdem fragmenta, tom. XV, p. 499-502.

INDEX

TOMI NONAGESIMI TERTII.

EPISTOLARUM

CLASSIS I.

EPISTOLÆ AD INNOCENTIUM PAPAM.

EPISTOLARUM

CLASSIS II.

EPISTOLÆ AD OLYMPIADEM ET AD ALIOS.

EPISTOLARUM

CLASSIS III.

EPISTOLÆ SPURIÆ.

ECLOGÆ EX DIVERSIS HOMILIIS.

EXPLICIT INDEX.